




OF·GEMS·& GEM·CUTTING
GEMSTONES·OF·NORTH·AMERICA·PROSPECTING·FOR·GEM
STONES·AND MINERALS
MINERALOGY·EMERALD·AND·OTHER·BERYLS·CATALOG
EX LIBRIS
JOHN SINKANKAS




250.00 6/77
Thomas-Scheler
Paris

See Thorndike vol 8, p. 4 ff


CHIOCCO

25 ff. n. ch.
748 pp.

See Thorndike, v. 8, p. 4 ff.



MVSAEVM
CALCEOLARIANVM
VERONENSE.


MVSAEVM
FRANC. CALCEOLARI
IVN. VERONENSIS
A BENEDICTO CERVTO MEDICO
INCÆPTVM,
ET AB ANDREA CHIOCCO
MED. PHYSICO EXCELLENTISS.
COLLEGII
Luculenter Descriptum, & Perfectum.
In quo multa ad naturalem, moralemq. Philosophiā
spectantia, non pauca ad rem Medicam
pertinentia eruditè proponuntur,
& explicantur,
Non sine magna rerum exoticarum
supellectile, quæ artifici planè
manu in æs incisæ, studiosis
exhibentur.



SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO GONSAGÆ, MANTVAE, ET MONTISFERRATI DVCI, &c.

Franciscus Calceolarius Felicitatem. P.



GO verò Clarissimorum Virorum precibus tandem aliquando superatus. FERDINANDE,

— hominum, Diuùmq; voluptas,

facere non possum, quin Musæum Calceolarium, ab eruditis hominibus accuratè descriptum, studiosis, & curiosis omnibus exponam: eiquè fautorem, & Patronum aduocem, qui illud studio legere, iudicio probare, auctoritate illustrare, virtute tueri facilè possit. Tu autem, omnis elegantiæ, & eruditionis arbiter, vnus ex omnibus occurristi, cui hæc omnia cumulatissimè suppetant.

Quòd

Quòd ſi cum parentibus liberos, ac nepotes idem ſentire, & idem velle, congruum eſt; meritò, exemplo commotus Aui mei, Fr. Calceolarij, in Sereniſsimo Patre tuo VINCENTIO imis ſemper ſenſibus colendo, Tibi, tanti Principis Filio, literatam Muſæi noſtri imaginem ſupplex, venerans nuncupo, dico, dedico. Quam nè pro derelicta habeas; ſed potiùs perhumanus excipias, foueas, defendas, ſi quà opus, ſubmiſsè deprecor. Benè vale.

Veronà Kal. Octob. M. D. C. XXII.



RERVM NATVRALIVM STVDIOSIS.





I *ANTALCIDAS, Spartanorum Rex, ſuperuacaneam eſſe duxit Sophiſtæ cuiuſdam operam, cum laudationem Herculis, quem magnopere venerabantur omnes, de libro legere appararet. Meritò inanem viderer conferre operam, ſi in re clariſsima, cuiuſmodi eſt præſtantia, atque vtilitas cognitionis rerum naturalium, quam neminem vel mediocriter eruditum, latere arbitror, diſertus eſſe vellem. Siquidem ex Canonicis ſanctionibus, Quod notoriorum eſt, à probationis onere releuatur. Sed ipſemet Ariſtoteles.* Plut. in apoph. lacon. cap. Tua nos de cohab. cler. & mul.

Qui genus humanum ingenio ſuperauit & omnes Lucr. lib. 3.
Præſtrinxit Stellas, exortus vti æthereus Sol,

Communiter conceſſa; vt potè, naturam eſſe, fortunâ nonnulla euenire, locum eſſe immobilem, & huiuſmodi quædam, 2. 3. & 5. Phyſ.

* quæ

quæ explorata, & comperta omnibus ſunt, nullatenus probare ſolet. Verum enimuerò cum rerum naturalium inueſtigatio amœniſsima varietate exornata ſit; nec minus habeat vtilitatis, quàm oblectamenti; in confeſſo eſt, Reges præſtantiſsimos, & magnanimos, illuſtresq; Heroas mirificè olim harum rerum ſtudium excoluiſſe; ipſoq; cum primis fuiſſe oblectatos. Salomon quippe, Regum ampliſsimus, inſtar omnium erit; qui præter immenſas opes, eam adeptus eſt à Deo Opt. Max. ſapientiam, ac rerum cognitionem; vt nullus Regum illi ſit comparandus, in rerum naturalium notitia magnopere excelſus, exacteq; verſatus legitur; & diſſeruiſſe non ſolum de piſcibus, alitibus, quadrupedibus: ſed de arboribus etiam, & ſtirpibus, à Cedro Libani, vſque ad Hyſſopum, qui egreditur à pariete; hoc eſt à minutiſsima herba ad proceriſsimas, celſiſsimasq; arbores vſque, omnia habuiſse cognita, & explorata. Duplex porrò benè merendi ratio de rebus naturalibus videtur eſſe: nam & qui aliquid de his ipſis ſcripsêre; & qui, vt alij ſcriberent, in cauſa quoquomodo fuerunt, ipſi rebus naturalibus opem tuliſse exiſtimantur: Quæ duæ res eiuſmodi ſunt, vt, qui alterutram commodè faciat, ei ſcilicet ab omnibus rerum naturaliũ ſtudioſis gratiæ ſint agendæ; qui vtramque, ne haberi quidem ſatis poſsint. Id quod FRANCISCVS CALCEOLARIVS ſenior, Vir honeſta literarum eruditione clarus, feliciſsimo præſtitit conatu; Quippe qui annis ab hinc quinquaginta libellum elegantem de celeberrimi noſtri Baldi Montis itinere edidit, recondita herbarum cognitione ſuſpiciendum; perhonorificumquè, & exaggeratiſsimum Muſæum extruxit; cuius cauſa factum eſt, vt alacriter prouinciam præſentis operis conſcribendi ſubiremus; in hoc quidem Musæo quicquid rarum, & ſingulare in ſe habet natura, magnanima

impenſa

impensa ex varijs mundi regionibus coaceruauit; idque diuersis loculis eleganter distinctum, inclusit, seruauitquè. Adeout nullus post hominum memoriã, ante CALCEOLARIUM, tàm multiplici rerum naturalium supellectile se iactasse, dicatur. Nec defuerunt ex inueteratæ auctoritatis medicinæ professoribus, alijsq; Viris præcellentibus, qui CALCEOLARII vestigijs insisterent. Si verò

Principibus placuisse viris non vltima laus est; Horat.lib.1. Epist.17.

Quantæ dignationis CALCEOLARIUM nostrum esse arbitramur; à quo Primarij Italiæ Principes imitatione pernobili exemplum sibi forsam habere voluerunt. Cuius generis specimen, vt sola FERDINANDI, Magni quõdam Hetruriæ Ducis, immortale præconium meriti, commemoratione contenti simus (ne id quod adest, aliunde quæramus) concede quæso, FERDINANDE GONSAGA, atauis edite Regibus, Mantuana ditione pollens, potens, vt à te summam; & sine me hoc impetrare à modestia tua, vt ea, quæ sentio, de te dicam. Certè enim, qui maiori studio, sumptibusq; profusioribus in id incubuerit, neminem esse constat. Tu quippe Princeps literarum omnium gloria præcellens, atque vnicus veræ virtutis æstimator; qui solus hodie confirmas vetus sapientissimi hominis dictum; Tum demum beatas Ciuitates fore, cum aut Philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur; tuas omnes cogitationes eò conuertisse videris, vt cum omnigena speculatiuarum disciplinarum cognitione, naturalium rerum studium coniungeres; præsertim vbi ab vrgentissimis negocijs, & functionibus publicis respirare, atque aliquid tibi laxamenti impetrare licuerit. Id quod ex magnificentissimo Conclauio, quod nullis parcens sumptibus, vel immanibus; Plato.Dialogo.v.de Republ.

nibus; nulla non adhibita diligentia, vt Mantuani Principis dignitati responderet, rebus omnibus, quas in se habet natura, ad miraculum locupletasti, facilè conijci potest. Cum autem natura comparatum sit; vt, quos admiramur, & magnificamus, eorum omnia cognoscere cupiamus: vnde rectè Xenophon, virorum virtute præstantium, non seria modò, sed & ioca digna esse, quæ scriptis consignentur, ab re non videtur fore, si, quæ, præuia tanti Principis benignitate, non sine ingenti admiratione perlustrauimus, quàm breuissime fieri potest, memoriæ commendauerimus. Non indigna studiosis hæc mihi proposita prouincia est. Habebit, quod curiosos titillatione quadam festiua alliciat; erunt, quæ, cordati, & planè ingeniosi homines summopere admirentur: non desiderabunt rerum naturalium perscrutatores, quæ peregrina sunt, & rara. Nam caprimulgos, & nasutos Aristarchos, qui aliena facta, dictaquè non æquis iudicant animis, eaque liuoris asterisco insigniunt; tantum abest, vt æstimem; vt ipsorum fauorem vel tribus quoque nebulæ cyathis, si possem, nolim tamen emere. Mantua

In Pedia. Cyri.

Iul. Cæsar. Scalig.

Clara Viris, felix Ducibus, diuo inclyta Cigno:

quemadmodum antiquitate cum quauis Italarum Vrbium certare potest; ita ædificijs publicis, & priuatis quàm maxime decora apparet, atque venusta. Habet enim magnificas ædes sacras, templa, porticus, & palatia sumptuosa. Cæteris verò præcellit insigne Prætorium, magnificentissimè à Mantuanis Regulis excitatum, non in proprios tantum vsus, sed in eum etiam finem, vt esset hospitium, quo maximi quique Principes, Mantuam commeantes, dignè, & commodè pro maiestate possent excipi.

Huius

Huius spectantur loca regijs opibus, & Asiatico luxu referta; Et inter alia exaggeratissimum Conclauium, sumptu, & artificio mirabili, celebratur; quod quidem peramplum, atque ex opere tectorio, auro vndique coruscante, elegantissimè constructum est, colorumq; varietate resplendens, picturas egregias, facetissimasque, vbique spectantium oculis repræsentat; quæ erudita ingenia diuersis coniecturis exercent. Quocumque te verteris, eximium aliquod occurrit, quo intimè reficiaris, & extimè: neque vnquam exsatieris. Sed tunc opima, pleniorq; voluptas ostenditur, cum ad peregrinos terræ, marisq; fœtus aduolatur: quorum numerosa supellex quatuor omninò classibus scitè, ingeniosèque distincta, desides homines, & curiosos comiter ad sui admirationem, & contemplationem inuitat.

Prima terrarum est, vniuerso ferè orbe conquisitarum: In primis verò Gleba carnei coloris, admodum grandis, terræ celebratissimæ à Lemno Ægei maris Insula delatæ, spectanda; quam P. ANDREAS MATTHIOLVS V. Cl. GVLIELMO inuictissimo Mantuæ Duci munus eximium obtulit. Penes eamdem Vasa, ex varijs terrarum generibus plastice elaborata, custodiuntur. Succi in eiusdem terræ visceribus concrescentes subsequuntur, vti sales; præ ceteris autem Gleba prædurææ adeò substantiæ, vt lapidescere videatur. Nitra, Alumina, quotquot extant, varia Sulphura, Pyrites varij, & inter hos aureus. Chalchanta, Melanteriæ, Sory, Misy, Cœruleum, atque his congenera. Multiplices Metallorum fodinæ, Auro, Argento, Cuproque permistæ. Necnon & Aurum solidum, atque Argentum: cæteris posthabitis, quæ recensere longum esset. Neque Gemmæ, Adamantes videlicet, Rubini, Carbunculi, Saphyri, Amethysti, desiderantur.

Quas inter Smaragdus venuste semialbicans, & semiuirens ostentatur; quo sanè munere VINCENTIVS GONSAGA, Mantuanus Princeps, non maiorum gloria, quàm sua virtute clarior, ex Belgio reuersus, FERDINANDVM fratrem ex animo cumulauit. Hoc loco certè non faciam, vt alias Gemmas ortum trahentes ex succo non ita claro, vt Niccoli, Achates, Turchinæ, Malachites, Iaspis, & ijs similes, singillatim, & minute referam. Satis superquè fuerit dixisse, in hac Gemmarum classe lapidem præfulgere, in quo, natura ipsa ludente, hominis effigies conspicitur; coloribus ita eleganter effigiata, ob succorum ad eamdem exprimendam confluentium varietatem, ac si excellenti penicillo esset efficta.

Secunda claßis è mare emergentia excipit: eiusmodi sunt Corallia ab omni muscosa labe immunia; Rubra, Alba, Nigra, Stellata, Articulata, & Verrucosa; quibus præcellit venustus rubri Corallij ramus, materia alba lapidescente exornatus; ex qua ipsum Corallium album gignitur, vndique rubescens. Neque marinæ Plantæ desiderantur; vt Fuci, Corallinæ, varijs notatæ coloribus. Quercus marinæ, Escara, Musci, Androsaces, Erica marina, ex Americanis Insulis, ita à ZENOBIO BOCCHIO, solerti huiusmodi rerum indagatore, nuncupata. Abundat & Lib. 5. c. 94. præsens Claßis quolibet genere Alcyoniorum, à Dioscoride descriptorum. Quorum vnum nigro Corallio insigne, Regium Diadema lepidè repræsentat: spongijs quoque, & spumis maritimis. Mirum est, quàm oculi intuentium capiantur contemplatione Conchyliorum, Concharum, & Turbinatorum, quæ à longinquis maribus allata, colorum varietate contendere inter se videntur: His Conchæ rugatæ margaritiferæ adnumerantur; vna quarum ob succi

adepti

adepti copiam, innumeras Margaritas abortiuas in se, tanquam in natali loco, recludit. Lapis denique obiter disiunctus se se offert, cuius medio Conchilium striatum lapideum, natura ita operante, impensè inhæret.

Ex tertia classe prodeunt fructus Americani, de quorum numero quaterni Maldiuæ Cocci, à Clusio recensiti, visu pulcherrimi, & speciosissimi. Bini præterea semicortices fructuum, coloribus ad elegantiam decori, Indicæq; Canlanticæ speciem præbentes. Ligna, rami, cortices, è plantis exoticis exempti, minimè absunt. Præcipuè verò fustis cubitalis, ex ipso cinnamomo eleganter elaboratus, auro conspersus, atque rubinis: Truncus ligni Aloes, semicubitali diffusus ramo, apprimè spectandus; præter Lythoxilla, seu ligna lapidea Anglica. Ex quibus pernobilis Crater excisus, omninò mirabilis. vbi enim imperfecta contingit durities, illic cretosus redditur: vbi verò ad perfectam duriciem redactus cernitur, ferro percussus, ad ignem emittendum aptus est; reliquum gemmæ, Achatis præsertim, naturam induit. Codex etiam ex arborum corticibus coagmentatus, & priscis characteribus exaratus, apprimè videndus; postremò Succina diuersimodè colorata; ex quibus vnum coagulatum lacertam includit. Bitumina, Gummi, Lacrymæ ex arboribus stillantes, eximiumq; ex Beniuino vas recondita habentur.

Quartam porrò classem spectabilem reddunt; insignes animalium partes: vt puta Dentes, Vngues, Caudæ, Crines, Pili, & similia: sed & crus Elephanti, mira magnitudine præstat. Vt amplum vas, affabrè detornatum ex Balenæ osse spinalis medullæ silentio inuoluam. Minimè verò posthabenda videntur quamplurima animalia exsiccata: vnicusque Armadillus eminet inter cæteros, qui in Italia extant. Quid de lapide, piscem perbellè concludente? cuius

cuius ossa, singulari naturæ miraculo, in Marchesitam omninò transmutata conspiciuntur; quod ex claritate, & splẽdore facilè euinci potest. Verum enimuerò præter hæc non absunt oua plurimorum animalium, Struthijq; præcipue, colore vario distincta; necnon & quamplures lapides in visceribus animalium procreati; germanusq; lapis Bezar insuetæ magnitudinis; ex cuius sanè dimidio, FERDINANDO Duce annuente, crater exculptus, auro insigniter deuinctus, varièq; gemmatus: cuius præsentanea virtus in euidenti rerum discrimine vel maximè enituit.

Hæc autem pauca de multis, & propè innumerabilibus elegimus, quæ literis proderemus. Lectorem monuisse contenti, talem, ac tantam esse apud Mantuanos Principes naturalium rerum syluam (cuius custodiæ à FERDINANDO Duce, magno suæ virtutis honestamento, præpositum scias ZENOBIVM BOCCHIVM *Florentinum Franciscanæ Obseruantiæ addictum, Virum in re Botanica nemini secundum, ingenioq; naturalium rerum cognitione vehementer exculto) vt à nemine tàm multa, tàm magna dici posint, quin multò plura, & maiora dictis supersint. Quorum planè admiratione, ac stupore exciti, hanc qualem qualem inscriptionem aliàs effudimus.*

EFFE-

PRÆFATIO.

EFFERANT. MERITISSIMO. EFFERANT.
MANTVANI. EXTERI.
SERENISSIMI. OMNIVM. PRINCIPIS.


FERDINANDI. GONSAGÆ.

AVGVSTISSIMVM. CONCLAVIVM.
IN. QVO.
QVÆCVMQVE.PEREGRINA.QVÆCVMQVE.RARA.
A. NATVRA.
FINGI. POSSVNT. EXCOGITARI.
IMMENSIS. SVMPTIBVS. PERTINACI. STVDIO.
CONQVISITA. CVSTODITA.
INCOMPARABILI. RERVM. MAGNIFICENTIÂ.
CVRIOSIS. OMNIBVS.
EXPOSITA. HABENTVR.
ITA.
DICIT. EDICIT.
BENEDICTVS. CERVTVS. MED. PHYS. VERON.
GLORIÆ. FELICITATIQVE. PRINCIPIS.
DEVOTISSVMVS.

Redeat nunc, vnde paullisper aberrauit oratio. Cum haud parum CALCEOLARII famæ consultum iri videretur, si vberrima selectissimarum rerum seges, quam cultissimus illius ager protulit, scriptis explicaretur; huiusmodi Nomenclatorem conflare placuit. Neque verò absterrere me à scribendo debuit; quod videam, eorum multa, quæ penes CALCEOLARIVM reperiuntur, ab alijs fuisse comprehensa; Nam quantum eorum vnusquisque meam industriam retardat ingenio, tantum inflammat exemplo. Est quippe ingeniorum, sicut terrarum mira varietas; neque omnia possumus omnes. Alij valent ingenij acumine, alij varietate doctrinæ, alij disserendi, qua plerique gaudemus, breuitate; alij perspicuitate, & facilitate, nonnulli dicendi ordine, & methodo. Vnde fit, vt rerum naturalium studiosus, dum vnum in vno, aliud in alio habet, nihil ad earumdem cognitionem desideret. Multa nobis Philosophia, multa Medicina, pleraque naturalis Historia, nonnulla etiam rerum Sacrarum Scriptores suppeditarunt. Selectiora persecuti sumus, quæ vel ad ipsarum rerum dilucidationem, vel ad mores componendos visa sunt illustriora. Laboratum quidem à nobis multum est, vt, si quæ Auctorum placita ad rem pertinere viderentur, ea omnia fideliter commemoraremus, ipsis fontibus inspectis; ne quid falsi, aut incerti, à nobis insereretur. De stilo nihil aliud dicendum; nisi nos, quantum per facultatem licuit, operam dedisse; vt neque plus nimio barbarus esset, neque ad Ciceronis lychnos exquisitius elucubratus. Licet verò asserere possim, plusquam mediocri labore mihi constare huiusmodi opus: nihilominus, quæ est humana infirmitas, &

inge-

ingenij mei tenuitas, facile fieri potest, vt viri eruditi in hoc Nomenclatore quædam inueniant, quæ minus probent. Quamobrem tum illorum, tum in primis Sanctæ Matris Ecclesiæ iudicio, atque censuræ libens hæc scripta subijcio; benignum deprecans Lectorem, vt laborem nostrum æqui consulat, ac boni.



IN MVSÆVM HONESTISS. VIRI
FRANCISCI CALCEOLARII VERON.


Eiuſdem opera, & ſtudio varijs rerum, & naturæ miraculis refertum. & ab Excellentiſs. Viro BENEDICTO CERVTO Med. & Phil. Veron. ſcriptis eruditiſsimis elucidatum.

LEONARDI TODESCHII CANONICI VERON. & Academici Philarmonici

EPIGRAMMA.



VIDQVID habet tellus, quidquid latet æquoris imo,
Eximij æthereo quidquid in orbe volat,
Naturæ ſobolem, & raro miracula fœtu
Semine quæ vario prodigioſa parit,
FRANCISCI labor, ars, ſtudium, ſolertia, ſumptus
Conquiſita diû compoſuere ſimul.
Hæc forulis capit ille ſuis digeſta decentem
In ſeriem doctis conſpicienda viris.
Hæc eadem, ne forte viæ faſtidia quemquam
Impediant, multis ſituè ſenecta moræ,
Vt pateans cunctis, ſeu qua non mobilis hæret
Vnda gelu, ſeu qua Sol cremat igne ſolum,
CERVTVS, calamo quo non præſtantior alter,
Eruit è loculis quæis iacuere diû;
Et cultis expreſſa notis dum vulgat in orbem,
Tantum opus, ecce ſua, ne cadat, arte cauet.
Hinc licet addubites, cui gratia maior habenda;
Educat iſte foris, quod parit ille domi.





Εἰς τὸ ΦΡΑΝΚΙΣΚου ΚΑΛΚΕΟΛΑΡΙου ἀνδρὸς ἐπισήμου, καὶ ἀρίστου κημείλιον, ἐν ᾧ δὴ πολλὰ, καὶ πολύτιμα φάρμακα κείμενα εὑρίσκεται.



ΜΗΚΕΤΙ φόρκυνος λίμενος πολυήρατον ἄντρον
Εἴπατ' ὁμηρείου Καλλιόπη στόματι,
Ἱρὸν Νυμφάων, αἳ Ναιάδες καλέονται,
Ἐν δ' ἰσοὶ λίθεοι, κ' ἀμφιφορῆες ἔσαν:
Αὔταρ νῦν ἕτερον παιήονος ἄντρον ἄγαυον
Θρηλήσει, γαίης Θαύματα πολλὰ λάχον,
Ἔνθαδε θησαυρὸν πανακείης, ἔνθα τελείην
Εὗρε πανοπλίην πᾶς ξένος ὅς ἀπορεῖ.
Τεῦξε δὲ ΚΗΡουΤΟΣ κειμήλιον ἄπνοον, ἔμπνουν
Τῇ δε βίβλῳ, πινυτὸν τοῖς μερόπεσσι φέρων.

In D. FRANCISCI CALCEOLARII Viri ornatissimi, atq; optimi Pharmacopæi Musæum, in quo multa præclara, & pretiosa Medicamenta, & extraria amuleta reposita comperiuntur.

Idem vtcumque latinè redditum.



AMPLIVS haud celebret Phorcyni littoris Antrum
Mæonia egregium Calliopea Chely,
Sacrum Nympharum, quæ Naiades vocitantur,
Firma intus iuga sunt, labraq; pulchra simul:
Hoc, vbi sunt orbis miracula condita magni,
Antrum Pæonis concinat illa noui;
Hic Panacæa suum seruat spectanda beatum
Thesaurum: Auxilium hinc indiga turba petit.
Hunc priùs elinguem, CERVTI Cura loquacem
Hocce libro effecit; perlege: doctus eris.

And. Chioccus Med.

OMNIVM OMNIA
QVÆ SVB COELO
IN VTROQ; NEPTVNO
QVÆQ; IN TERRIS EDITA
ET INDE ERVTA
DISPERSA ET DISSIPATA
FR. CALCEOLARIVS
ANGELI F. FRANC. N.
CONGESSIT
MIRO ORDINE ANDR. CHIOCCVS
MED. ET PHILOS. V. C.
IN TANTA RERVM RAPSODIA
OMNE TVLIT PVNCTVM.

*Io. Iacobus Vescheuius de
Ioannandreis Iuris
Vtriusq; Doct. Veron.*

In Musæum FRANCISCI CALCEOLARII Veronensis Pharmacopæi præstantissimi, ab eodem summo labore, & artificio conditum, atq; ab ANDREA CHIOCCO Med.Phy. doctissimo in codicem redactum, & præclarissima explanatione illustratum.

IO. FRANCISCI RAMBALDI EQ. & PHIL. Epigramma.

PLaudat, Iò, mea Musa, suas iàm repperit ædes,
Antra Caballini, Pieriumq; nemus;
Errabunda diù quesiuit, & anxia, demùm
Letior in patrijs en sedet illa focis:
Museum appellant, gratissima limina Musis,
Phocide amœna magis, culta Helicone magis;
Orbem quippè nouum genitum spectabis in Orbe,
Estq; mee fulgens vrbis, & Orbis honos;
Hìc miranda viget, peperit que lucidus ether,
Quæ peperitq; solum, quæ peperitq; salum.
Iàm date FRANCISCO laudes, iàm dicite cuncti,
FRANCISCI fœlix hoc ope surgit opus;
Quìn BENEDICTO omnes benedicite, soluite carmen,
Ardua plana notis reddidit ille suis;
Addito & ANDREÆ preclaro dogmate nostri,
Laudibus innumeris nobilitatur opus.

Sopra il Musæo del Sig. FRANCESCO CALZOLARI,

DEL CAVALIER TODESCHI ACAD. FILARM.

CVPIDO peregrin, che monti, e mari
Varchi tal'or a rischio de la morte,
Sol felice stimando la tua sorte,
Se scopri di Natura i parti rari.
A che prò consumando i giorni auari
Del Corriero del Ciel fatto consorte,
Giri per lunghe, ed or per vie distorte
Dal fosco Ispan, sin'à gl'Eoi più chiari.
Raccogli i passi, e in bel Museo rimira
Ciò che scherzando, ò con oprar profondo
Fè la gran Madre in terra, in aria, in acque.
Vnì FRANCESCO, ch'à la gloria aspira,
Tanto tesoro, indi mirar li piacque
Tutto raccolto in cella angusta il Mondo.



DE BENEDICTO CERVTO MEDICO PHILOS. Viro ſui æui præſtantiſsimo.



VSÆVM populis aperit, miranda recludit
Ecce CERVTVS, ait maxima Caſtalidum.
Ferte repentè tubam, Vatem decorate Sorores,
Et date promerito præmia digna Sopho.
Nàm decet æternùm Muſis celebrarier illum,
MVSÆVM celebrans qui populis aperit.

Domitij Calderini I.V.D.





IN MVSÆVM
FRANCISCI CALCEOLARII
PHARMACOPOEI VERONENSIS
IOANNIS BALCIANELLI MED. PHYS.
ELOGIVM.



N tu, qui varios orbis circumſpicis, hoſpes,
Tractus, effuſis opibus, diſcrimine vitæ,
Vt diuerſarum rerum præſtantia mentem
Exſaturare tuam poſsit, modò parce ſuperbis
Sumptibus, atq; viæ tantos moderare labores.
Muſæum ingredere hoc, tibi quod Pronea parauit
VERONÆ decus Vrbis CALCEOLARIA longa
Annorum ſerie. Hic cernes, quæ gignit Hydaſpes,
Et Tagus auriferis deducit diues arenis,
Montibus Æthiopum vel quæ deuoluit in æquor
Ægypti Nilus, vel quæ ſub ſidere Volga
Producit gelido, vel quæ Peruana ſub axe
Alterius Mundi regio ditiſsima mittit.
Hic paſces auidos oculos; quæ corpora gemmæ
Exornant, hic inuenies, Hygæa, ſalubres
Quæ ſibi perpetuent annos, hic abdita carpit;
Reſq; leges, tuta querulos queis pellere morbos
Arte queas; demùm ſalubris quod parturit Orbis,
Muſæi id noſtri mira ſeruatur in arca.



Al Signor FRANCESCO CALZOLARI.



VANTO hà di bello il Mar, quanto la Terra,
E quant'hà l'Indo, e'l Mauro
Giace nel tuo Museo, nel tuo Tesauro,
E ne risuona il grido
Infin dal caldo à l'agghiacciato lido;
Mercè di chi ne scrisse
Sì alto, à cui al Mondo vgual non visse.
Vanne lieto; ch'ancora vnico, e solo
Spiegò con l'aurea penna al Cielo il volo.

Antonio Calandra.

AL MEDESIMO.

Per il suo nobilissimo, e famosissimo Museo.



ON voglia audace, e con valor costante
Sin de l'onde, e del suol rischij, & horrori
Altri cercando giò gemme, e tesori,
Legni, pietre, metalli, odori, e piante.
Desio gentile, opra fù bella innante;
Hor non fine al bramar, fine à gli errori
Ponga, FRANCESCO, quì, ch'à gli occhi, e a' cori
Porgi quanto hà la terra, e'l mar sonante.
Pregio de gli Aui tuoi, che'n mille guise
Sparser oro, e sudor per fare intero
Corpo di mille cose in sè diuise.
Nè tù manchi già lor; l'arte, e'l pensiero
V'impieghi sì, che le tue glorie incise
Veder ancor sù dotte carte i' spero.

Francesco Belli.



DE BENEDICTO CERVTO

Medico, & Philoſopho clariſs.



CERVTVS ſimul, & nouem Sorores
Certant officijs, pares vbique.
Pandit delitias nouem Sororum
Magnus ingenio, & potens Cerutus,
Pandunt non minus & bonæ Sorores
Dulces delitias ſuas Cerutum.
MVSÆVM celebrat bonus Cerutus
Clari Calceolarij, & diſerti,
Quò gratum faciat ſuis Camœnis;
MVSÆVM celebrant bonæ Camœnæ,
Ornent Calceolarium vt merentem,
Et vnà decorent ſuum Cerutum.
Cerutus vigeat ſuis Camœnis,
Camœnæ vigeant ſuo Ceruto;
Namque ſorte pares diù micabunt
Certando officijs, pares vbique
CERVTVS ſimul, & nouem Sorores.

Franciſci Coradini I.V.D.



D E

Musæo Calceolario Veronense

AB ANDREA CHIOCCO,

COLLEGI VERONENSIS PHYSICO STVDIOSIS OMNIBVS EXPOSITO, VIRGILIO-CENTO.

Ad Laurentium Pignorium V.Cl.

6.æn. *Musæum ante omnes iamdudum inuadere magnũ* 9.æn.
9.æn. *Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.*
12.æn. *O' præstans animi, longa cum veste Sacerdos,* 6.æn.
1.æn. *Os humerosq; Deo similis; cui, captus amore,* 12.æn.
12.æn. *Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo*
5.æn. *Donat habere Viro; factisq; ad sydera tolli.* 12.æn.
4.æn. *Pro re pauca loquar, tu condita mente teneto.* 3.æn.
3.æn. *Hic incredibilis rerum fama occupat aures,*
4.æn. *Mille trahens varios diuersis partibus orbis;* 12.æn.
6.æn. *Nec vidisse semel satis est, iuuat vsq; morari.*
7.æn. *Argumentum ingens, series longissima rerum;* 1.æn.
6.æn. *Quas qui scire velit, Libyci velit æquoris idem* 2.ge.
2.ge. *Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ.* 2.ge.
4.æn. *Multa Viri virtus, collectis omnibus vnà,* 2.æn.
3.ecl. *Descripsit, veterum voluens monumenta virorũ.* 3.æn.
6.æn. *Naturæ causas penitus tentare latentes,* 3.æn.
2.æn. *Prodere res altas terrá, & caligine mersas,* 6.æn.
2.æn. *Incumbit nulli veterum virtute secundus,* 11.æn.
11.æn. *Egregiusq; animi; sua terris didita fama.* 8.æn.
2.æn. *Haud ignota loquor: si fert ita corde voluntas,* 6.æn.
11.æn. *Experiare licet, possit quid viuida virtus.* 11.æn.

B. Bruschus.

AMICE

SIVE ADVENA SIVE INDIGENA
QVISQVIS ES
QVI IN HÆC NATVRÆ ET QVIDEM
SECRETIORIS ADYTA TE CVPIS
PENETRARE
HÆRE PARVMPER HIC IN LIMINE
ET PRIMVM DEO O. M. SVPPLEX PROCVMBITO
CVI HÆC OMNIA INTERMINÆ SAPIENTIÆ VESTIGIA
QVOD SVNT, QVOD VEGENT, QVOD PLACENT
MVTIS NEC TAMEN ELINGVIBVS PRÆCONIIS
ACCEPTVM FERVNT
TVM FRANC. CALCEOLARIO QVI EXIMIE CONDVS
HARVM OPVM NON INVIDIT TIBI VT PROSPICERES
ATQ; ADEO CONTRECTARES GRATIAS AGITO
DEIN EASDEM ET QVIDEM
MVLTIPLICES HABETO ANDREAE CHIOCCO QVI
VT AVDIT IPSA ETIAM APPLAVDENTE INVIDIA
BIBLIOTHECA VIVENS ET PERAMBVLANS MVSÆVM
ITA HÆC EXPOSVIT, EXPLICVIT, EXORNAVIT VT IPSI
MAGNA MERITO LAVS TIBI MAIOR INDE VTILITAS
POSTERITATI MAXIMA SVBINDE ADMIRATIO
ABVNDE SINT OBVENTVRA
ITA SPONDEO ITA VOVEO LAVRENT. PIGNORIVS
HANC NVMQVAM REFIGENDAM TABELLAM AFFIGENS
POSTIBVS ADMIRANDI, ET PRÆDICANDI MVSÆI

INGREDERE AMICE

NEC ME SPONSIONIS VOTIQ; FALSVM NEC TE SPEI
OPERÆVE IRRITVM EXPERIERE.

MVSAEI
HOSPES ET NOSTRAS
DITISSIMO SPECTACVLO
ET MIRISSIMO
MIRIFICE CAPIVNTVR
FRANCISCI CALCEOLARI
MAGNAE INDVSTRIAE VIRI
ET PERITIAE
EXOTICIS CIMELIS
PEREGRINIQVE ORBIS MIRACVLIS
FARCTI
SVPRA FIDEM NVMEROSIORIBVS
QVAMQ. AETAS QVAMQ. LABOR
ET SVMTVS FERANT
IN PLVTEOS IN VASA DIGESTIS
AEQVE OPIPARE
A BENEDICTO CERVTO MED. PHYS.
VERONENSI
FOEDERICI POLITIORVM LITTERARVM
AEVO SVO ET POSTVMO
FACILE PRINCIPIS
F.
NOMENCLATORE
EX AMVSSIM
IN OMNIVM VOLVPTATEM
ET VSVM
PORRECTIS



All'Illuſtre Medico, & Filoſofo, l'Eccellentiſsimo Sig. BENEDETTO CERVTI.





SE fama ottien, con barbaro coſtume,
L'acceſa Etea d'vn foraſtier imberbe,
Che'l vecchio corſo, con ſuſſurri, ed herbe,
Ringiouenir del Socero preſume.

Qual merto è'l tuo, le maritali piume
Laſciando (alto Scrittor) ne l'hore acerbe,
Per le ricchezze contemplar ſuperbe
De le Nereidi, co'l pregiato lume?

Le ſcelte gioie di Natura indaghi
Del CALZOLARI, e'l ſuo valor interno,
Per ogni clima, diſuelar t'appaghi.

E ſe Medea non teme State, ò Verno,
Che farai tù, che glorioſo vaghi
La terra, e'l mar per noſtro gaudio eterno?

Di Gio. Fratta Dott.



INDEX SECTIONVM

IN QVAS PRÆSENS OPVS DISTRIBVITVR.

Sectio Prima.



IN qua Frutices, & Plantæ maximæ, Alcyoniorum ſingula genera, Teſtacea, & Cruſtacea, necnon Piſces, Animaliaquè amphibia exſiccata explicantur.

Sectio Secunda.

QVæ Terrarum genera, ochras, rubricas, ſales, alumina, ſulphura, & bitumina patefacit.

Sectio Tertia.

IN qua Gemmæ, aliorum lapidum multiplices ſpecies, & qui à natura ſunt effigiati, recenſentur.

Sectio Quarta.

QVæ de corporibus metallicis cuiuſcunque generis pertractat.

Sectio Quinta.

IN qua de Plantis, Radicibus, & Exoticis fructibus, necnon de peregrinis Gummatis, & Succis pinguibus diſſeritur.

Sectio Sesta.

QVæ de ſelectioribus volucribus, quadrupedibus, lacertis, amphibijs animalibus, & miſcellaneis rebus agit.



INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
QVÆ IN HOC VOLVMINE
EXPLICANTVR.

A


CACIÆ Ægyptiæ planta, fructus, et succus legitimus pag. 537
vbi nascatur. 538
duos in medicina vsus Acaciæ enumerant auctores. 539
Achates vnde dicta. 247
Achatis variæ species. 248
Achates Pyrrhi Regis celebratissima. 249
Achatis proprietates. 251
sitim extinguit. 252
Achatis allegoria. ibid.
Achates Mantuani Ducis. 251
Aconiti varia genera tradunt Auctores. 493
Aconitum omnium venenorum ocyssimum Plinius dixit. 494
Aconitum cur ita appellatum. ibid.
Acorum exactè describitur. 557
Easdem vires obtinent cum Calamo. ibid.
quo tempore legatur. ibid.
Adamantis præstantia. 202
Adamantis durities. 203
Adamas vim Magnetis frangit. 204
Adamantis allegoria. 205.6
Adarces, seu Adarca latinorū. 24
vbi nascatur. ibid.
Æra fossilia varia. 443
Æris mineræ, Kepnica, Iuacem burgensis, Annebergia. 443
Ærarius lapis ex Germania. ibid.
Ærarius lapis color. nigerrimi. 444
Æris flos multiplex. ibid.
Æris prærogatiua vnde percipiatur. 445
Æs natiuum Iluanum. 443
Ærugo fossilis. 444
Aëtites lapis cur ab Aquila in nidum collocetur. 319
sonitu dignoscitur. 320
Aëtitarum quatuor genera. 320
Aëtites suas in re medica habet facultates. 321.22
Agallochi fragmenta. 575
eius descriptio, & probatio. 576
Agaricum metallicum, eiusq; vtilis vsus. 475
Ahomei Theuesi fructus. 600
Alabandici lapidis forma. 388
eius varia vis. 389

 Ala-

Alabastrites lapis vbi nascat. 390
cur vasa ex eo lapide effecta vnguentum incorruptum seruent. ibid.
eius lapidis facultates. ibid.
Albemoluh plantæ semina magna facultate prædita. 598
Alces, vel magni animalis cornu rara vi pollet. 691
quo tempore auferendum ab Alce, vt tali sit præditum facultate. 692
Alchermes, confectio affectionibus melancholicis ex atra bile conducens. 706
Alcyoniorum varia genera. 20.21
Alectorius lapis vbi inueniat. 344
eius descriptio, facultatesq;. ibid.
vsus eius reddit hominē inuictum in certaminibus. 346
Alyssum, fruticosa herba describitur. 507
in montibus, & asperis locis emicat. ibid.
multiplici pollet facultate. ibid.
Alysson cur dicatur. ibid.
Alumen vnde dicatur. 164
quæ eius facultates. 165
ex quibus constet. 164
Aluminum varia genera perscrutantur. 167
Aluminis Rochæ minera, qua ratione conficiatur. 459
eius vsus. 460
Amethystus, gemma Mantuani Principis egregiè describit, iconeq; representatur. 189.90
Amethystus lapis ad plura vtilis. ib.
causa eius nominis. 190
Amethystus Apostolorum symbolum gerit. ibid.
Amethystus triplex. 193
Amiantus lapis describitur. 286
cur ita nuncupatus. 287
igni resistit. ibid.
Amianti allegoria. 290
Amianti varia nomina. 288.89
Amomi vua quid, controuertitur inter Auctores. 591
Ananas, fructus ex prouincia S. Crucis in Brasilia describitur. 612
eiusdem facultates, & qualitates. ibid.
Androsaces Diosc. describitur. 19
quibus prosit. ibid.
Angelica planta describitur. 530
duplex, domestica, et syluestris. ib.
eius vsus. 531
Anguilla lapidosa natiuam referens. 421
Animal Moschiferū descriptū. 661
eiusdem facultas, & proprietas. 662
Animal Moschiferum icone expressum. 666
Aquilinus lapis qua ratione gignatur. 319
mirabilis eius facultas in re Medica. 321
Argenti minera ex valle Ioachimica quid. 458

Argenti

Argenti minera Annebergica. ibid.
Argenti minera Suecica. ibid.
Argenti minera Bohemica. ibid.
Argentum fossile Anneburgiũ. 439
Argenti viui mineræ. 439
Argenti viui minera Suacẽsis. 440
Argenti viui natura, & facultates. 441
Armeniaci lapidis minera. 468
vim habet in re medica. 469.70
Arietis caput à natura in petrã elaboratum. 417.
Aristolochiæ nomen vnde. 512
mira illius facultas. 513
Aselli Merlucij maxillæ. 79
Asij lapidis frustum. 349
prodest quamplurimis. 350.51
Astachus græcorum, & latinorum, maris alumnus. 96
Astachi marini chela prægrãdis. 97
Aster Samius descriptus. 115
multiplex eius virtus. ibid.
Aspalathũ ad quæ adhibeatur. 572
variam obtinet facultatem. ibid.
Aspalathum Ruellij. 574
in tractu Rhodio abundè prouenit. 574
Atramentum Indicũ duplex. 677
Auellana Indica describitur. 599
Aurata lapidea, maris Mediterranei auratam repræsentans. 421
Auri mineræ tres. 436
Auri obrizzi allegoria. 437
Aurum possit arte cõfici, necne. 438
Auri puri granula. ibid.
Auri pigmentum fossile. 472
eius facultas. ibid.

B



ALSAMI Occidentalis, Peruaniue fructus effigies. pag. 602
eo fructu vtuntur Indi ad capitis dolores, et defluxiones. ibid.
Balsami Orientalis fructus describitur. 604
Bammiæ plantæ descriptio. 520
eiusdem facultates. ibid.
Baobab fructus historia, & virtus. 598
Baobab lapideus. 414
Batidis græcorum, & Plinij. 91
cur ita nuncupetur. ibid.
Bdellium legitimum quid. 635
eius virtus. 636
Behen album, & rubrũ. 580
valet ad multa. ibid.
Beidelsar quid, vbiq; nascat̃. 521
eiusdem facultates. ibid.
Belliculi marini quid. 57
eorum vsus. ibid.
Belloculus, gemma Assyriorum Deo sacra. 379
eius vsus. 380
Beretinus fructus descriptus, iconeq; incisus. 601.2
Berylli descriptio. 220
Beryllus in sacris literis magna habetur existimatione. 221

Berylli

Beryllii facultates, & allegoria. pag. 221
Betræ ortus, formaq; . 548
differt à Malabatro. ibid.
multiplex eius vsus. ibid.
Bezaartici lapidis forma. 336
genus eius multiplex. 337
quomodo gignatur. 340.41
mira virtus eius, atq; vsus. ibid.
Bezaar animalis pilus. 704
Bibliotheca Calceolaria, & aliæ quædam. 721.2
Bitumen vnde oriatur. 175
Bituminis genera. ibid.
Bituminis virtus ex Auicena, Galenoq; . 177
Bituminis allegoria. ibid.
Bolorum varia genera. 110.11
Bolus Armena.
abditæ eius facultates. 470
Bonduch fructus exoticus. 613
eximia viget facultate. ibid.
Bryon marinum lactucæ folijs à Plinio descriptum. 19
Bucardia à Bubulo corde nominata. 418
Buccinum Plinij descriptum. 49
Buccinum paruum Rondeletij. ibid.
Buffonitis lapidis historia. 363
varia eius virtus. 365
Buna fructus describitur. 588
vim habet refrigerandi. ibid.

C

CACAO, fructus multi vsus describitur. pag. 606
Cadmia, racemaria scilicet græcorum duplex. 460
cur racemaria dicatur. 461
Cadmia lapidosa varij vsus. 460
Cadmia racemaria oculorũ medicamentis vtilis. 461
Calamitæ albæ abusus damnatur. 124
Calami aromatici delectus, & descriptio. 550
dissidium de Calamo aromatico inter Auctores. ibid.
Calamus Martinelli, ex Malacha Indiæ prouincia describitur. 553
Calcei Indici viriles, & muliebres. 714
Cancrorum pluuiatilium lapillus descriptus. 369
præsentanea eius virtus. ibid.
Canellæ albæ Clusij duo genera. 571
quodnam præferendum. ibi.
Cancrorum varia genera. 95.96
Cancrorum ingenium in insidijs struendis Ostreis. 96
Caious fructus descriptus. 606
valet ad multa. 607
Canicula Plinij descripta. 65
ardet libidine in humanas carnes. ibid.

Cancamum, Arabici ligni lacryma. pag. 632
Cancamum græcorum quid. 633
eius tria genera. ibid.
Carana lingua Indica, Resina dicitur. quid. 624
mirifica eius vis. ibid.
Carbunculorum, qui Granati dicuntur, minera. 442
Carbo Batauorum ex luto nigro. 458
Carbo fossilis, ex succo bituminoso genitus. ibid.
Carcariæ canis, Aristot. piscis marini caput. 67
Cardamomi tria genera describuntur. 596
Caryophylum Plinianum descriptum. 616
Caryophyllifera arboris gummi descriptum. 628
Carpesium quid. 555
duplex eius genus. ibid.
varia pollet facultate. ibid.
Carub, Ægypti planta. 613
Cassia Græcorum nulla diligentia sub cœlo Septentrionali excoli potest. 561
vbi nascatur. ibid.
quænam eligenda. ibid.
plures obtinet facultates. 563
Cassia poëtarum quid. 561
pseudoCassiæ allegoria. 563
Cassia fistularis quid. 540
magna cautione exhibenda. 542
magnæ sunt eius facultates. ibid.
allegoria eiusdem. 544
Castaneæ æquinæ Bisantio delatæ. 583
cur id nomen sortitæ. 584
Castanea purgatrix quid. 600
Castor, Fiber latinorum, animal est amphibium. 101
eius natura describitur. ibid.
Cedrus phœnicia descripta. 581
multis incōmodis auxiliatur. 582
Cedri libani fructus descript. 581
Cedria quid. 629
eiusdem facultas. ibid.
Cerui lacryma describitur. 701
cur salsa sit, & amara. 702
Cerui genitale. 703
Cerui os in corde natum, miris effertur præconijs. 697
Ceruini Cornu virtus. 699
Ceruus volans describitur. 668
vim magnam habet. ibid.
Chama nigra describitur. 48
Chama aspera latinorum. 49
Chama læuis. ibid.
Chamæleon terrestris describit, iconeq; effigiatur. 658.61
Chamæleon aëreus describitur, & icone repræsentatur. 668
Chalcanti varia genera recensentur. 474. & seqq.
Chalcitis purissima descripta. 476
plura eius genera. 477
Chamæleonis albi, & nigri radices describuntur. 502
multiplex eius vsus, & virtus. 503.4

Chute,

Chate, cucumeris Ægyptij genus describitur. 522
mira virtute pollet. 523
Chelidonius lapillus duplex descriptus. 359
variæ numerantur eius facultates. 360.61
Chencritis lapis Plinij vnde dicatur. 316
Chrysocolla duplex, natiua, & factitia. 375
quibus conferat. 376
Cinnamomi planta describitur. 568
Cinnamomi vox vetustissima apud Hæbræos. 569
Cinnamomi vires eximiæ. 570
Cœrunius lapis describitur. 305
eius generationis locus, ratio nominis ethymologica. 309
eiusdem facultates, & allegoria. ibid.
Cœruleum fossile ex Bohemiæ fodinis. 231
Cœruleum natiuũ ex Hispanijs. ibi.
Cœruleum Cyprium ex Poloniæ fodinis. ibid.
Cœruleum Puteolanũ, & Sueuicum. ibid.
Cœrulea diuersa. 232
Cochleæ, Conchulæ, Chamæ, & id genus alia maris eiecta-menta. 430
Cochlites Gesneri describitur. 396
Cochleæ ex mari rubro transportatæ. 54
Cochleæ turbinatæ. ibi.
Cochleæ diuersi generis. 53.54
Coccus de Maldiua descriptus, iconeq; expressus. 620.21
Coccus delli Andi descriptus, iconeq; expressus. 622.23
Conchæ diuersi generis. 29.& seq.
Concharum ortus, nomen, & forma. 32
Conchæ Margaritiferæ allegoria. 32
Concha venerea cur ita appelletur. 34
Concharum venerearum genera. 35
Conchæ venereæ allegoria. 34
Conchæ lapideæ naturales ad viuum exprimentes. 419
Conchylium muricatum, quo Indiæ populi tubarum loco vtuntur, icone expressum. 55
Copal, resina ex noua Hispania describitur. 625
eius vsus. ibid.
Coralium vnde dicatur. 4
Coralij virtutes, & facultates. 4
Coralij allegoria. 5
Coralia diuersi generis describuntur. 7.8.9
Coralij venustissimæ plantæ icon. 12
figura plantæ Coralij naturam, & imaginem spirantis. 16
Coracinites lapides duri describuntur; commodumq; eorũ recensetur. 104
Coriandrorum, & Caseolorum semina lapidea. 410
Cornu saxeum Acheloi. 415

Cornu Ceruinum lapideum. 415
Cornu Anamonis, ſacra Æthiopiæ gemma. ibid.
Coronæ veteribus fiebant ex Cinnamomo. 570
Cryſtalli origo, præſtantiaq; 193
Cryſtallus quid ex Seneca. 194
Cryſtalli varia genera. 197.8.9
eiusdem virtutes, & facultates. 195
Cryſtalli allegoria. 201
Cryſtallus ſexangula varia virtute pollens. ibid.
Coſti Arabici, Indici, & Syriaci deſcriptio. 575.79
Coſti Arabici prælatio, viresquè. 579
Crocodillus terreſtris deſcribitur. 655
icone exprimitur. 656
Crucis lapillus, formam Crucis effingens. 392
vnde exportetur. ibid.
Cuciophoræ plantæ deſcriptio. 599
Culter lapideus icone expreſſus. 317

D


ACTYLI Idæi deſcriptio. 302
cur Idæus appelletur. ibid.
multiplex eius genus. 303
vocatur etiam Belemnites; & quare. 304
rara viget, virtute. ibid.
Daucum Creticum deſcribitur, & diuiditur. 516
efficax eſt medicamentum ad multa. 517
Den, ſeu Dende Arabum quid. 588
ſingulari purgandi facultate præditum eſt. ibid.
Dentale Tubuli marini vbi naſcatur. 56
Deſcriptio phyſica, & moralis rerum huius Muſæi. 732
Diophryges cur ita appelletur. 461
qua ratione fiat. ibid.
triplex reperitur. 462.63
Draco marinus Æliani deſcribitur. 64
Drakenæ radix deſcripta. 576
varia eius virtus. 577

E


BVR, & Vnicornu foſſile. 473
Echini marini varij. 84
Echinus marinus deſcribitur. ibid.
cur id nomen ſortitus ſit. ibid.
Echinus marinus ouarius magnæ prædicatur virtutis. ibid.
Echini marini allegoria. 85
Echinometra Ariſtotelis, & Plinij cur ita vocetur. 86
Echinites à Geſnero deſcriptus duplex. 403

Echinus marinus saxeus. 412
Electarium, seu Confectio ex Hyacintho, alijsquè gemmis. 705
multiplex eius commodum. ibid.
Electarium Matthioli aduersus venena omnia. 709
Electarium pro adimenda Epilepsia, à Vincentio Mantuæ Duce Calceolario donatum. 710
Enhydros lapis Plinij. 324
vnde ita vocetur. 325
eius natura describitur. ibid.
Equinus lapis descriptus. 404
Euosteus lapis describitur. 312
Examen, seu vesparium, petreo scruto efformatum. 412
Exustio rerum in medicina quid præstet. 698

F


ABA Indica, cor Sancti Thomæ appellata describitur. 601
Faber piscis, quem Zeum Plinij nuncupant, cur ita dicatur. 67
idem describitur. ibid.
Romanorum est Citulv, seu piscis S. Petri. 68
Fagara Auicennæ fructus Aromaticus, eiusq; facultas. 582
Fagara minor Carpobalsamo. ibid.
Farina arboris Indici fariniferi. 711
Ferri minera. 450
Ferri vena ex Bohemiæ fodinis. ibid.
Ferri vena Iluana. ibid.
Ferri gleba ponderosa. 451
Ferri necessitas, commodumq;. ibid.
Ferrum trahatur ne à magnete, an potius per se ipsum ad magnetem moueatur. 452
Fibri testes, oui anserini magnitudinem non excedentes. 94
Flabella diuersa ex Indijs allata. 714
Fœniculi caules lapidosi, icone expressi. 422
Folia arborum lapidosa. 427
Fructus peregrinus, ponticæ nucis magnitudinē non excedens. 601
Fructus exoticus ignoti nominis. 602
Fulminei lapides descripti. 305
qua ratione generentur. 307
diuersimode effigiati sunt. ibid.
Fulminis allegoria. 309
Fungi Ceruini historia. 700
maximo est vsu in medicamentis, qui venerem conciliant. ibid.
Fungus lapideus icone expressus. 417

Gagatæ

G


AGATÆ lapis describitur. 355
vnde nomen trahat. 356
virtutes, & facultates eius recensentur. 357
Galactitis lapidis nomen vnde. 277
eiusdem color, & facultates. ibid.
ex quibus generetur. 399
proficuus eius vsus. ibid.
memoriam adimit, vel iniuriarum. ibid.
Garrulus Bohemicus perbellè describitur, iconeq; exponitur. 674
Gazelæ Cayri cornua describuntur. 692
Gemmæ varij generis, earumq; facultates. 187. & seq.
Geodes lapis multiplex. 323
optimè describitur. 397
pollet varia facultate. 324. 397
Genu humanum saxeum. 412
Gingiberis radicum contortarũ lapideum specimen. 413
Gypsi plura genera. 279
diuersæ eius facultates. ibid.
Globulus fili lapideus. 414
Glossopetra Gesneri. 417
veneno præsente, in mensa à nonnullis sudare creditur. 418
Glossopetras Plinius humanæ linguæ similes facit. 309
quo loco nascantur. 310
Glossopetræ variæ in Musæo. 310
Guaiaci arboris fructus ex India delatus, describitur. 584
Guaiaceni arboris gummi. 630
Gummi, seu resinæ genus, ex noua Hispania. 624
valdè confert in re medica. ibid.

H


Eliotropium gemma describitur. 219
admirabili præcellit virtute. ibid.
Hæmatitis species, figura sculpta exponitur, & describitũ. 273
Hæmatites vnde nomen trahat. 270
plures eius facultates. ibid.
Hæmatitarum quinque genera ex Plinio. 272
Hippopotami dentes. 694
ab eo animali flebotomiæ vsũ medicina hausit. 696
Hippopotami frustum pellit. 703
Hirundinis allegoria. 76
Hirundo Plinij describitur. 75
Hippuri Arist. maxillæ descriptæ. 105

I


Aspidis varia genera descripta. 253
Iaspidis facultates. 253

Iaspidis allegoria. 255
Idola Ægyptia icone expressa. 715
Ignis perdurantis in sepulchrorum lucernis causa. 716
Imagines variæ præclarorum virorum. 726
Indicus fructus sine nomine, corniculis persimilis, & icone expressus. 616
Indici fructus icone expositi. 619
Insula Chios valdè celebris ob terram in ea nascentem. 125
Iunci odorati planta laudatissima. 527
variæ eius virtutes. 529
Ixia planta, videlicet, Chamæleon niger describitur, commodumq; eius exponitur. 632

L.


ACCA arbor describitur, eiusq; facultates narrantur. 630
Lacerta Chalcidica descripta, & cur ita appellata. 656.57
varius eius vsus. ibid.
Lampetra quid apud auctores. 427
Lapides varij, piscium figura veluti insculpti, effigiatiquè. 428
Lapides, lampetrarum, hirundinumquè formam referentes. 426
Lapides variorum Conchiliorũ figura delineati. ibid.
Lapidosorum lignorum frusti. 422
Lapidescentes res qua ratione efficiantur. 405.6.7
Lapilli rotundi, globi dimidiati figura. 96
peculiaris eorum facultas. ibid.
Lapilli in faucibus Carpionis reperti, mirabilisq; eorum virtus. 97
Lapis Eislebianus Agricolæ. 429
Lapis in figuram Simiæ naturaliter effictus. 425
Lapis in figurã Abrotoni plantæ. 419
Lapis in figuram nemoris, iconeq; expositus. 420
Lazuli lapidis, seu glebæ minera. 467
eiusdem facultates. 468
Lazuli lapidis natura, & virtus. 228.29
Lazuli minera cum Armeniaco mista; & Armeniaci minera cum Lazulo mista. 471
Lenticula Serapionis marina. 19
Lentis proprietates narrãtur. 587
Leo marinus delineatur. 95
Lepus marinus, eiusq; proprietates. 74
Lydius lapis, & eius natura. 353
eiusdem allegoria. 355
Lincurius, seu Lyncis lapis, ac multiplex eius vsus. 377
Liqui dambar describit̃; eiusq; virtus recensetur. 626.27

Lucer-

Lucernæ fictiles è terra cocta, vsusq; earũ apud antiquos. 716
Lunaria minor, & eius virtus recensita. 518.15

M



AGNES lapidibus omnibus nobilior. 257
eiusdem præconium. ibid.
Magnetis varia nomina. 259
Magnes à quo dicatur. 260
vnde vis trahendi illi accidat. ibid.
Magnetis variæ species. 262.3
qua ratione ferrum attrahat. 264.65
mirabilis, & varius Magnetis vsus. 266
suas in re medica facultates habet. 267
Magnetis allegoria. 268
Maia fœmina ex Cancrorum marinorum genere. 97
Malachites gemma describitur. 218
vnde nomen sortita. ibid.
eius facultates recensentur. ibid.
Malabatrum describitur. 546
multiplici virtute pollet. 547
Malabatri fructus descriptus. 588
Margaritæ allegoria. 256
Marum herba describitur. 525
non est viribus inefficax. 526
Melanteria friabilis. 475
Melhembethene fructus exoticus describitur. 612
Melachia, Ægyptiorum planta descripta. 522
vires habet ad multa. ibid.
Melisites lapis describitur. 277
eius facultas. 275
Metallorum miscella quædam perstricta. 455
Meum legitimum descriptum. 517
vsus eius in re medica. 518
Miluus latinorum lucerna à Plinio vocatur. 76
eius allegoriæ. 77
Myax Dioscoridis descriptus. 48
Minij minera describitur. 464
varius eius vsus. 465
Misy durum descriptum. 476
Myrrha legitima. 634
Mitulus in lapidem conuersus. 420
Mitulus descriptus. 48
Molle, arbor in Perù nascens, describitur. 523
multiplex eius vsus. 524
Molibdæna duplex describit. 397
Monoceroti cornu frustum. 687
Montana Nardus vbi nascatur. 526
eius descriptio. 527
Morachtus lapis qualis. 275
varia ob effectus, quos prodit, sortitus est nomina. ibid.
Moschi historia, & virtus. 662
Mumia multiplex descripta. 696
varius eius vsus in re medica. 697

Mungo, semen exoticum describitur. 611

N



APELLI radix, eiusq; vis describitur. 495.6
Nautilus lapideus descriptus, iconeque expressus. 415.16
Nephritici lapidis, Isada ab Hispanis vocati, descriptio, historia, atq; facultates. 333.4
Nephritici ligni commodum, atque descriptio. 575
eius vsus. ibid.
Niccoli facultas, variaque eius species. 212
Nitrum vnde sumpsit vocabulum. 159
Nitri natura, vires, atque in re medica vsus. 160
Nitri variæ species. 162
Nux Indica quid. 609
exactè delineatur. 610
ex ea oleum exprimitur magnæ virtutis. 611
Nucis Mysticæ, vulgò Moscatæ, descriptio. 590

O



BSIDIANVS lapis Plinij describit̃, eiusq; vsus innuitur. 380.81
Ochræ variæ recensentur. 137
Odorum natura exactè discutitur. 650
Odorum naturam cur Plato Semigeniam dixerit. 649
Oleorum genera diuersa. 642
Oleum infernalis ficus describitur, eiusq; commoda narantur. 641
Oleum Matthioli, eiusq; virtutes. ibid.
Onyx gẽma accuratè descripta. 209
causa nominis. ibid.
plures eius effectus. 210
eiusdem allegoria. 211
Onychinæ gemmæ lapides. ibid.
Opallus gemma describitur. 207
magno in pretio apud priscos. 208
tot habet virtutes, quot colores. ibid.
pseudoOpallus Cardani magni apud Indos precij. 209
Ophites lapis Gesneri mira facultate pollens. 379
Opobalsamum præstantissimum, qua ratione dignoscatur. 637
Opobalsamum Peruanum commendatur. 639
Opocalpalo arbor, eiusq; vsus. 636
Orbis piscis variæ species. 98
Orbis piscis icone expressus. 99
Oregiella quid ex Clusio. 617
Os natum in Cerui corde mirificis preconijs effertur. 697
Ostracitis lapidis descriptio. 327
singularis eius virtus. ibid.

Panis

P


AGVRVS Venetus lapidosus. 430
Paguri Plinij descriptio. 97
eiusdem moralitas. 98
Papirus Ægyptia. 711
Panis Miliaceus lapidosus icone expressus. 411
Panis ex Secale confectus lapidosus. 412
Panis herbæ descriptio, eiusq; virtus. 505
Pastinaca, piscis latinorum. 92
eius commodum. ibid.
Pastinacæ allegoria. 93
Pecten coralio rubro in colore non dissimilis. 36
Pectunculus icone expressus. ibid.
Perna Plinij, vndeque nomen sortita sit. 46
Pes hominis in lapidem conuersus. 417
Petroselini Macedonici ortus, forma, natura, viresq;. 514
Phallus planta describitur. 18
eiusdem facultates. 19
Phaseolus ruber, Abrus vocatus. 585
Phaseolus niger, Lablab nuncupatus. ibid.
Phaseoli Brasiliani, & Nigritarum descriptio. 607
eorundem icone expressio. 608
Phaseoli varij recensentur. 609
Phaseolus Lobelij. 590
Phrygij lapidis descriptio, medicusq; vsus. 385
Piunæ, Bysci Aristot. descriptio; ratioq; nominis. 46
Piper Æthiopicum vnde proueniat; eiusq; vsus. 589
caudati Piperis descriptio. ibid.
Pyritis lapidis forma, natura, natura, atq; vsus. 382.3
Pisa. & Lentes lapideę. 410
Piscis cœli speculator descriptus. 68
vafricies huius piscis. ibid.
Pistachia lapidea. 416
Planta Saccharum gignens. 531
rara eius delineatio, & natura. ibid.
Plumbi candidi vena, 456
Plumbi medicus vsus. 457
Polypi piscis descriptio, natura, ac vsus. 71
eiusdem allegoria. 72
Pompholyx describitur. 461
inuentu rara est, quæ eligenda. ibid.
Prassij gemmæ descriptio, & virtus. 217
Pulmo marinus quid. 86
eius allegoria. ibi.
Purpura describitur. 41
variæ Purpuræ species. 43
Purpuræ moralitas. 42

R



AIÆ cauda longa eleganter descripta. 91
Raiæ allegoria. ibi.
Ranæ genus è mari extractum describitur. 80
Ranarum solertiæ allegoria. 80
Resina candida, eiusquè virtus. 625
Rhapontici radix. 524
Rhinocerotis cornu. 687
differt à cornu Monocerotis. 688
Rhinocerotis pellis natura, & vis. 703
Rhombus lapideus. 424
Rubinus gemma delineatur. 235
Carbunculi nomen sortitur. ibid.
Arist. hanc gemmam gemmarum gnomen vocat. ibid.
insigni pollet facultate. 236
Rubini, seu Carbunculi allegoria. ibid.
Rubinorum minera. 237

S



ALAPÆ radicis vsus, & commodum. 584
Salamandra aquatilis delineat. 676
eiusdem proprietates, & commoda. ibid.
Salis vires, & facultates. 139
Salis varia genera. 145.6.7
Samij lapilli vsus, ac vires. 386.7
qui præcellat ex omnibus. ibid.
Sandaraca natiua, fossilisque delineantur. 472.3
earum vsus. ibid.
Sanguinalis lapis describitur. 403
Sapphyri præconia, & descriptio. 223
sacro nomine decoratur. 224
eximiæ eius facultates. 225.6.7
Sapphyri mistica significatio. 227
Sardæ gemmæ nomen vnde. 238
eiusdem descriptio. ibid.
Sardæ frequens vsus apud antiquos. 239
Sardæ proprietas, virtutesq;. ibid.
eius variæ species. 240.41
Sardonyx describitur, & virtus eius declaratur. ibid.
Sardonychis allegoria. 243
Satyrij descriptio. 553
eius duæ species. ibid.
Satyrij seminis proprietas. 554
Scamoniæ planta delineata. 20
Schisti natura, causa nominis, viresq; indagantur. 273
Scorpius Græcorum, & Latinorum. 63
eiusdem allegoria. ibid.
Secacul quid. 549
eiusdem radicis, vsus, & virtus. ibid.
Selenites quid, & vbi nascatur. 283
eius natura, & facultates. 284

Serræ

Serræ piſcis nomen vnde. 82
Serræ vis, ac forma. ibid.
Serpens in lapidem verſus, iconesq; effigiatus. 424
Seſeli multiplex deſcribitur. 515
Seſeli ſeminis facultas. 516
Synodontitæ, lapides delineat. 104
Synodontis maxillæ medicus vſus. 105
Syriaci lapidis nomen, figura, viresq; inueſtigantur. 298.9
Smaragdi venuſta deſcriptio. 212
vnde nomen acceperit. 213
eximiæ eius excellentiæ. 214
Smaragdi natalis locus. 216
Solen mas Plinij deſcribitur. 47
Solen fœmina. 48
Solis piſcis forma, ratioq; nominis. 93
Sory ex foſſilium genere lapidoſum. 475
Specularis lapis delineatur. 281
ratio nominis, proprietatesq; eius exponuntur. ibid.
Specularis lapidis natura. ibid.
Spongites Plinij delineatur. 105
multiplex eius virtus. ibid.
Spuma lupi lapis deſcribitur. 398
Spuma argenti qualis. 471
multa virtute prædita. 472
Stanni minera icone expoſita. 467
accuratè diſcutitur. 466
Stella piſcis, eiusq; natura deſcribitur. 93
Stella piſcis lapidea. 415
Stellariæ gemmæ forma, natura, virtusq; exponitur. 370.1
Stibium foſſile Iluanum. 458
Stibij natura, ac vires. 400
Styracis arboris fructus forma, & facultas. 583
Styrax lacryma cuius formæ ſit. 627
rara vi pollet. 628
Strombites vbi naſcatur, & cuius figuræ. 388
Strombites varij in ſpiram reuoluti. 422
Succini variæ ſpecies. 180.& ſeq.
Succini egregia conſideratio. ibid.
Succus Guittaiemon è Sinarũ regno ad multa confert. 631
Sulphuris variæ ſpecies. 169.et ſeq.
Sulphuris natura, et facult. 170

T



Abella lapidea, Ægyptia myſteria exprimens, declaratur. 293
Talci minera Tirolenſis. 459
Talcus foſſilis vnde nomen adeptus eſt. 458
eius natura, ac forma. ibid.
Tarantula deſcribitur, eiusq; proprietates. 666.7
Taurorum fellis, & renum lapis. 381
Tellinarum Concharum variæ ſpecies. 49
Terra lemnia, eiusq; facultas. 116

Terra Iluana, eiusq; facultates. 122. & seq.
Terra Lilia, eiusq; facultates. 124
Terra Eretria, eiusq; facultates. 124
Terra Chia, eiusq; facultates. 125
Terra Salinatiæ, eiusq; facultates. 126
Terræ varia genera. 127.8.9
Testudinum variæ species. 87
Tethya Arist. describitur. ibid.
Theriaca Calceolaria. 704
Thuris arboris lignum. 575
Tiburonis piscis descriptio. 104
Topatij gemma delineata. 244
Topatij nomen, & ethymologia. ibid.
Topatij allegoria. 245
Tophus Plinij. 703
Torpedinis piscis forma, natura, & proprietates. 69.70
Torpedinis allegoria. 70
Trochitis lapidis delineatio. 311
vnde id nomen sumpserit. ibid.
variæ eius species. ibid.
Truncus marinæ quercus. 17
Tubera lapidosa. 411
Tubuli, seu Siphunculi marini delineantur. 56
Turbinum variæ species recensentur. 51.52
Turbinum allegoria. 51
Turbo magnus, eiusq; natura, formaq; describitur. 50
Turboti Gallici delineatio. 429

V


ACCÆ syluestris Indicæ cornua. 693
Vasa ex purissima porcellana. 719
Venena cur à Deo creata. 496
Venetæ Reip. enchomium. 446
Verrucaria herba, eiusq; virt. 505
Vestis ex pennis Indiæ volucrum. 713
Vetulæ effigies operis tesselati. 720
Vincetoxicum describitur, eiusquè virtus narratur. 521
Vicia Aphricana, & facultates eius. 586
Vitulus marinus delineatur. 60
Vnguis onagri legitimus, eiusq; vsus, ac virtus. 678

X

XYlobalsamum, eiusq; vsus, & facultates. 559
Xylocinnamomi natura, & vis. 572
Xiphia piscis describitur. 81
eiusdem moralitas. ibid.

Z

ZEdoaria, Zerumbet Serapionis. 580
Zoophytum animal breuissimè delineatur. 86
eiusdem moralitas. ibid.

FINIS.

AEQVAE POSTERITATI FAMAE PROPITIAE
MIRACVLVM
PVRIORIS ORIS
T E
ANDREA CHIOCCHE
SISTO
MAGNVMQ. MVSARVM POLITIORVM
ANTISTITEM
PARTIARIO CVM CERVTO
HEV QVONDAM
CELEBRIS MVSAEI HVIVS
PRIORI NOMENCLATORE
AGEREM
NISI LONGE FACVNDIOR TIBI SEGES
VENERESQ. PROPITIORES
ET MATHESI SVPERESSES
MERITO CVM ADMIRATIONE
LITTERATORVM PORTENTVM
ET LAVDE
VERIVERBIO GENTIVM VBIQ.
AVDIS
N. N.
CONSTANTIS AMICITIAE ERGO
F.

Errata complura Typographica, quæ in hocce Museum operarum incuria, & supina conniuentia irrepserunt, eruditi, & candidi Lectoris iudicio emendanda dimittuntur; vt cum coloris pro caloris; præficere pro proficere, expressum pro expressam, Astomonum pro Astomorum, Montanum Nardum pro montanam, latinè, & Italicè Scriptorum pro scriptis, squallorum obsitum pro squallore, rastro pro rostro, fragire pro frigore, atq; alia huiusmodi propè innumera comperiet; cum denuò in Germania reccidetur, vt auctius, emaculatius, & limatius prodeat, sedulò dabitur opera. Interim Lector nostro labore beneuolus perfruatur.

SECTIO PRIMA,

IN QVA FRVTICES, ET PLANTÆ MARINÆ ALCYONIORVM SINGVLA GENERA TESTACEA, ET CRVSTACEA, NEC NON PISCES, ANIMALIAQVE AMPHIBIA EXSICCATA EXPLICANTVR.





RVTEX hic marinus, cuius Icon in tabella Cuprea expreſſus, lectorum oculis ſubijcitur: CORALIVM eſt tàm Græcorum, quàm Latinorum: BASSAD Arabum; à Dioſcoride, Solino, & Plinio, vt alios omittam auctores, deſcriptum: præ ramorum multiplicitate, inſtar arboris diuaricatum, quod ſpecioſum, elegánsque admodum conſpicitur, nec non rubicundo colore vndequaque maximè nitet, quia expolitum, & ab omni materia muſcoſa manu artificis expiatum:

Lib. 5. *cap.* 97. *cap.* 7. *Lib.* 32. *cap.* 2.

Tract. de Gẽmis loc. cit. Seu vt legere eſt apud Theophraſtum, & eumdem Plinium; CVRALIVM, quaſi τῇ κυρᾷ ἁλωτὸν, ideſt tonſura, & præſectione captum: hâc enim piſcandi arte, præuijs ingenij, & corporis humani viribus, eſt è mari extractum; in cuius profundis cauernis ſuas habuit ſedes, ac proprios lares: primitiáſque generationis à ſucco rubro lapideſcente ſuſcepit, quem planta mollis, & viridis, tactúque propè carnulento, quam diù ſub vndis manſit, ratione cuiuſdam proprietatis, & affinitatis pro ſui incremento attraxit: mollitie poſtmodum illa relicta, ac proprijs natalibus derogatis, quòd ex profundo maris ſit expiſcatum, & exemptum, in lapidis ſoliditatem, aëri expoſitum, ſtatim abierit; non ſecus, ac ferrum igne emollitum, aquâ poſteà merſum illico ſolideſcit; quam proprietatem non minùs candidè, quàm eruditè deſcripſit Ouidius hiſce carminibus, in fabulâ illâ de Andromedâ, & Perſeo.

Metamorph. lib. 4.

Nunc quoque Coralijs eadem natura remanſit,
Duritiem tacto capiant vt ab aëre. quódque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum.

Dactylothec. cap. 20. Hoc idem expreſſit Marbodeus Gallus, Poëta vetuſtiſſimus, cuius etiam virtutes elegantiſſimis hiſce verſibus decantauit.

CORALLVS lapis eſt, dum viuit in æquore vimen,
Retibus auulſus, vel cæſus acumine ferri,
Aëre contacto fit durior, & lapideſcit,
Quiquè color viridis fuerat, modo puniceus fit.
Et velut Arbuſculi ramuſculus eſſe videtur.
Circa ſemipedem vix longior inueniendus.
Ex quo finguntur geſtamina commoda multis,
Quippe ſalutaris geſtantibus ipſe probatur,
Illius vt dixit Zoroaſtes mira poteſtas,
Et ſicut ſcribit Metrodorus maximus auctor,
Fulmina, Thyphonas, tempeſtatéſque repellit,
A rate, vel tecto, vel agro quocumque geratur,
Aut in vinetis aſperſus, & inter oliuas,
Aut à ruricolis cum ſemine iactus in agros,
Grandinis auertit calamis contraria tela,
Multiplicans fructus vt fertilitate redundent,

Vmbras

Vmbras Dæmoniacas, & Thessala monstra repellit,
Introitus præstat faciles, finesq; secundos,
Collo suspensus pellet de ventre dolorem.

Et alibi etiam idemmet Ouidius, quamuis tritum, & vulgatum carmen. *Metamor. lib. 15.*

Sic & Coralium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Vt meritò Gorgonia quoque nominari liceat, etenim Gorgonas Phorci filias, Gorgadas Insulas in Oceano Æthiopico sitas habitantes, in lapides versas fingunt Poëtæ: quâ motus similitudine Plinius conterraneus noster, summus inquam ille rerum naturalium indagator, Gorgonia nihil aliud esse scripsit, quàm Coralium nominis causâ, quia mox vt in aërem profertur, in duritiam lapidis mutetur. Vti & Lithodendron à Dioscoride nuncupatur, partim ex eo, quòd in lapidem conuertatur, partim quòd Arbuscula sit. hinc & Dendritis eiusdemmet Plinij. Nec desunt Viri doctissimi, qui Vatem nominent: quia si nudam corporis partem tangat, pallescat, si gestanti quid periculi, aut morbi incumbant, vt nouus inter frutices marinos Chamæleon colorem innatum mutat. & ne fictitia expressisse credatur, caussam pariter à dogmate philosophico haud aberrantem, referunt; quod vapor ille, qui nondum molestiam homini afferre potest, substantiam teneriorem lapidis affligat, & patiatur Gemma hæc rubens, quod homini ferendum erat: CORALIVM è mari emergens, aërique expositum in duritiem lapideam deriuare, vt Nomenclatori huic nostro, quem historiâ, ac moralitate exornatum instituere est in votis, magis audacter per ora Virûm spatiari detur, non inconcinnè homini illi aptari potest, qui à procellosis tribulationum mundanarum vndis hic inde agitatus, succo tamen diuinæ gratiæ imbibitus, præuiâ animi constantiâ, & fortitudine, contumeliosos insultus pro nihilo habet, immotus procellis resistit, ac tandem quibuscumque aduersis successibus deuictis, lætabundus ex turbulentissimo infortuniorum pelago prosilit, in hominúmque conspectum prodiens, virtutum medio ad gloriæ soliditatem peruenit.

Marginal notes: *Lib. 37. cap. 10.* — *Loc. cit.* — *Loc. cit. cap. 11.* — *Moraliter quid Coraliū.*

Placuit

Placuit beneuole Lector, initio huius operis, ex ijs, quæ ex locuplete marinæ ſtirpis ſegete in perhonorificum domus Calceolariæ conclaue, veluti Theſaurum, ſunt collecta, ac repoſita, à Coralio, vti planta nobiliſſima, ſumméque admiranda, exordium ſumere, quamuis enim rei herbariæ cultores, vt & alij, apud quos maximus eſt rerum variarum delectus, plantas illas admirari ſoleant, quæ ob irrigationem continuam ab humore terreno fluentem, ad incrementum perficiunt; & quæ Solis radijs, Lunæque viribus, veluti inebriatæ, non ſine ſpectantium oblectamento, in amplam, venuſtámque formam, ac ſi ab vberrimo ſinu erumpant, ſe ſe expandunt: nihilominus Coralium ipſum maiorem ad ſe videtur allicere admirationem; non enim in terra, vt illæ, naſcitur, creſcit, & germinat, ſed vitam fruticis viuendo, in intimis ſaxis ipſius maris radices emittit, vt ita Genuinus campus huic mare videatur; præ nimijs aquis non obrutâ virtute, ac ſi non niſi mari coaleſcere natura queat, incrementum illi neutiquam deficit. Quin potius nunquam à Sole tactum in ramoſiſſimam figuram, arboris inſtar adoleſcit. Non illarum herbarum ritu, (quarum frondes, vt notat Plinius, & ſi virides è mari ſint exemptæ, protinus Sole tactæ in ſalem areſcentem vertuntur,) in materiam ſalſuginoſam mutatur. Sed ex plantâ molli, vt primum contigit auras, ad lapidis ſoliditatem, Diui Baſilij verbis inhærendo, tranſgellatur. Vnde meritô tùm ob nobilitatem à natalibus aquiſitam, (genitricem cum habuerit aquam, nunquam maledicto ſubiectam, vt habetur Gen. 1. cui etiam affinitatis vinculo memorandus ille ſuccus lapideſcens ſe coniunxit) nec non ob inſignes facultates, quibus in re modicâ pollet, vnum primum, & illud nobiliſſimum, ſumméque aſpiciendum, inter plantas maris alumnas, venit cenſendum; nec abs re ſit factum, cum primus locus hoc noſtro in onomotologio illi fuerit attributus, quâ fortaſſe moti admiratione, nedum homines illi à cultu Diuino omninò remoti, ſed & Sanctiſſimi Patres, alijquè Viri in Republicâ literariâ clariſſimi, Coralium in ſummo habuerunt honore, & huius præpotentes virtutes ſcriptis celebrare haud ſunt dedignati:

Lib. 13. cap. 25.

In Exem. Hom. 7.

At

At quò me ducit Coralij nobilitas? plus certè vagari videor, quàm instituti mei ratio expostulet. Finis huic describendo imponatur, & ad alia Coraliorum genera disquirenda sermo dirigatur; quibus cum non vna sit figura, & forma, nec vnus color, ob succos varios, quos Planta, donec sub aquis viuit, ad se attrahit, horum varietas illomet ordine explicabitur, quo in Musæo proprias sibi sedes sortita est.

CORALIVM ergo, quod ad latus rubri assistit, cum ex succo candido lapidescente ortum traxerit, album nuncupandum venit. Huius námque crusta ipsa, nec non pars, quæ subiacet, adeô est alba, vt illud lacte suffusum, vel niueo candore albescere credas. Et quamuis non ita compactum, ponderosúmue existat, vt Coralium rubrum, & nigrum sunt, attamen non substantiâ, sed colore tantum ab hisce differt. Tertium in ordine est.

CORALII albi alterum genus, ramosum satis, cuius rami Coralio rubro crassiores, à trunculo non paruo, arboris instar efflorescunt. Tota cuius superficies punctis, veluti tuberculis consperſa visitur, cui succedit.

CORALIVM in cinereo albescens, ex mari Hispanico expiscatum, ramis onustum, duritie non multâ insignitum, sed quod facillimè admodum frangi, contundíque potest: in cuius parte exteriore notæ quædam, veluti paruulæ Stellæ, (naturâ sic ludente,) hinc indè impressæ sunt. Coralium est stellatum Ferantis Imperati, Viri ob virtutis meritum, vbique celebratissimi. *Lib. 27. suæ Hist. cap. 2.*

CORALIVM & illud album, ramosum satis, & mediocriter durum, è mari illo trasportatum, quo Baleares Insulæ alluuntur, suum habet præfinitum locum. Hoc sanè adeò perbelle in illius ortu est à naturâ constructum, vt iuncturas animalium, & veluti ossa illa exprimere videatur, quorum medio dearticulationes in corporibus inuicem connectuntur, vt nō præter rem Coralium articulatum ab eodem Imperato nominetur: ijs in ordine sunt reliquæ Coraliorum species, quæ describuntur. *Loc. cit.*

CORALIVM album, cui tamen color fuscus, ac si corneus esset in totâ substantiâ annectitur. satis durum, & mediocri-

Lib.27. cap. 3. ter ramosum, inter vegetalia, substantiâ Coralio proximâ, ab Imperato enumeratum; cui Pori Ceruini nomen fecit, fortassè quia ramulos, (quamuis paruos, & minutos) ad similitudinem Ceruini cornus erectos, sparsósque habere videatur.

CORALIVM in colore subobscurum potius, quàm quod albescat. ramis frequentibus scatens, cuius substantia fungosa est: tota etiam superficies inæqualibus lineis abundat, vt vndique spectanti, canaliculi, seu festucæ appareant, ac si crebris acetabulis insculptum esset: quod si verucosum dices, nomen rei perpulchrè aptabis.

CORALIVM album. duritie rubro, & nigro æquandum, cuius totum corpus breuibus quibusdam Cylindris inæqualibus, tuberosis, vt articulati essent, à naturâ constructum visitur, qui pennæ Anserinæ crassitiem non excedentes, parte internâ, radiolis exilibus, iísque spissis, à centro incipientibus, & in crustam satis asperiusculam desinentibus, pleni sunt.

CORALIVM album quorundam (sed perperam) Iuncus potius petreus Plinij illius Germani. Gesneri nimirum: quòd huius substantia lapidea sit, & diuersis canaliculis inanibus, ac internodijs quibusdam, vt sunt Iunci læuis stili, seù culmi, virgæuè, distincta, nec non erecta appareant. dentibus est facilè friabile: Et quamuis subsalsi quicpiam redoleat, (quod extra mare in litus proiectum reperiatur hoc lapidei iunci genus) insipidum potius gustanti sese offert.

Lib. de figuris lapidum.

NE



NE quid ad exactam CORALIORVM deſcriptionem deſiderari poſſit, incongruum haud fore iudicaui, ſi poſt Coralij rubri exemplar, ac eiuſdem, vti & alborum naturam, & mores delineatos, Coralij Illius Icon repræſentetur, quod ob ſuccum atrum lapideſcentem, à plantâ in imo maris attractum pro ſui incremento, adeò nigri eſt coloris, vt Ebeno ligno ſolido, & ponderoſo, intus nigro, foris Buxi aſpectu, collatione factâ poſſit iure meritô æquari. Perlegans

gans eſt hic Frutex, non enim inanis,& concauus, ſcabroſusue exiſtit,ſed à cortice deraſo inſigni læuore perpolitus,in lucem prodit. Et quamuis non ita conſpicuus cenſeri poſſit, vt Coralij rubri Planta, ramorum multiplicitate inſignis; ab huius tamen trunco rami ſatis ampli, & longi fruticantes, in egregiam formam extolluntur. Coralium eſt
Lib. 5. cap. 97. nigrum Latinorum, Antipathes à Dioſcoride nominatur, ac
Lib. 37. cap. 10. ſi Gemmam nigram ex Plinio nuncupare velles,quam tamen non tranſlucere addit. Iſidos Plocamon ex Iuba eſt: de quo
Lib. 15. cap. 25. idem Plinius ſic ſcribit,

Tradere Iubam, circa Troglodyticarum Inſulas, Fruticem in alto reperiri, & vocari Iſidos Plocamon, Coralio ſimilem, ſine folijs, ac præciſum mutato colore in nigrum dureſcere, cum cadit, frangi.

Nec deſpiciendi veniunt, quinimò maximè attendendi, Coraliorum Frutices illi,quos per Muſæum animi recreandi cauſas,& noua contemplandi, lento gradu ſpatiantibus, admirari datur; inter quos Coralij truncus adeſt, ab arbore auulſum dices, ob cutem extimam ademptam, adeô expolitum, vt in nigerrimo colore ſplendeat; à quo ramuli quidam, ac ſi eſſent ſtili, ariſtæ triticæ modo hirſuti, & oblongi, non inordinatim pullulant, vt non abs re Coralij hirſuti nomine cohoneſtari poſſit.

Vti etiam non ſilebo Coralij plantam ſatis ſpecioſam: hæc námque ramulis multis partim rubris, partim albis, alijs nigris cum ſit ornata, intuentium animos exhilarare valet: in cuius ramis colorum hæc varietas non aliunde prouenire patet, quàm quòd in illius ortu, (non ſecus,ac vnus lapis ex diuerſorum colorum ſuccis intra terram concreſcens, varijs ornatur coloribus,) diuerſos cum hæc planta pro ſui vegetatione,& incremento in proprium ſinum conceperit in colore ſuccos, hinc rami varietate colorum notati, emerſerint; vt ex hâc,in Coralij plantâ, varietate, dici liceat, non omnia, quæ verò creſcunt augumento, eſſe vniformia, ſed per aliarum qualitatum intro ſuſceptionem, varios nedum colores, ſed & formas referre.


Subiungam Coralij Fruticem parenti ſaxo immaturè adhærentem; nempè qui ſub vndis manens, ac in proprio domicilio exul-

exultans, ad perfectam tamen ſucci lapideſcentis concoctionem deueniri non fuerit datum. Hic meatibus non eſt immunis, quò hunc eumdem ſuccum capere poſſet; ab huius trunco ramuli, ſeu virgulæ multiplices tuberoſis quibuſdam marginibus ſignatæ, ſatis oblongæ,& flexibiles,(& ſi lignoſæ) colore veluti herbaceo coopertæ, in amplam,decorámq; formam proſiliunt.

Addam etiam Coralij plantam non ita perfectè, & exactè ad ſatietatem, maturitatémue peruentam, vt potuerit lapideſcere,colorémque Minio ſimilem acquirere. Hæc tamen ramulis quibuſdam partim ligneis, alijs ſaxeis, & ijs modicè rubentibus eſt dotata, quibus Tubuli, ſeu Siphunculi teſtacei marini in gyrum,(ò naturæ admirandũ opus)ſunt innati.

Lubens omiſiſſem Phucum illum marinum capillaceum, ſeu fœniculaceum à Theophraſto deſcriptum, folio capillaceo (vt notat Plinius) fœniculo qui eſt ſimilis, in officinis ſub nomine Coralinæ vſurpatum, & à circumforaneis (vt miris laudibus elatum!) in puluerem contritum,ad puerorum vermes tàm necandos, quàm è corpore expellendos, paſſim venditum, ni ſui ortus Archetypus,ad illum deſcribendum, quamuis inuoluntarie, cum vulgaris ſit planta, me excitaſſet: emergere námque ſine caule hanc herbulam è ſaxo, à quo etiam Coralij Frutex effloreſcit, non ſine ſpectantium delectatione conſpicitur, in ſubſtantiâ quid oſſeum referentem, cuius color non cinereus, ſed vt magis probatus, rubet.

Hiſt. plantar. lib. 4 cap 7
Lib. 13. cap. 25.




AD CORALIORVM ſpecies iam deſcriptas, non inconcinnè me facturum exiſtimaui, modò huius venuſtiſſimæ Plantæ Icon adponatur: qua humaniſſimus Pompeius Sprecchius Venetus, vt & quàm plurimis alijs rebus peregrinis, Muſæum Calceolarium nuperrime ornauit. Vir inter peritiſſimos artis

tis pharmacopœæ, qui primas Venetijs habet ſedes, & cuius hoc noſtro in opere, ſæpe ſæpius perhonorifica, meritô, fiet mentio: nec me inuito plantam hanc Coralijs ipſis pro appendice ſubnexi: non enim deſunt Viri in rebus indagandis naturalibus haud ſpernendi, qui cenſeant, hanc in aliquam Coralij ſpeciem eſſe referendam; quorum opinioni an veniat ſubſcribendum, inferius breuiſſimè tamen, explicabitur. Vt vt autem res ſit: Planta eſt elegans admodum, ex mari rubro expiſcata: tota ſubſtantia tophoſa potius (quia facilè, nullóque negotio frangitur) quàm lapideæ, ac duræ conſiſtentiæ; cuius color foris flaueſcit, parte internâ, & hæc poſt ſuperficiem albicat; quam dùm diligenter examino, è quadã materiâ ſaxeâ, poroſâ tamen, vti ad ſuſcipiendum pro ſui incremento humorem aptâ, euulſam, extirpatámue eſſe ſcias, à cuius trunco ſatis craſſo, minutiſſimis veluti punctis per totum corpus ſignato, non ſecus ac ab arbore ramiferâ, multiplices germinant ramuli, miro ordine à naturâ diſpoſiti, qui in pyramidalem formam deſinentes hæmiſphœrij quandam imaginem repræſentare videntur, quóſque Abrotani fœminæ, aut Myrriophylli folia æmulari dices. An Chamæcypariſſus poſſit eſſe à Plinio deſcriptus (vt apud nonnullos inuaſit opinio) humilis nempè, ſeu pumila illa Cupreſſus, cum Abrotano fœminâ magnam, quæ habet ſimilitudinem, in re dubiâ, quamuis hæſitare poſſet animus, hoc vnum tamen dicam: ſi ſubſtantia illa petrea (quamuis caduca, & frangibilis admodum) perpendatur, quâ tota planta in eius exortu eſt à naturâ fabrefacta; ſi poroſitates illæ attendantur, quibus omni ex parte ſcatet, ac tandem hoc fateatur, quod vero verius eſt, ab vnâ, & eâdem maſsâ, veluti glebâ, & parente, materias petreas emergere, ac pullulare, quæ fruticis inſtar expanſæ diuerſos nedum colores oſtentant, ſed & varias formas exprimunt, vt in tabellâ ad imum plantæ delineatas, cernere eſt; ineruditè non erit fateri. Plantam hanc inter illa vegetalia eſſe potius enumerandam, quæ Coraliorum ſapiunt naturam, quàm in quoduis aliud fruticis genus; & ſi foliorum ſimilitudine, quæ marginibus illis ſunt notatæ, non autem natalibus, nec tota ſubſtantia, Chamæcypæriſſo Plinij

Lib. 24. cap. 15.

nij poſſet comparatione factâ, æquari.

CORALIORVM hæc omnia genera, quæ in tàm admirando rerum ferè omnium promptuario, ad propria loca elegantiſſimo ordine ſunt diſpoſita, deſcribere non piguit; quo ſciant lectores, poſt maximos ſumptus, ſummam induſtriã, ac indefeſſos labores in rebus tàm multiplicibus, & peregrinis conquirendis, ne dum FRANCISCVM CALCEOLARIVM, ſenem illum Venerandum, qui ad nonageſimum vſque annum laudatiſſimâ vitâ eſt functus, rei medicamentariæ artificem ſolertiſſimum, inter peritiſſimos Botanicos, à clariſſimis ſcriptoribus non ſemel tantum ſummâ cum laude commemoratum; & cuius vitam, morúmque probitatem, elegantiſs. elogio Vir. Cl. Franciſcus Pola conſobrinus meus I.V.D. celeberrimus, & in Academia Patauina Pandectarũ publicus, magnâ cum audientium admiratione profeſſor, viuens deſcripſit; ſed & Franciſcum Nepotem ex filio, ob meritum à virtute emanans, ad debiti decoris ſoliditatem, Coralij inſtar, iâm perueniſſe: quod ſanè elogium è re nata ſubijciendum honoris cauſsâ duxi.






QVANTÆ dignationis FRANCISCVM CALCEOLARIVM eſſe arbitremur, cuius perhonorifica mentione Matthiolus, Marantha, Aldourandus (Dij quales homines) cæteríque primores noſtri temporis Medici, atq; etiam Hiſtorici ſuos illuſtrari libros poſſe putarunt? Quantus ſcilicet eſſe debet incomparabilis rei medicamentariæ artifex. Hic ex priſco illo Calceolariorum ſanguine priundus, qui annos iàm ferè tercentos Veronæ dira Actiolini ſæuitia infęliciter claruerũt, nihil potius à teneris vſque habuit, quàm vt Pharmaceuticen ſummâ cùm dignitate, & amplitudine exerceret. Proinde, cùm ingenio ſatis liberali valeret, & honeſtâ litterarum eruditione floreret, atque in facultatibus egregiè locuples eſſet, nihil reliqui ſibi fecit, vt exactiſſimam ſimplicium medicamentorum cognitionem adipiſceretur, ſummámque

hoc

hoc nomine gloriam ſibi compararet. Atque ſanè ſui voti præclarè compos factus eſt. Nullus enim ferè extitit Medícus, Herbaríæque ſtudioſus, qui ſine CALCEOLARII familiaritate, & peritiâ aliquam in arte famam conſequi poſſe re vera crederet. Ager verò, vnde ille præcipuè tàm copioſam meriti decoris ſegetem fæliciter collegit, anguſtum fuit domui eius conclaue, in quo omnia, quæcúmque peregrina, & rara ab eius ordinis hominibus excogitari, deſideraríue poſſunt, pertinaci ſtudio, ſumptibúſque maximis, è quacumque remotiore Mundi regione conquiſita, ibidémq; varijs loculis eleganter diſtincta, includit, curiosíſque omnibus expoſita habet. Adeò, vt propterea doctiorum omniũ amicitias, Regulorúmq; etiam beneuolentiam promeruerit. Neque iniuriâ: quando nullus poſt homines natos ſiue Rex, ſiue Imperator, tàm luculentâ huiuſcemodi rerum ſuppellectile ſe iactaſſe dicatur. At verò humanitas incredibilis & ſtupenda in excipiendis hoſpitibus benignitas, & magnificentia, ſuauiſſimíque mores à robuſtâ, quadratáque corporis formâ ſpectandi huiuſce viri excellentiam vſquèquáque comprobarunt. Præterquàmquod, & libellus quidam de Baldi itinere circùmfertur ſatis elegans, puráque pariter latinitate, & reconditâ herbarũ cognitione præclarus; quàmquàm nonnulli extant, qui hanc illi palmam inuident. Verùm ſeptuagenarius iàm ferè factus, ſatíſq; ſe gloriæ vixiſſe ratus, cariſſimíſque duobus filijs orbatus, in amœniſſimam quandam ſuam villam cui Ripulæ nomen, ad Baldi radices, ſe contulit, vbi reliquum vitæ ſuæ ſpatium inuidendâ tranquillitate bearet. Viue ſenex vel propter hoc vnum fortunatiſſime, quòd immortalitate tuâ viuus perfrui potuiſti.

Franciſcus Pola I. C.



AD eaſdemmet Plantas, quæ Coraliorum naturam, & imaginem ſpirare videntur, abs re non erit, ſi & Planta illa ſubiungatur, quam rerum exoticarum ditiſſimus Sprecchius,

non

non ambitionis, ſed liberalitatis effectum exprimens, humaniſſime ad Calceolarium miſit; & cuius exemplar, in tabella inciſum, vt quid rarum, & viſui periucundum Lectori attendendum, ſpeculandúmue exhibetur. Eſt námque Planta ex Americano Oceano extracta, fruticoſa ſatis, & virgulti modo lignoſa, non ſecus, ac Coraliorum frutices, vt plurimum eſſe conſueuêre, cùm è mari intempeſtiuè, ac immaturè eximuntur: foris illa eadem materia mucoſa, & alba eſt infecta, quâ Coraliorum ramulos è trunco frondeſcentes, ſæpe numerò coopertos annotaui; & quos etiam in Muſæo noſtro adhuc reſeruamus. Plantæ huius forma, vt videre eſt, in ſummitate quaſi ſemicircularis extat, infima vero pars, & ſi Coralij modo ſcopulo, aut lapidi innatam eſſe dices, in acumen obtuſum deſinit; vt perpulchrè illud Trinachidij genus (vulgò Ventaline) imitari videatur, quo noſtrates Matronæ æſtuante Syrio, pro corpore ventillatione refrigerando, vti ſolent; facie námque eſt plana, ad excitandum ventum apta, quæ poſtmodum in frequentes ramos, eósque etiã planos ſpargitur, ex quibus, vt firmiſſima maneat, & aëri comparando magis idonea ſit, in longitudinem, & oblíque, multi nerui retis inſtar contexti (vt Cluſianis vtar verbis) exeunt, adeô firmi, ac ſi ex cupreo filo eſſent conflati.

Vnde cum Americanæ illæ mulieres (apud quas maximus eſt huius plantæ prouentus) hâc quóque præ manibus arreptâ, ad defugandos æſtus, & vim caloris ambientis compeſcendam, flabelli vice vti ſint aſſuetæ, ſummam naturæ prouidentiam atteſtari quàm facillimè poterunt; quæ, arte deficiẽte, illa omnia humano generi ſuppeditare ſoleat, quorum medio, ne quid detrimenti patiatur, præſeruari poſſit, & longæua vitâ frui valeat. Planta retiformis à Cl. Carolo Cluſio nominatur appoſitiſſimè, & ſapienter deductâ ſimilitudine ab inſtrumento illo, quod ob raritatem (vt Varroni placet) retis nomen eſt adeptum, & quo Aues, Piſcésue capiuntur. *Exotic. lib. 6 cap. 3.* *3. de re ruſtica*

In Muſæo Truncus quidam, & ſi paruus, cuſtoditur, Amſterdamo aliquot ab hinc menſibus tranſmiſſus; quem dum diligenter examino, nullis deficientibus notis, à Quercu ma-

Hist.plātar. lib.4.cap 7 rina, à Theophrasto descriptâ, auulsum credo, ab hoc námq; rami plani emergunt, qui postmodum in alios minores, tuberculis quibusdam notatos, & Cupressi folijs haud absimiles, diuiduntur: singulorum materia lignosa est, quamuis dura, ac si saxea esset: sapor ijs, vt in Mari nati, est salsus; colorem purpureum spirasse ostentant, præ vetustate námq; aliquâ ex parte hoc denudatos remansisse, clare conspicitur: *Lib. 13. cap. 25.* de quâ etiam Arbore scribit Plinius; in Orientali Oceano Quercus, naturâ ingentes, ac procerrimas, non videri altiores cubitali proceritate, ac tradi, ijs tingi lanas, ob purpureum fortè illum colorem, quo saturas esse notat Theo- *Loc. cit.* phrastus.

PHALLVS non ille quidem obscœnus: Veretrum nimirum illud coriaceum, & ficulneum hisce scriptis exprimitur, quod Mulieres illæ Bacchi sacrificulæ, quas Græci Βαχυμενάς, Latini Bacchas nencupant, extra pudoris limites prurischentes, & in orgijs magno cum vlulatu furentes, nec non tertio quoque anno ad Citheronem montem coaceruatim conuenientes (ò vanissima, & profanissima in mysterijs decantatis gentilitas) circumferre solebant; & de quibus sic cecinit *Metamor. lib.9.* Ouidius,

Utque tuo motæ, proles Semelia, Thyrso
Ismariæ celebrat, repetita triennia Bacchæ.

Sed Planta illa delineatur, prioribus sæculis (vt obseruare libuit) incognita: teres, cute extimâ maculosâ, ex fungorum (crediderim) genere, quæ adhuc illæsa in Musæo, ad naturæ miraculum, Calceolarij compatris carissimi curâ, asseruatur: quamuis ex maritimis arenosis Hollandiæ plagis, multum à regione hâc nostrâ longinquis, quò loci crescit, transportata: cui ob similitudinē cum hominis pudendo suo præputio contecto, quam habet (singulæ eius partes si spectentur) meritò Phalli nomen videtur adscriptum. Et quāuis natura in rebus nouis gignendis semper fœcunda, laxiue admodum in huius plantæ ortu lusisse videatur: attamen ad luxuriosorum potius contemptum, & ridiculum, quam ad rei Venereæ Lenocinium, procreata est; ob temperamentum námque frigidius, quo pollet, libidinis incentiuum prorsùs extin-

extinguere valet, quàm quòd ad Veneris prolubium excitandum expetenda veniat: caueant obsecrô à tali Phallo vti nocuo, Mulieres illæ, quæ numerosam prolem adprime appetunt; quem concupiscere teneantur, natura edocet, monétq;.

BRYON quoque marinum Lactucæ folijs, à Plinio descriptum, Musæum habet: testæ terrâ comprehensæ annatum. facie à Lichene, & Pulmonaria (vt Plinianis insistam verbis) non multum dispar, & Lactucæ crispæ Planta æmula; vtpote quæ folijs rugosis, & contractis est, quæ sine caule cute rubrâ contectâ exeunt, quâ denudatâ totum corpus cribri instar perforatum spectantium oculis subijcitur. Escara marina Rondeletij Monspelliensis Medici suâ tempestate celeberrimi. Muscus intybaceus, crispus marinus Cl. Lobellij Medici Insulani, & rei herbariæ acerrimi perscrutatoris: Lactuca marina Herbariorum. An Fuci marini prima species Dioscoridis. *Lib. 27. cap. 8.* *lib. 4. cap. 95*

Quis non mirabitur ANDROSACEM Dioscor. & Plinij? à solertissimo Calceolario in tantâ rerum maritimarum scelectissimâ copiâ, vt plantam marinam pusillam sanè, sed elegantem repositam? quæ, vt in Mari nata, è saxo in cinereo albicante, & humi inuoluto, ò quàm perbellè efflorescit, exiles spargens pediculos, cirrósue glabros, nitidos, crebros, & rectos; singuli singulos clypeolos medio centro sustinentes, circinnatum Vmbilicum vrachis appensis qui referunt: vnde Vmbilicus marinus à Monspelliensium scholâ nominatur: tota albescit hæc Planta, quod vndis eiecta, sub quibus ex squallido, cinereóque virebat, littore sit excepta. Androsaces est quorundam, ab vrina nimirum, & Hidropicorum aquis educendis. Fungus marinus exiguus à Gesnero dicitur; ob similitudinem fortasse, quam huius plantæ folliculi in summitate adhærentes, cum fungis nostratibus, formâ ipsâ habere videntur. Musci marini genus Melchioris Guillandini Borussi, Medici, & Botanici prꝭstantissimi. *lib. 3. c. 123.* *lib. 21. cap. 4* *Lib. de figur. lapid. cap. 7*

LENTICVLA similiter marina Serapionis, Tyrreni Maris, & Adriatici indigena: habetur, *Folijs angustis, Osyridis, Scopariæ dictæ* (vt Lobellium loquentem referam) *in flexilibus loricatis spetiolis sesquipalmaribus refertis, & onustis, copiosis bac-* *Cap. 235. simpl.* *Lib. de stirp. obser. cap. propr.*

cis rubentibus, vacuis, membranaceis, teretibus, lenticulis similibus, & paribus, vnde ei nomen.

Aduers.277 PLANTA, quæ in gratiam munifici Sprechij delineatur; Scamonia est Monspelliensis, à Lobellio sub hoc nomine diuul- *lib.4.c.145.* gata: ratio nominis, quia Scamoniæ legitimæ Dioscoridis, *simpl.c.303.* & Serapionis folia imitetur, & eius modo lacteum succum fundat. Est etenim Planta Adriatici nostri Maris, & Mediterranei alumna, radicem quæ habet candidam, succosam, policis crassitudine, subtus terram hinc inde serpentem, cui caules sunt multi bipedales, surculosi, & recti, folijs leuibus, mollibus, & pallidis Hederæ quodammodo similibus onusti; florem, quæ producit, album: tota vero planta succo lacteo manat.

Nonnullas alias plantas è varijs regionibus maritimis ad Calceolarium demãdatas, cernere est in hoc pelagico Quæstore, vt Iuncum marinum Gramineum Lobellij, & eiusdem Leucoion Latifolium in suis de stirpium obseruationibus notatos. Erucam marinam, sic nominatam, quia Erucam hor- *Cap.330. simpl.* tensem sapore æmuletur. Tripolium Dodonęi, seu Turbith Serapionis, multum tamen à Turbith Mesues, & Auicenæ distantem, & quamplurimas alias, quas singulas recensere longum nimis esset.

Per maritima digrediendo, quò studiosorum animi recreari *Lib.5.c.94.* possint, Alcyoniorum quæq; genera ad mentem Dioscoridis succintissimo penicello historico delineabo; quibus nobilissimæ illæ Aues marinæ, quas Græci Ἀλκύονας, Latini Alcedones nuncupant, nomen fecerunt, non quod (vt plerique credidêre) ex earum nidis Alcionia fiant, & mari innatent; sed quia (& probabiliùs) super hæc per mare tranquillum, & paccatum fluctuantia, tempore potissimum hiberno, & brumali, quo summa est in mari tranquillitas, Alcyones nidos sibi ad fœturam fingant, & struant; vel quòd, & fortasse rectius, ex eadem materiâ, quâ & Alcyonia in mare fabrefiunt, nidum hæ Aues ferè sphœricum, vt notat Ælianus, vnico, & exiguo foramine contextum, ef- *lib.9.cap.17* forment, quô (ò admirandum in Auibus hisce sagacissimum ingenium) vnà cum prole, vndis néq; in nidum vlla parte

pene-

penetrantibus, nílque veritæ maritimas tempestates, tutæ ab hostium insidijs, & fortunæ euentu esse possint; nec non in promptu pabulum habeant, pisciculos nimirum quibus aluntur, circa nidum, veluti ad escam annatantes; quam sagacitatem expressit Aristoteles, descripsit Ælianus, nec non Isidorus: hoc idem affirmat Plinius. Sed vnum vt memoriâ dignum, ex Æliano, non silebo, cui etiam subscribit Diuus Basilius: (quódque in illud genus hominum dictum intelligatur, quibus rerum quarumlibet tranquillitas est) scilicet pariente Alcyone mare subsistere, miráque pacari serenitate, pacem, & amicitiam inter se habere ventos; parere has auiculas; non multo maiores Passere Aue, vt notat Aristoteles, media hyeme, & tamen Cœli temperationẽ ijs largiri, nec non eo tempore dies esse tranquillos, vt fœtibus hisce educandis obsequium ipsa rerum natura præbere videatur, quod similiter hisce carminibus perbellè admodum expressit Ouidius.

H.stor.anim. lib.5.cap.8
Histor.anim. lib.12.c.7.
Ibidem
lib.10.c.12.
lib.pr.cap.7.
In Exem. Hom.8.
Moraliter quid Alcyon Auis?
Histor.anim. lib.9.c.14.
Metamorph. lib.11.

Perq; dies placidos hyberno tempore septem
Incubat Alcyone, pendentibus æquore nidis:
Tum via tuta maris, ventos custodit, & arcet
Æolus egressu, præstatq; nepotibus æquor.

Hinc & Alcyonios dies illos traducere est in prouerbio, quibus datur vita non procellosa, & ęrumnosa frui, ac eisdem infortunia conticescunt.

ALCYONIVM primum Dioscoridis, ex salso liquore, qui maris est proprius (vt & cætera Alcyonia) cum spumâ, tenuissimis sordibus, vel quâdam lanugine permixtâ; in substantiam densam, & satis ponderosam, spongiæ in specie haud absimilem, concretum: cui sapor est acerbus, & tetro, prauóque odore, putidos olet pisces: tenui quâdam cute albicante est obtectum: interiore autem in parte, quæ substantiam veluti spongiosam spirat, color ad rufum, & fuscum declinat. *Loc.cit.*

ALCYONIVM sub primo hoc genere reponendum, non sine spectantium admiratione, in Musæo reconditum habetur; extuberantibus námque tubulis, nec non concauitatibus, ac si continuo vndarum fluxu, & refluxu esset compa-

ctum

ctum, vndíque plenum eſt, quod verò maiorem allicit admirationem, in adeo egregiam formam ſeipſum patefacit, vt naturam in efformando amplo, & prægrandi capitio, Diadema illud referente, quo veluti faſciâ quâdam, caput regium olim circumligabatur, artem eluſiſſe dixeris.

Loc. cit. ALCYONIVM ſecundum Dioſcoridis, cuius figura eſt longiuſcula, primóque oblongior: concreti in oculo vnguis (vt Marcellus) & vt alij penicilli ocularis, aut ſpongiæ faciem habens: leue eſt, & ſine pondere, quia rarum, & foraminibus plenum: tactui quod cedit, ac odorem pænè Algæ, Fuci marini ſpirat.

Loc. cit. ALCYONIVM tertium Dioſc. Vermiculorum ſpeciem oſtendens, & ad Purpuræ colorem accedens; cuius conſiſtentia mollis eſt. Alcyonium Mileſium Quorumdã. Alcyonium Vermiculare, ſeu Vermichiara marina Imperati, inuolucro prælungorum filorum non diſſimilis. *Hiſtor. nat. lib. 27. c. 8.*

Loc. cit. ALCYONIVM quartum Dioſcor. lanas pinguitudine ſordidas repræſentans, foraminibus plenum, vt ſecundum, ſimiliter leue, & rarum.

Loc. cit. ALCYONIVM quintum Dioſcor. Fungi figurâ; in quo nullus præſentitur odor; extima cuius cutis eſt leuis, intus verò pumicem lapidem aſperitate imitatur: omnium ſanè Alcyoniorum calidiſſimum, adeô námque inſigni caliditate flagrat, vt & pilos vrendo abſumat, cutémque corrodat, ac in eius profundum penetrans, vlcera molliatur.

Lib. 27. c. 3. ALCYONIVM Mileſium nonnullorum (ſed perperam) Tubulara potius purpurea ab Imperato deſcripta: in eius námque meatibus, quibus tota ſcatet, Tubulos, vermes marinos, vt in proprijs domunculis procreari, & viuere creditur; puniceíque coloris Coralijs rubris ſimilis, ſit. Hoc non vermiculorum ſpeciem demonſtrat, vt Mileſium Alcyonium à Dioſcoride traditum: ſed potius conſiſtentia quædam marina exiſtit, ſubſtantiæ lapideæ ſanè, ſed quæ facillimè in partes ſcindi poteſt, tota fiſtuloſa, paralellis etenim rectis, ſeu canaliculis inanibus, internodijs quibuſdam diſtinctis, miro naturæ artificio conſtructa viſitur: qui inter ſe dum coaleſcunt, ſuperficies aliquot, per interualla conſtituunt, ac ſi *Loc. cit.*

cruſtis

cruſtis adiuncta eſſent.

ALCYONIVM peregrinum in colore cinereum, ob formam non deſpiciendum: ab huius námque parte infernâ, globoſâ, & denſâ, rami aliquot ſatis oblongi, ſed craſſitie varij, ordine indiſtincto exiliunt, cornua cuiuſdam animalis referentes; quod ſi quis Alcyonium ramoſum nominabit, rectè feciſſe iudicabitur: vti etiam ob ſaporem valdè ſalſum, & acre, quo guſtantium lingua mordicatur: ſub claſſe Alcyonij quinti Dioſcoridis collocari poteſt; à ſolertiſſimo Sprecchio, Calceolario Iuniori dono tranſmiſſum, quod Alexandriâ Ægypti acceptum dicebat. [*Loc. cit.*]

ALCYONII, & aliud genus non vulgaris famæ, aliquot ab hinc annis in Muſæo cuſtoditur: cuius ſingularem formam ſi ſpectes, cum vnâ parte veluti ſphæricum ſit, alterò verò turbinatum, Fici arboris fructum, aut Pyri faciem æmulari dices; ſapor illi cum ſit acerbus, tetro odore nares feriat, cute extimâ albicet, ſatíſq; denſum, ac ponderoſum ſit, ad primum Alcyonij genus Dioſcoridis reduci non inconcinnè poteſt. [*Loc. cit.*]

ALCYONIVM ſub rotundum Georgij Agricolæ, & Quorumdam Recentiorum, qui non deſunt, primum Alcyonij genus facere, quàm benè non audit Geſnerus: aſſerens figuram ipſam, quamuis rotundam, non ſatis eſſe ad conuincendum, rem eamdem eſſe cum Alcyonijs; vt potius Pila, Balláue marina ob figuram rotundam, nuncupandum veniat: quod cum Braſauolo idem Geſnerus inter ſpongias reponit; & ſi Zoophiton non ſit, ideſt planta animal: hoc autem intelligendum crediderim, ratione facultatis exſiccantis, quâ pollet, & eumdem ferè vſum præſtandi, vt ſpongię: Globus ſphœricâ figurâ eſt, mari innatans, mollis, laxus, rarus, inodorus, ac ferè inſipidus; exilibus pilorum inſtar, & breuibus cuiuſdam herbæ minutiſſimæ feſtucis, colore fuſcis, mutuô ſupra littus ex fluctu collidente, immiſtâ ſpumâ intricatis, confartus: De quâ Ballâ meminit etiam Galenus, referens quæ Crito ad conſeruandos, augendos, nec non à defluuio præſeruandos capillos ſcripſit, quam σφαῖραν θαλασσίαν appellat. [*Lib. 4. de nat. foſſ.*] [*Lib. 4. de Auib. cap. de Alcyone.*] [*Loc. cit. & 4 de aquat. lib.*] [*Lib. de comp. medic.*] [*loc. cit. cap. 2*]

ALCYONIIS ad latus diſpoſita iacet Adarces, ſeu Adarca Latinorum, vt ijs cognata: eſt námq; veluti Alcyonium paluſtre, & tamquàm concreta ſalſilago, quaſi cruſtacea, fragilis admodùm, ob tunicas ſubtiliſſimas, quibus multis eſt compacta, in paluſtribus, & humidis locis, ex ſpumâ aquæ dulcis, & marinæ, vbi ſe admiſcent, per ſiccitatem circa arundines, & cremia tenuis emergens. Huius meminit Dioſcorides, nec non Galenus, quam inter medicamenta calida repoſuerunt. Calamochnes eſt Græcorum ex Delacampio, ideſt τῶν καλάμων ἄχνην. calamorum ſcilicet, arundinúmue ſpuma: quamuis in Plinij vulgatis exemplaribus, corrupto fortaſſe nomine, Calamochnus legatur. An ſit illa, de quâ idem Plinius ſic ſcribit. *Sinapis naturam, effectusque eoſdem habere traditur Adarca, inter Syluas tactâ cortice calamorum ſub ipsâ comâ naſcens:* quamuis ſuſpicari liceat, rem eamdem non eſſe; cum hæc non inter aquatilia è ſpumâ aquæ dulcis, & marinæ, vbi ſe miſcent reponatur, ſed inter Syluas naſci dicatur; quâ ratione à nonnullis inter ſpecies ſinapis, vt herba, eſt numerata: attamen alter locus Plinianus ſi conſideretur, vbi hæc habet. *In Italiâ naſci Adarcam nomine, paluſtrem, in cortice calamorum tantum, & ſub ipsâ comâ naſcentem* (ſic námque ex eodem Delacampio corrigendus videtur hic locus) *vtiliſſimam dentibus, quoniam vis eadem eſt, quæ Sinapi:* illammet eſſe cum Calamachne Græcorum, & Calamochno Plinij: ſtatuendum videtur.

lib. 5. cap. 94
Lib. 11. de med. facult.
Hiſt. plant. lib. 9. cap. 11
lib. 20. c. 22.
lib. 16. c. 36.
Loc. cit.

Ne autem ab inſtituto ordine ingenium aberret: ſi quis Concharum, Cochlearum, Conchyliorum, & Turbinatorum, non minus elegantem, quàm vberrimam ſeriem inuiſere cupit, Muſæum ingrediatur Calceolarium: ibi etenim quæ Mare noſtrum Mediterraneum, quæ ab orbe hoc noſtro remotiſſima Maria, huius generis eiectamenta producunt, admitari poterit: quibus ſingulis ob magnam ludentis naturæ varietatem, ob tot colorum differentias, & denique ob tot figuras, cum perdifficile admodum ſit propria nomina aptare, conabor tamen in legentium gratiam, quorum congruam Nomenclaturam ponere dabitur, id lubentiſſimè exequi: quæ verò nedum à veteribus, ſed nec à recentioribus nomine

inſignita

insignita neutiquam sunt, illa eadem proprijs characteribus, aut qualitatibus delineare nullius erit laboris. Et à re fortasse fabulosâ, falsíq; suspectâ, à vero tamen non alienâ, vt naturæ miraculum, exordiri placet: à Conchis nimirum illis (quarum imago ad viuum delineata subijcitur) quæ Anatiferæ à scriptoribus nuncupantur: quòd ex ijs, quæ pars est exclusa, & emissa, in maréque proiecta, Aues excludantur, & in Anseris siluestris minoris speciem, aut in Anatem siluestrem, huícue congenerem Auem adolescant, quæ verò humi, & sicco manet emoriatur, quoniam in aquâ est eius nutrimentum, & vita. Hasce Conchas ex putridis nauium lignis, aut ex Arborum stipitibus, surculísve in litus proiectis, & Maris alluuionibus perpetuò irrigatis procreari perhibent, nonnulli rerum Septentrionalium Historiam, qui scriptis mandarunt: hoc idem affirmat Lobellius in sua de Stirpium Historia: quas se ad Tamesim amnem, quâ Londinum præterfluit è Nauis annosæ carinâ auulsas habere testatur. Etsi apud Conradum Munsterum aliter habeatur: *In Scotiâ, scribens, nec non in Insulâ Pomeniâ, quæ haud procul abest â Scotiâ versus Aquilonem, inueniri arbores, quæ producunt fructum folijs conglomeratum: & is cum opportuno tempore decidit in subiectam aquam, reuiuiscit, conuertiturq; in Auem viuam, quam vocant Anserem arboreum: quod ne figmentum à nouis scriptoribus excogitatum credatur, Veteres quoq; Cosmographos, præsertim Saxonem Grāmaticum huius arboris mentionem fecisse notat:* Hoc idem ex relatu cuiusdam Auctoris Scoti, rerum occultarū solertissimi perscrutatoris, affirmat Olaus Magnus: dicens: *In Orchadibus ex quodam fructu Arboris cadente in Mare, generari Anates, qui paullulum susceptis alis euolant ad domestica, vel syluestria:* ita vt ex horum Auctorum scriptis innotescere potest, Aues has veluti fructus esse quarumdam Arborum, quæ illis in regionibus super riuos maris sunt: nec non in eorumdem corticibus potius, & stipitibus pendere, quàm in ramorum summitatibus; quas genitas crediderim non per coitum, concubitúmve, sed ex humore, succóve crasso proprietate innatâ, veluti semine, ab arbore ex se emisso, ex quo condensato primitias generationis suscipiant paruæ hæ Anatum species, & pro tempore ab arboris humore incremen-

Cosmograph. lib. 2. cap. 11 de Scotia.

Lib. 19. c. 6.

D tum

tum acquirant (quod si etiam addas; ex infuso rore cœlesti huic fœtationi augumentum impertiri, nec id præter rationem erit) quæ postmodum maturitatis tēpore superueniente, instar fructuum ad maturitatem peruentorum, ex arboribus in subiectam aquam decidunt: & proprio pabulo nutritæ, per incrementum carne, & plumis decoratæ, ad prænarratam magnitudinem proficiant. Fabius Columna Neapolitanus Vir sanè doctissimus in suo de Plantarum historia libro Balani marinæ speciem à Rondeletio descriptam esse affirmat: hæsitabat sanè animus in harum Auium historiâ, idque eò magis cum videam ab Auctoribus diuersimode hanc commemorari: ni fabulosam non esse, sed veram oculatâ fide nuperrimè mihi significasset Cl. Vir. D. Pancratius Mazzanghius Barghæus, in Pisano Gymnasio Simplicium Medicinæ summâ cum laude Professor publicus, & horto medicinali præfectus deputatus, qui dum præterito mense Augusti Veronæ esset, vt mandato Serenissimi, & Inuictissimi Magni Hetruriæ Ducis, collectas ex celeberrimo nostro Baldi Monte stirpes, quibus vndequaque opulentissimus visitur, in nobilissimum Viridarium Pisanum ad vsum medicinam facientium erectū, transmittendas curaret: Musęum Calceolarium, pariter & nostrum, inuisere non est dedignatus, varia, & illa quidem iucundissima, inter nos fuere colloquia philosophica, & medica: incidit tandem sermo in hasce Aues: vnde attestabatur in florentissimo Musęo illo, Regio sanè, quod Pisis auspicijs eiusdem Serenissimi Magni Ducis summa cum veneratione custoditur: inter alia naturæ miracula, ramos quosdam satis grandes ex regionibus Septentrionalibus trāsportatos, asseruari, auulsos ab Arbore fatebatur: in quorū corticibus pendent, ac si sint Conchæ circinnatæ ferè rotunditatis, foris albidæ, lucidæ, & læues, tenuitatem testæ Mytuli modo præferentes, & nuci amygdalinæ compressæ pares: ex quibus in mare lapsis Aues prænarratas excludi referebat. Hanc eamdem Auem crediderim exprimere voluisse Scaligerum, & si diuersi generationis modo: cū dixerit: *In Oceano Britannico ignotam Auem Anatis facie rostro pendere de reliquijs putridis naufragiorum, quoad absoluatur, atque abeat quæsitum sibi pisces, vnde alatur:* quam se vidisse testatur:

Exerc. 59. cont. Card. disput. 2.

&à

& à Britonibus Bernachiam appellari tradit: recepto etiam in prouerbium vocabulo, cum ignauiam cuipiam exprobare volunt, hoc nomine insigniunt, quasi neque caro sit, neque piscis. Quo etiam loci de aquarum miraculis agens, vt quid admirabili memoriâ dignum, de Iuuernæ Insulæ non procul ab Iberniâ quodam fluuio, hæc habet: *In eum* (inquit) *quæ arboris vnius imminentis collapsæ frondes fuerint, piscium formam induunt: Pisces viuunt deinceps: Quamquam subtilius consideranti, non tàm esse videtur hæc fluuij vis, quam arboris ipsius: nam quæ frondes in terram cadunt, animalia volucria effecta euolant. Quid mirum? nempe, vt in terra mutantur plantæ, aliæ in alias, ita supra terrā gignunt è seipsis animalia, idq; non è putrefactione, sed quædam quasi semina fouente ad generationē:* Hæc doctissimus Scaliger: in cuius etiam disputationis fine, vt singularis miraculi Historiam subtexuit: allatam Francisco Regi, tradens, Concham non admodum magnam, cum auicula intus penè perfecta, alarum fastigijs, rostro, pedibus hærente extremis oris Ostraci: vt & Viri docti mutatum in auiculam Ostreum existimarunt: hæc scripsisse volui, quò scias naturam semper in rebus nouis progignendis fœcundā esse, & si in eisdem contemplandis intellectus humanus sæpe numero cęspitare videatur; sed ad Conchas Anatiferas rursus: vt aliquid etiam moralitatis ex ijs exsugere liceat: Concha hæc homo ipse est, qui & si ne superbiat, dictante S. Bernardo, in membro illo generationis principia suscipere admoneatur, quod sub se rectum intestinum deijciendis ab electione, consilióq; fœcibus à naturâ destinatum, supra autem, vesicæ collum continet, cuius proprium munus est (vt Galeno placet) susceptam vrinam statuto tempore continere, ac inde excernere. Nihilominus medio potentiæ illius, quæ ei dat esse, ex arbore vitæ Concha lucidissima fit, ex quâ summū, prępoténsq; bonū excluditur: per mare nāque tribulationum mundanarū expansis facultatū animaliū alis Iobice volitans, compotationibus, & crapulis clauso ore, cōcupiscibili, irascibilíq; deposita, ac spreta, fortitudinis pedibus innixus, ac tādē diuinę gratię plumis indutus, Auis Deo vno, & trino gratissima, euadit, cœlestiq; illo cibo consolatur, quo Beatorū animæ in Cœlis gaudent.

5. de simp. caus. cap. 2.



NE verò quæ in Musæo sunt recondita, in occulto iaceant, quinimo cuiuis pro palam fiant, opus hoc iam per me inceptum proxima Concharum fętura lubens narrare non desistam: & quæ primâ facie se se offert, illa est, quam Plinius distinctione testæ imbricatim vndatam esse notat, & quæ à Rondeletio imbricata vocatur, nec abs re. Hæc namque satis magna,& lata ambitu inferiore est, superiore verò parte, veluti in angulum obtusum desinit, intus testa est ei læuis, & candida,foris dura, & ad vndarum se se attollentium similitudinem distincta, nec non tegularum illarum curuarum modo,quæ tectis ad arcendas pluuias apponuntur,quęq; imbrices vocantur, constructa visitur, vnde ei nomen. *Lib.9.c.33.*

CONCHA Echinata, siue aculeata Plinij: in qua vniones reperiri scribit; huius testæ sunt asperæ, concauæ, striatæ, & in ambitu incisæ: in strijs,seu exochis aculei frequentes,instar Echini marini, eminent, sed incurui, & certis interuallis à se se distincti. *Lib.9.c.35.*

CONCHA, quæ Venetorum est Muscolo, à Rondeletio Musculus striatus dicitur,quia huius testa musculis marinis,haud absimilis sit, quamuis firmior, ac spissior, paruísque strijs, alijs rectis, alijs obliquis sit delineata: quæ etiam cum formam Rhomboidem tota repræsentet, vnâ nãmq; parte prominet, aliâ verò recta est. Conchæ Rhomboidis nomen ab eodẽ tribuitur: Bellonius à formâ Quercinæ Glandis, Βαλανὸν apud Græcos, & Glandem apud Latinos dici tradit: sicut & Spondylum nonnullorum esse affirmat. *Lib.deaquat.*

CONCHA Longa Plinij: quia nulla alia hac sit longior, ac strictior: testa huic est aspera, in cinereo albicans, lineis multis, ac diuersis distincta, quâ vero parte replicatur, foramina multa habet, ordine separata. Donax,seu Dactylus Mas Bellonij. *Loc. cit.*

CONCHA Longa Rondeletij, quam duæ formant testæ magnæ, longæ, spissæ, & rugatæ, colore vario in ambitu rubescente, cuius medium albescit, intus cum læuitate candidę apparent.

CONCHA figuræ Spondylorum,aut minimorum Ostreorum non dissimilis, quam Aristoteles, pictoribus olim in vsu *Histor.anim. lib.5.cap.15.*

fuisse

fuiffe tradit, non ad deluendos, aut afferuandos colores; fed quia huius teftæ, quæ funt fpiffæ, intus lęues, foris inæquales, & afperæ, & cinnabaris in colore æmulæ, raderentur, ac proinde ad conficiendos colores effent vtiles.

CONCHA, quæ ad proprium locum diftributa vifitur, cum Minij colore fit imbuta, vt Coralium rubrum planè imitetur, meritò Coralinæ nomine venit decoranda. Hæc externâ teftarum parte Pectinem Concham refert, non tamen eft ftriata, fed lineis tantum afpera, & tuberculis rubris inæqualis, intus verò læuiffima eft candidi marmoris colore.

CONCHA ftriata Rondeletij; non Vniualua, fed quæ teftis duabus conftat, pectinum modo in ambitu ferratis, multum cauis, & in dorfum multum elatis: intus lęuibus, foris ftriatis, formâ ad fphœricam figuram, quæ proprius accedunt.

CONCHA ftriata, fafciata, & rufa Eiufdem, fuperiori fimilis, fed per tranfuerfum virgas latas, ficuti fafcias, in colore rufefcentes, vice ftriarum, ductas habens.

CONCHA ftriata Eiufdem: fuperioribus longior, teftis multum cauis canaliculis profundis, aliquot lineis per tranfuerfum ductis conftans.

NE



CONCHA hæc, quæ ob pulchritudinem intuentium animos ad sui contemplationem meritô allicit, RVGATA à Rondeletio nominatur, & RVGOSA est Gesneri, caussa nominis, quod testæ, quæ animali pro domicilio inseruiunt, satis magnæ, & valdè spissæ cum sint, foris lineis multis, elatísque, nec non per transuersum ductis, contracta superficie, veluti cute in plicas, rugatæ conspiciantur: intus verò sunt leues, & coloris argentei: in quâ Vniones præ puritate nitidi roris in conceptu accepti, veluti in proprio vtero non sine spectantium admiratione scintillare, & niueo candore splendere cernere est: fœtus origine memorandi, pulchritudine adeò eximij, vt ob nitoris, & præstantiæ dignitatem (ne quæ ab Auicenna, Serapione, Alberto magno, & Solino, præ cæteris, de illis sunt scripta, commemorem) in Sacris quóque literis sub parabolâ, & metaphorâ, pro Deitate accipiantur. *Simile*, inquit Matthæus, *est Regnum Cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas: inuentâ autem* *vnâ*

1. can. cap. de viribus cord.
Cap. 197.
Cap. 11.
Cap. 40.
Cap. 13.

vnâ præciosâ margaritâ abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Et apud Ioannem, vt innumera alia Sacræ Scripturæ loca ommittam, de portis Sanctæ Hierosolymæ legitur, quæ singulæ singulis constabant margaritis: De quarum natalibus, nomine, & formâ perlegas obsecrô elegantissimum hoc carmen, ex dictis à Plinio, & Æliano decerptum crediderim.

Apocal. 21.

Lib. 9. c. 35.
Lib. x. c. 14.

Marbodeus cap. 60.

Tollitur è Conchis species memoranda marinis
Vnio, dictus ob hoc, quod ab vnâ nascitur vnus,
Nec duo, vel plures vnquam simul inueniuntur.
Cuius ad hornatum laudatur candida forma,
Vt deceat vestes, deceat nihilominus aurum.
Conchæ temporibus certis referuntur hiantes
In Cœlum patulæ rores haurire supernos,
Ex quibus orbiculi candentes conspiciuntur,
De matutino fit clarior vnio rore,
Ros vespertinus fœtus solet edere fuscos,
Et iuuenes Conchæ dant baccas candidiores,
Obscurat fœtus Concharum grandior ætas;
Quanto rorantis fuerit plus aëris haustum,
Tanto maiorem gignit roratio baccam.
Vltra seminucem sed crescere nulla putatur:
Quod si celsa micent tonitru conuexa corusco,
Conchæ diffugiunt subita formidine clausæ,
Sic intercepto conceptio deperit haustio,
Et fit abortiuum, quod cœperat inde creari.
Insignes baccas prædam maris India gignit,
Gignit & insignes antiqua Britannia baccas.

Carmina hæc adeô animum excitarunt meum, vt malè actum crediderim, ni, quid ex ijs pro Diuinâ gratiâ acquirendâ, elici possit, proponerem. Beatus homo, qui commissi peccati aduentante horâ pœnitentiæ, & saluberrimi conceptus instante tempore: expansis cordis ramulis spiritu tumentibus, Iesum Christum Saluatorem nostrum humilissimè deprecabitur, vt diuino cœlesti rore illius anima impleatur, quę à canibus marinis, insidijs nimirum mundanis, per mare hoc turbulentum hinc inde agitatur: & quò mentis tenebræ innu-

Moraliter quid Concha margaritifera

innumeris erroribus obfcuratæ, difcuti poſſint; intellectus ab æterno Sole Deo illuminetur,& perficiatur: ſic enim diuinâ gratiâ præuia, lucidior reddita anima, ac in bonitate perfecta magis, rore illarum vírtutum fœcunda,quæ hominem beare ſolent: vt candida margarita,& præ puritate ſucci adepti à quacumque labe aliena, è Conchâ miſeriarum, veluti ex Probaticâ piſcinâ, quo loci infirma iacebat,extracta, cœleſti conceptu puriſſimo, nitidiſſimóq; oppleta, Deo trino, & vno in candore bonitatis ſe ſe offerens, inter felices illas,beatásque ſedes numerabitur; vbi Sancti ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates fulgebunt: Eſt & aliud non ſubticendum, quo vnusquisque diſcat, quanti valeat pro deuincendis tribulationibus, vitæ integritate cum Chriſto Redemptore eſſe coniunctum. *Concha* (inquit Plinius, de Margaritifera loquẽs) *cum manum videt comprimit ſeſe, operitq; opes ſuas, gnara propter illas ſe peti: manumq; ſi præueniat, acie ſuâ abſcindit, nulla iuſtiore pœnâ, & aliis munita ſupplicijs.* Hoc etenim homini illi pio perbelle aptari poteſt, qui vbi primum imminentem tentationum Diabolicarum manum præuiderit, conſcius, nihil aliud ab immaniſſimâ, & rapaciſſimâ Belluâ machinari,eſpiſcaríve, quàm animæ raptum: vt diuinum hoc Theſaurum, ob quod ad ſui ſimilitudinem, & imaginem Deus omnipotens creauit hominem, illæſum cuſtodiat, ac conſeruet: ſtatim in propriâ Cellulâ, veluti in Conchâ, ſpiritu, & oratione ſeſe comprimit; Chriſto,à quo omnis humana ſalus dependit, contrito corde ſigno Crucis ſubmiſsè ſeipſum vouit. Vnde ex infirmo fortior factus,illuſiones quaſcumque Diabolicas præueniens,acie orationis, & ieiunij cęsâ monſtruoſiſſimâ manu, præ animæ fortitudine coram Deo exultat: nulláque aliâ iuſtiore pœnâ ob demerita multatur Diabolus, quàm quòd deuictus,derridendusq; defugatur, & ad proprias tartareas ſedes, vt auidiſſimus, nefandúsq; animarum prædo,ſine vllâ mercede demandatur.

Loc. cit.

Moraliter quid eadem Concha.

CONCHA, & alia margaritifera, ab Athæneo notata in hâc ſupellectile marinâ reſeruatur: pulcherrima ſanè, tùm ob magnitudinem, & formam (eſt námque magna, & ſpiſſa, modicéq; caua,& vnâ parte aurem habet,alterâ rotunda eſt)

tùm etiam ob ſplendorem, quo, tota læuis cum ſit, vnionum modo nitet, maxime internâ parte, cum externè non nihil flaueſcat.

CONCHAS illa commemoratione dignas non ſubticebo, à (Lib. 4. c. 15. & lib 9. cap. 25.) Rondeletio Venereas nuncupatas: fortaſſe quia habitâ illarum Concharum delineatione, quæ à Plinio ex Mutiano referuntur, nullæ aliæ ſint cenſendæ, quàm illæ, quæ apud Cnidiorum Venerem in cultu habebãtur; quoniam huiuſcemodi Conchæ, illâ nimirum parte, quâ per planum ſunt extenſæ, & denticulatæ, Naui Cnidum miſſæ portanti nuntios à Periandro, vt caſtrarentur Nobiles pueri Cnidij; & eius clauo affixæ, illam ventis plenã firmarint, donec Principem ſceleris pœnituiſſet, ac alia, quæ decretum abrogarent mandata perueniſſent: vndè cum parte illâ quâ compreſſæ ſunt, & quâ etiam ſaxis adhærent, illâ eâdem nauigando, nauibus affixæ, illarum curſus remorari putetur: à (Loc. cit.) Mutiano ex Plinio Remorę dicuntur: quod autem nauigent (Loc. cit.) hæ Conchæ: audias Plinium; *Nauigant Conchæ Venereæ, prębentesque ventis concauam ſui partem, vt velificationi aptiorem, & diuerſam auræ opponentes, per ſumma æquorum velificant*. Bellonius Conchas læuigatorias vocat; quia & harum teſta læuiſſima ſit, & hiſce mulieres ornamenta linea læuigando poliant, adeout ſplendeant, quæ ſimiliter & chartis expoliendis ſunt in vſu: ex quo Plinius: (Lib. 13. c. 12) Chartarum ſcabriciam læuigari dente, Concháve ſcribit, ſed literas caducas fieri: (Lib. 4. de aquatilib.) Porcellanæ à Geſnero vocantur: Ne vero & hæ Conchæ ſine aliquâ moralitate relinquantur; crediderim, ſub harum (Moraliter quid Concha Venerea.) delineatâ naturâ, animam noſtram rationalem à rerum omnium conditore Deo per vniuerſum cerebri corpus fuſam, & diſtributam, quò bonum, & malum proſpiciendo, homini bonitatem amplectendi influat, ac eidem quæ nocitura videt euitandi normam demonſtret, ſub metaphorâ, nec inſipienter exprimi poſſe: cui cum munus hoc regium ſit demandatum, vbi capit, Nauem humani corporis eius imperio dicatã, ventis concupiſcentiæ, iraſcibilis, ſuperbiæ, & vindictæ plenam eſſe: ne plus iuſto in altum efferatur, néve ob ſenſuum turgentiam, ac eorumdem igneam ebulitionem aliquòd procello-

cellosum infortunium patiatur; medio illarum potentiarum, quæ illi inseruiunt, nobiliorem, splendidioremque magis reddunt, sensuum surrectũ feruorem compescit, ad proprias sedes relegat, ibíque illos permanere imperat, vsquequò facti pœniteat, & alía perueniant mandata, Prudentiâ, & Temperantiâ sic annuntiantibus, quæ primum decretum, in perniciem humani corporis, & animæ à sensibus paratum, abrogent. Quod etiam sub hoc eodem metaphorico stilo à Virgilio hisce carminibus expressum, putarim.

Tanta ne vos Generis tenuit fiducia vestri?
Quos ego; sed motos præstat componere fluctus.

Singulæ modò species describantur. Quarum Prima magna est, & formâ ouatâ. Purpurâ maior, & latior, in cuius extremis partibus duo foramina veluti muricata natura erexit, vnum cibi capescendi gratiâ, alterum ad excrementa eijcienda destinatum (vnde Murex à Mutiano ex Plinio dicitur) parte compressâ denticulata est, aliâ vero, ac si ouata esset, ob colores est insignis. *lib.9.cap.25*

CONCHÆ Venereæ secunda species; multo minor primâ, longiuscula tamen est, & in ventre, parte nimirum simâ, rufum habet colorem, in huius labris denticulatis strigæ rufæ sunt, dorsum in summo est varium, albis, pallidis, & glaucis maculis ornatum.

CONCHÆ Venereæ tertia species, superioribus sanè similis, sed parte, quâ plana est, compressa magis, & maculis rotundis notata.

CONCHÆ Venereæ quarta species; parua semper manens, vt aliæ rimas habet, parte vnâ plana est, alterâ verò in tumorem eleuatur: hæc tamen non superiorum modo varijs est à natura depicta coloribus, sed vndequaque candida visitur. Calculus Vteri est Quorumdam, figurâ etenim Vterum muliebrem exprimere quodammodo videtur.

CONCHA, quæ Κτεὶς est Græcorum, in hunc gregem colloeanda venit. Pecten à Gaza dicitur. Biualuis, & Clusilis Concha est ex Aristotele, duabus námque testis constat, vnâ planâ, alterâ concauâ, ac veluti in dòrsum eleuata, à cuius strictiore parte, quâ aurita est, striaturæ incipientes, *Histor. anim. lib.4.cap.4.*


ad imum marginem, & veluti in orbem amplificatum deductæ ſunt: vt ſtriæ magis, quàm canaliculi promineant. Pecten auritus à Bellonio nuncupatur, quod binis vt plurimum veluti auriculis ſit hæc Concha ornata.

lib. de aquat.

PECTEN alter in colore Coralio rubro non diſſimilis, ſuccedit; cui latiores, & ampliores ſuperiore natura largita eſt aures: corporis formâ oblongior, & ſtrictior extat ſtrias, & exochas ſimplices habet, ternis, & quaternis lineis à ſummo ad imum ornatas: Pectunculus eſt Latinorum, & Romia Italorum; quoniam Romiæ, ſeu Heremitæ è Compoſtellâ Hiſpaniæ regione redeuntes, quò loci voti, & venerationis gratiâ corpus Sanctiſſimum Diui Iacobi viſitant, ac adorant, hoſce Pectines pileis affixos geſtent; quâ ratione & Conchilium Diui Iacobi de Compoſtellâ à nonnullis dicitur.

PECTVNCVLI, & alij auriti viſuntur, varijs coloribus notati, vt potè cinereis, candidis, & nigris. Pectinibus certè figurâ, & delineatione ſimiles, ſed magnitudine multò minores.

Nec ommittam alios Pectunculos in colore nigricantes, formâ, & figurâ ſuperioribus oblongiores, vnâ tamen tantum parte auriti qui ſunt.



CON-

CONCHA hæc non minus rara, quàm pulcherrima, ad legentium libitum, quam eſt videre: Ναυτιλὸς à Græcis dicitur, & Nautilus eſt Latinorum, ac Bellonij: à Rondeletio autem ſub Polypi teſtacei nomine ex Ariſtotele deſcribitur. Quæ iuxta Plinij delineationem Acatij modo carinata eſt, & omninò Pupe Inflexa, Proráque roſtrata, Nauis rotundæ formam refert: cuius teſta lactei coloris, lucida, politáque, ſed admodum fragilis eſt, ac magnitudine membranam pergamenam non excedit: ſtrias in longum ductas, nec non in formam rotundam abeuntes habet. Foramen per quod Nautilus Polypus Ariſtotelis, & Plinij alitur, nec non veluti è proprio domicilio exit, amplum, magnúmque eſt. Piſcis hanc Concham habitans, ac regens actione morabilis, peritiſſimus nedum natator, ſed & in regendâ Naui ſolertiſſimus Nauta eſt: ita námque inſtituente naturâ, placato mari, & vndis tranquillis, in ſummâ æquorum de imo gurgite elatus peruenit, ſic paulatim ſubrigens ſe, vt emiſsâ omni per fiſtulam aquâ, veluti ſentinâ exoneratus, inani Scaphâ facilius nauiget: poſtea duo prima brachia retorquens, vt notat Plinius, & Ælianus, membranam inter illa interiacentem miræ tenuitatis, ſed robuſtam extendit, quâ (aurâ inſpirante) velificat, & liburnicarum imagine gaudens, cæteris ſubremigans brachijs, mediâ caudâ vt gubernaculo, ſe & domum regens, per ſummum mare cum voluptate vadit, nauigátque, vt cum Alberto Magno dici poſſit, ſe ipſum vnum Nauis, Veli, gubernaculi, & remigiorum officium præſtare: & cum Poëta.

Hiſtor. anim. lib. 4. cap. 1
Lib. 9. c. 30.
Loc. cit.
Lib. 9. c. 29.
De animal. lib. 9. c. 34. et lib. 36. c. 33.
Anim. li. 24. in Nautilio.

Per fræta dum cautus deducor imagine Nauis,
Æſonides didicit pandere vela ratis.

Vbi vero quid pauoris ſuperuenerit, quaſi lumen intellectus excerſens, ne fallatur, néque fallat, caute agens, tunc ſimul cum Conchâ marino humore oppleta, protinus ſe demergit, ac ad proprias ſedes reuertit. Hæc Ælianus, Vir, qui in rebus tàm publicis, quàm priuatis tractandis perhonorifice ſe gerat: ſolertia huius animalis non inconcinne exprimi poteſt: ille námque in hominum conſpectum prodiens, & ad omnia paratum ſe commonſtrans, exoneratâ animâ à qua-


Lib. 9. c. 33.
Moraliter quid Polypus teſtaceus.

libet

libet in Deum offensâ, nec non ab affectionibus illis expurgatus, quæ mentem perturbare solent, cum videat benè rebus suis esse consultum, adeò peregregiè in illis tractandis se gubernat, vt prudentiæ,& probitatis velis expansis, aurâ diuinæ gratiæ fauente,secundis ventis per mare hoc mundanum tàm cautè, actionéq; mirabili spaciatur, vt cuiuis gratus sit,& ab omnibus expetitus, illíq; felicia omnia, ac prospera succedant. Quod si quid infortunij immineat, animo humore fortitudinis oppleto, intra Concham intellectus seipsum subrigens,summâ cum prudentiâ imminens periculum speculatur: quid rimedij, ne decipiatur,néve fallat,applicari possit, attendit, & tandem, quæ nocitura videt euitando, pristina animi tranquillitate fruitur.

Nec minorem ad se videtur allicere admirationem, Cochlea hæc peregrina, ex mari Indico trasportata: cuius ad viuum delineata imago, præmissa prius Etymologia inferius apponetur. Est námq; forma ampla,& carinata, in colore,& substantia Conchis margaritiferis simillima, vt ob hasce qualitatis Concha etiam margaritifera à nonnullis nominetur: non quia in ea vniones reperiantur,sed quòd harum sit colore,& splendore. Externa etenim parte ex fusco albedine,nitoréq; misto veluti rufescere cõspicitur. Intus verò ita nitet, vt vndequáq; splendeat, nec non cum pręciosissimis margaritis de coloris amœnitate certare videatur: mira quóq; colorum varietate parte illa intus intorta efflorescit, qua si totam Concham spectes, dices vasculum, poculúmve, elegantissima,pulcherrimáq; forma, à natura fuisse nedum excogitatum, sed & formatum.

COCHLEÆ




SAXVM cinerei coloris, vt ex mari expiſcatum, ac poſtmodum in ſegete hâc marinâ Calceolariâ repoſitum, Laconico ſtilo deſcribitur; quod ſanè adeò durum eſt, vt non niſi ferreo inſtrumento, aut malleo, in partes ſcindi poſſit: nullis rimis, ſed foraminibus quibuſdam eſt ſignatum: in quo Conchæ illæ, quas Athæneus Pholades vocat, duabus teſtis longis conſtantes, non in latum extenſis, Mytuli modo, ſed rotundis, ex aquæ appulſu intus procreatæ, ita latent, vt à tali ſaxo vndique contegantur: per foramina illa paruiſſima, & ſenſui vix patentia, duntaxat aqueum haurientes pabulum: quibus Pholadis nomen eſt elargitum, à verbo Græco Φωλεύειν quod latere ſignificat.

Hiſtor. anim. lib. 3. cap. 5
Loc. cit.

COCHLEÆ illud genus ſuperioribus aſtat, quod Auctor libri de aquatilibus, Bellonius inquam, Tertiam Nautili ſpeciem ab Ariſtotile proditam, autumat: & Nautilum Murrhinum dici poſſe affirmat (cuius opinioni Rondeletius non conſentit) rugas per tranſuerſum ductas habet hæc Cochlea, vt in appoſita imaguncula inferius videre licet, ita elatas, vt ſtriata dici poſſit, colore intus albicat, foris verò flaueſcit: in hâc turbinis clauiculæ in acumen non deſinunt, ſed veluti vmbilicum tortuosè exprimunt: pars ſuperiori longius procurrit, & foramen valdè apertum, longúmque habet: vt cum Rondeletio Concha rugoſa, & vmbilicata nominari poſſit.

PVRPVRA



PVRPVRA, quam Ariſtoteles è turbinatorum genere eſſe dicit, vt non ſpernendi nominis Concha, ob præcioſiſſimum præſertim eius liquorem ſubitariúmve illum ſanguinem, ſaxo vno ictu ab infectore purpurario illa interemptâ emanantem, tingendis veſtibus, vt optimum, olim expetitum: & ob Antiquis Oſtrum vocatum: inter alias Conchas adprimè aſſeruatur: cuius teſta eſt rugata, aſpera, & cinerea, ac in anfractus contorta, aculeíſque veluti clauis ordine diſpoſitis munita. Roſtrum habet oblongum, tubuli modo excauatum; per quod linguam exerere creditur: tantâ tamen duritie præditum, vt non deſint, qui ſcribant hoc (& vt alij) medio etiam linguæ, quæ acutiſſima, & validiſſima illi eſt, Conchulas, & quaſcumque ſui generis teſtas perfo- *Hiſtor. anim. lib. 5. cap. 15.*

rari. Hoc vnum etiam ſilentio non prætereundum de Purpuræ edacitate ſubijciam: linguâ ſibi vitam pabulando parare illa auidiſſime attrahendo, quæ pro illius alimento inſeruire valent, & hâc eâdem (vt notat Ælianus, & Plinius) liguritione irretitam, ob piſcationis modum quo decipitur, perniciem, ac mortem ſibi ſtruere, & afferre. Quod hominibus illis peregregiè aſſimilari poteſt, qui nullâ habitâ loci opportunitate, nec temporis, & perſonarum ratione; ſed edacitate linguæ in alienâ famâ potiſſimum detrahendâ irretiti, in maledictis debacchantes, vt importuni, fraudolentíque locutores, & ſi nullo rerum pondere innixi, verbisq; potius humidis, & lapſantibus, infeſtis tamen, abutentes, bonum, & vitam dum comparare ſibi hâc viâ perſuadent, malum, & perniciem eiuſdem linguæ ictu ſibi ipſis incautè ſtruunt: alióſque capere credentes, vt malitiæ ſuæ auctores captantur, & fraus in auctorem recidit: parum fortaſsè, aut nihil memores dicti illius ſapientiſſimi Salomonis: *In manibus linguæ vitam, & mortem conſiſtere:* & ex D. Ambroſio: *Ingredi mortem per oſtium illius, qui falſum loquitur, ſi turpiter, ſi procaciter, ſi vbi non oportet loquatur:* Quò ergò ob linguam petulantem, morbum certè turpiſſimum, vt eſt apud Euripidem, perniciei naſſa euitari tibi concedatur, deque malo alieno os tuum non inquinetur, néve ſermone vitium aliquod tuis moribus ineſſe indicetur; ſed ſapiens, & optimus habearis, plurimúmq; gratiæ apud homines mereri poſſis: effice, vt, mente orationis moderatrice præuiâ, in quàm benè erit conſultum intinctam prius protuliſſe orationem, antequam aliquid dicturus ſis: lingua tibi non Purpuræ modo longa, ſed parca ſit: quæ bonitatem, non prauitatem, nec in contumelijs inferendis edacitatem proferat: rectè, & in loco loqui, & ordinate, ac in loco tacere, tibi ſit curæ: *Nihil enim* (inquit Seneca) *æque prodeſt ad quietem commodam retinendam, quàm quieſcere, & minimum cum alijs loqui, & plurimum ſecum:* Sic Ambroſius Sanctus. *Alliga* (inquit) *ſermonem tuum ne luxuriet, ne laxiuiat, ne multiloquio ſibi peccata colligat, ſi reſtrictior ſit, & ripis coërceatur, citò lutum colligit amnis, & vndas: Iugum ſit verbis tuis ſtatera, & menſura,*

Hiſtor. anim. lib. 7. cap. 38
Lib. 11. c. 37
Moraliter quid Purpuræ lingua.
Cap. 18.
lib. 1. de offic.
In Oreſte.
Iſocrates in Paræneſi.
Epiſt. quadã ad Lucidium
Lib. 1. de offi.

ſura, vt ſit grauis in ſenſu, in ſermone pondus, in verbis modus. & S.Hieronymus. *Diu conſidera* (inquit) *quid loquendum ſit, & adhuc tacens prouidè, ne quid dixiſſe pœniteat: neque alijs detrahas, niſi teipſum bene reſpicies:* pro cuius rei veritate hoc etiã addã, quòd Bias Prienæus ab Amaſide Ægyptio olim iuſſus, vt optimam, atque deterrimam partem è victimâ ad ſe mitteret, linguam elegit, innuere intendens, linguæ vſum eſſe præcipuum, ſiue prodeſſe, ſiue obeſſe cupias, ſic Poëta ille, In Epiſtolis.

Nobile lingua bonum, quæ fari in tempore noſcit,
Nobile lingua malum, quæ fari in tempore neſcit.

PVRPVRA à loco fortaſſe, & ſucci varietate, ac paruitate minor ſuperiore; formâ tamen ab illâ neutiquam differens.

PVRPVRA minima, quia paruula admodum, eiſdem tamen inſcripta notis, quibus & præcedentes.

PVRPVRA Bellonij; cuius teſta eſt grauis, denſa, & ſolida; aculeis multis muricatis, veluti in orbem diſpoſitis horrens. Murex, turbinatus, & marmoreus Rondeletij: quòd aculeos longos, & firmos habeat hæc Concha, nec non albedine marmoris candidi ſit æmula.

PVRPVRA Echinata Imperati: tota enim cum multis aculeis, cæteris Purpuris longioribus, Echini animalis terreſtris ritu ſit conſperſa, inde nomen traxit. Teſta huic eſt albicãs, alijs Purpuris ſcabroſior, & eminentior. Tubulus eſt canaliculatus, cæteris tamen longior, & aculeis multis præditus. Nat. Hiſt. lib. 28.

PVRPVRA Muricata ex mari noſtro Adriatico: Teſtâ cæteris Purpuris non diſſimilis: cui tamen Tubulus non eſt oblongus, & caniculatus, ſed breuis, & muricatus.

PVRPVRÆ Fauago Ariſtotelis, & Plinij: coloris candidi, Fabæ maioris magnitudine, putaminum Cicerum alborum inter ſe cohærentium, veluti congeries quædam, & ſtrues compoſita, ac exſiccata. Apum fauo ſimilis: quam ex lentore ſaliuari, ſeu humore muſcoſo, dum gregatim conſueſcẽtes, verno potiſſimum tempore, mutuo attritu communiter conficiunt. Spuma Maris quarundam Officinarum, vti & Alcyonium ſed inſipienter. Hiſtor. anim. lib. 5. cap. 25 Lib. 11. c. 36

PVRPVRÆ, & Buccinorum Opercula, ſiue integumenta à Græcis πώματα nuncupata, quod ijs carne hærentibus, vt

vnguis noſtræ carni, teſtarum foramina, non ſecus ac vaſa operculo ſuo, ſtatim ab ortu ipſo, vt notat Ariſtoteles clau- dantur. Horum ſubſtantia, vt quid ex filis, ſeu fibris coagmentatum, & induratum eſſe videtur: ijs non nihil pinguitudinis ineſt, & accenſa ingratum ſpirant odorem, aliquatulũ Caſtoreum olens: quâ ratione ad vterinos cruciatus compeſcendos, illorum ſuffitus plurimum valent: ſingulis color eſt fuſcus, ſed non vnamet forma: alia námque ſunt figurâ rotunda: alia Auium carniuorarum vnguibus non diſſimilia: vnde & Onyches vocat Dioſcorides, ob ſimilitudinem, quã cum vnguibus humanis habere videntur. Blattarum Byſanſinarum nomen in officinis inualuit; fortaſſe à voce Græca βλάττος, quæ Purpuram ſignificat: & Byſantio ad vſum Medicum deferantur: quæ certè, ni mea me fallit opinio, ab vngue odorato non veniunt ſegregandæ; extant enim præ cæteris Serapionis, & Auicennæ auctoritates, quæ nihil aliud Blattam Byſantiam eſſe deſignant, quam vnguem odoratum, & Conchylij cuiuſdam coopertorium ex mari rubro.

Hiſtor. anim. Lib. 4 c. 4. — *Lib. 2. c. 8.* — *Cap. 151. & 442.* — *2. can. cap. propr.*

In hac Concharum claſſe, & Pinna ipſa Ariſtotelis enumeranda venit; quam & ſi ambigat, an animal, an vero Planta ſit, illam tamen, vt & Ælianus, ac Plinius inter Conchas reponit, forſan quia (& rectè) ex duabus teſtis compoſita ſit: quæ autem primario deſcribitur, cum ſatis grandibus ſit teſtis, Pinnæ magnæ nomen meretur: foris hæ ſunt aſperæ, & colore fuſco, intus læues, nitidæ, & argentei coloris: ab inferiore, & hâc ſtrictione, acutáque parte in amplam latitudinem extenduntur, ex quarum medio ventre Byſſus, veluti capillamentum quoddam neruoſæ ſubſtantiæ alligatum, foras expanditur: lubens memorabo (vt etiam moralitatis quicpiam exſugatur) quæ de Pinnæ, & Pinnophilacis ſocietate, & hoſpitalitate ab Æliano, & Plinio referuntur: quamuis apud nonnullos, vt quid fabuloſum, exiſtimetur. Pinna comitem ab ortu habet animal exiguum, ad cancrorum formam accedens, Pinnotherrem vocatum; cui ab hâc obſeruandâ, vt tradit Plutharcus, nomen eſt factum: illa fame oppreſſa, quieta, & erecta in locis ſiue arenoſis, ſiue cœnoſis manens, teſtarum hiatu ſe ſe pandens, piſciculos

Hiſtor. anim. lib. 8. cap. 1 — *Lib. 3. c. 28.* — *Lib. 11. c. 42* — *Vt Concharũ ſobo. es.* — *Loc. cit.* — *De Piſcium ſolertia.*

los aduentantes expectat, qui non ita primum in Concham ubeunt, vt ab astante custode carnem Pinnæ mordente, de capturâ admonetur; quo morsu excitata, statim Conchis compressis, & præda intra suam munitionem receptâ, cum dapis affectatore vescitur: quo exemplo monemur, nihil in nobis ipsis tàm firmum, permanénsque reperiri, quin in hoc vitæ cursu, & aliorum auxilia sæpe sæpius imploranda non sint: potissimum verò, vt sapienti illâ Darij Regis Persarum voce vtar: ad prudentis, & beneuoli amici omnibus Thesauris prætiosioris opem veniat confugiendum: *Nihil namque* (vt notat Cicero) *est tàm naturæ aptum, tàm conueniens: ad secundas & aduersas res, quàm amicitia: quocumque enim te verteris, præsto est: nullo loco excluditur, numquàm intempestiua, numquàm molesta est:* & paulo inferius, *Itaq; non aquâ, non igne locis pluribus indigemus, quam amicitiâ, nam hæc, & secundas res splendidiores facit, & aduersas partiens, communicánsque leuiores.* Vt quid detestabilius, quàm hominum illorum auxilia implorare, eorumdem consorcio delectari, in quorum cordibus, stupra, adulteria, conspirationes, hæreses, & huiusmodi scelera delitescunt; cùm ex ijs veluti ex antro latebroso impudicitiâ, & impuritate vndequaque scatente, non nisi exitiales exhalent spiritus, qui humano corpori necem inferunt, & animam coinquinant: audias Beatissimum Ioannem Apostolum, quid ex ore Dei de hominibus hisce impuris loquatur: disces námque quomodo per summam Dei gratiam tibi cautum esse poterit, in hos pestiferos specus non incidere: vndè veniant expetenda auxilia comparabis: quantíque valeat integerrimorum hominum consuetudine frui percipies: *Beati* (inquit) *qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent Ciuitatem: Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, Idolis seruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium:* quò ergô instar Pinnæ res tuæ rectæ, & permanentes sint, quietæq; succedant, felicitatis & infortunij affectatorem eligito, qui vitæ probitate Deum metuat, is námque rectâ vtetur amicitiâ, & qui in tuis difficultatibus fideliter maneat: talem enim vbi primum possidebis

Moraliter quid Pinna.

Ad Histiæũ, apud Herodotum.

In Lælio.

Apocaly. 22.

debis

debis, beatus eris.

PINNA non magnitudine ſanè ſuperiori æquanda, cum ſit parua, ob figuram tamen, & Byſſum, inter has reponenda: quamuis in hoc differat, quod antequàm ex acutâ, & ſtrictâ parte in amplitudinem diffundatur, excauata eſt.

lib.32.c.11. PERNA Plinij ex Concharum ſtirpe, cuius numeroſum circa Pontias Inſulas eſſe prouentum dicit: tàm prioris, quàm poſterioris coxæ Porcinæ ſalitæ, quæ Perna vocatur, imaginem exprimens: vnde ei nomen: huic ſunt dentes in circuitu marginum ſpiſſati: fortaſſe ex illarum Concharum ſpecie Lib.3. erit, in quibus ſcribit Athenæus ex Theophraſto, margari- Lib. de lapid. tas reperiri, ſed paruas: has tamen non eſſe laudatas notat Lib.11.c.35 Plinius.

Hiſtor.anim. PINNÆ Byſſus Ariſtotelis Σαρκῖος Æliani: colorem qui ſeruat lib.5.cap.15 luteum, & pellucidum: lana eſt molliſſima, & delicatiſſima, lib.3.cap.28 à Syriacâ lanâ dignitatem obtinens. Byſſi nomíne decorata, ob ſimilitudinem, quam cum Byſſo Græco, vel Iudaico, ex quo precioſiſſimi diuitum panni conficiebantur, habet: vnde Byſſum opus apud I.C. dicitur, de quo mentionem facit tex. in l. Interdum, §. Diui quoque, ff. de Publicanis, & Alciatus interpretatur, deductum eſſe à Byſſo: Pinnæ Vil- Lib.1.prætermiſſorum. lus, & capillamentum Quorumdam; eſt etenim veluti Pinnæ vinculum, quo poſſit hæc Concha proximis corporibus alligari, vt firmius fixa in arenâ, aut coeno ſemper maneat: & ſi alij diuerſimodè ſcribant; dicentes: Pinnam ad ſimilitudinem retis piſcatorij, hanc ſuam lanam, vt alimentum attrahat, expandere, in quam vbi piſciculos, & minuta Conchylia, vel alia maris purgamenta traxerit illis cibari.

Hiſtor.anim. Inter haſce Conchas adeſt quóq; Λεπὰς ἀγρία Ariſtotelis, ac ſi lib.4.cap.4. dicas Concha Lepadum more ſaxis adhærens, aut ſic vocata, quòd ſit petrarum in mari Λεπίδης, ideſt ſquama quædam, quâ abſtractâ, petræ veluti ſquamatæ videantur: hæc námque arctè adeò carnoſâ parte ſaxo adhæreſcit, vt ne Milonis quidem digitis illis robuſtiſſimis auelli poſſit; & non niſi (quâcumque aliâ re fruſtrâ tentatâ) ferro abrasâ à ſaxo abſcindatur, abſtrahatúrve. Concha eſt vniualuia ex teſtaceorum genere: cuius teſta, parte cauâ eſt argentea, vel vnio-

num

num colore, & ſplendore: foris gibba, lineíſque multis à naturâ depicta, necnon quinque foraminibus pro admittendâ, & recipiendâ aquâ dotata, quo animal intus, vt in propriâ domunculâ exiſtens, nutriri poſſit: Ταλάττιος eſt Athenæi, idest auris marina, ob magnam cum Aure humana ſimilitudinem; non tamen Auris illa Veneris, quam ſcribit idem Athænæus ἀφροδίτην ab Æolibus fuiſſe vocatam. Patella maior Bellonij, quam & Aphoraidem eſſe Ariſtotelis autumat; quod non benè audit Rondeletius. *Lib. 3.* *Loc. cit.* *Loc. cit.*

Λεπὰς Græcorum. Patella Quorumdam. Concha & hæc vnica teſta intecta, ſaxis vt ſuperior adhærens; ex multis laminibus, quæ eſt compacta; cuius teſta nucleis Pinearum nucum ſimilis videtur. Lepas parua Diphili ex Rondeletio, quia ſemper parua manet.

Λεπὰς alia Græcorum. Vniualuia & hæc: teſtam habet non exquiſitè rotundam, ſed inæqualem, intus concauam, & læuem, foris parum aſperam, & gibbam; in ambitu liueſcit, cinerea eſt, & ſtriata. Patella à latinis nominatur, vt potè quæ ad ſimilitudinem illius vaſis eſculenti, quo dapes elixæ, & exculentæ in menſam feruntur, quaſi pateat. Oculus Hirci eſt Gallorum, in ſummitate námque teſtę exterioris, veluti oculus hircinus à naturâ effigiatus viſitur.

CONCHAM nec omittam, reſeratilibus teſtis, ſed admodum tenuibus conſtantem: cui ob ſimilitudinem, quam cum ore Muris animalis quadrupedis, habet, illa nimirùm parte, quâ turbinata eſt, Muſculi nomen attribuere licet; quam etiam ſi Muſculum hirſutum nomines benè erit, cognominatione deſumptâ à Muſco quo obducta eſt, vt veluti hirſuta, & tota piloſa conſpiciatur.

SOLEN Mas Plinij, ex Concharum longarum genere, duplici conſtas teſtâ, & hâc ex albo ad cœruleum vergente, aſperâ, lineíſque multis, & diuerſis diſtinctâ, quâ parte replicatur foramina multa habet ordine diſpoſita; cui Solenis nomen eſt ex Plinio, à canalis, ſiue Tubuli ſimilitudine; vnde & Aulos vocatur, quoniam Tubæ modo ſit excauata; Donax eſt Athenæi, à figurâ Arundinis illius craſſæ, & concauæ, apud amnes naſcentis, quæ à Græcis Δονάξ, & à Latinis *Lib. 32. cap. 9. & 11.* *Loc. cit.* *Lib. 3.*

Arundo

Loc. cit. Arundo Cypria dicitur. Dactylus eiusdem Plinij, à colore, nomine desumpto, quo humanas vngues imitari videtur.

SOLEN fœmina. Concha vnicolor, tota alba, glabra, & fragilis: cui nulla est pars, quæ prona, aut supina dici possit: anteriore parte os amplum habet, posteriore aliquid pudendo muliebri simile gerit; Onyx est eiusdem Plinij, idest vnguis, ob extremâ, tenuitate, & figurâ, vnguibus nostris similia, vel à testæ colore, & substantiâ vnguibus ipsis non dissimili. Loc. cit.

Lib. 2. cap. 7. Lib. 32. c. 11. MYAX Dioscoridis. Mytulus Plinij: Midia vulgò Græcorũ, ex mari nostro Adriatico: Conchula clusilis reseratas, quæ habet testas, intus, & foris lęues, labra cui sunt tenuia, corpus est oblongum, vnâparte latum, alterâ verò turbinatum; color in superficie testæ nigricat, intus est veluti glaucus.

Lib. 31. c. 1. MYTVLVS, qui hoc loci describitur, non est sanè illi Mytulorom generi æquandus, quos tradit Plinius; *Ex Iubæ voluminibus, quæ ad C. Cæsarem Augusti filium scripsit. in Arabiá tantæ magnitudinis reperiri, vt ternas heminas capiant.* Sed Concha, vt ex Mari Indico transportata delineatur, ob magnitudinem, & latitudinem conspicua; duabus námque testis multum longis, & valde latis, intus concauis, & in dorsum summè elatis constat, quæ & si in colore, superiori non sit dissimilis, in magnitudine autem illam longè excedit.

Ne verò quicpiam desiderari possit, quò Concharum numerus absolutus non videatur. Chamarum singulæ species hoc in Musæo detinentur: quarum prima est Chama illa Piperata Bellonij, cui nomen Auctor fecit, quòd ob Piperis saporem, quem redolet, sitim excitet. Testâ est admodum leui, fragili, ac compressâ, & adeò tenui, vt transpareat, non orbicularis, vt aliæ Conchæ.

Histor. anim. lib. 15. c. 12. CHAMA Nigra eiusdem Bellonij ex Æliano; intus námq; & foris in testa, quam duram habet, nigricat: quo loci narrat. *Hasce Conchas, naturâ sic dictante, Eurinos, & Austrinos ventos, vt nocuos, euitare, ac Fauonij mollibus auris gaudere, quibus flantibus ad summam Maris aquam natant, & explicatis testis, alteram Concham substernentes, alteram erigentes, simul & alterá*

pro

pro velo, alterâ pro naui, ad nauigandum vtuntur: quod si aliquid ad se accedere sentiant, metu perculsæ contractis testis frequentes delabuntur, & occultantur.

Καμὴ πηλωρὶς Græcorum, & Latinornm: titulo hoc donata, cum semper in luto maneat, ac commoretur: πηλὸς enim lutum est: huius testa grandis, & turbinata est.

Καμὴ τραχεῖα Græcorum; Chama aspera Latinorum: quod testa eius sit aspera, lineis transuersis, obliquis, cauis, & asperis onusta.

CHAMA læuis; intus, & foris candidissima, cui testæ læuitas nomen fecit, digitorum námque compressu, quam facillimè confringitur Καμηλὴ Græcorum.

TELLINARVM Concharum variæ species contemplandæ spectantium oculis offeruntur, quibus non vnus est color, nec vna duntaxat magnitudo, tàm ex mari Mediterraneo, quàm ex Oceano Germanico, alijsq; maribus extractæ.

Vti etiam ne quid in Conchis marinis annotandis expeti detur, Buccina quóque ipsa, & Turbines describuntur: inter quos ob insignem formam principatum tenet Κήρυκα Aristot. Buccinum Plinij, seu Buccinum magnum Rondeletij: Concha ex Turbinatorum genere, edendis sonis accommodata, necnon antiquis tibicinibus idonea, quâ intonante, & solicitudo ad bella denunciabatur, & signum in hostem dabatur. Hinc Persius. *Histor. anim. lib.4. cap.4. Lib.9. c.36*

Buccina iam priscos cogebat ad arma Quirites.

Et Virgilius.

Qua Buccina signum dira dedit.

Buccini nomine decorata, vt notat Plinius, ob rotunditatem oris in margine incisam: huius námq; testa longior est, in medium latior, inde in turbinem longum terminat, alterâ parte, margine scilicet, in longum procurrit, atque illic rotunditate oris incisa est: vel ex Isidoro Buccina dicta à voce quasi vocina, nam pagani, agrestésque ad omnem vsum Buccina ad compita vocabantur, ita vt propriè hisce esset signum. Concha hæc intus læuis, candida, & concaua conspicitur, foris tuberculis multis, atq; exochis est aspera. *Loc. cit. Originum lib.18. cap.4*

BVCCINVM paruum Rondeletij, lineis frequentibus aspe-

riusculum, quod notat hic Auctor, fortasse illud esse, de
Loc.cit. quo scribit Plinius.

BVCCINVM aliud paruum, sed striatum eiusdem Rondel. cui maxima est, cum Buccino paruo superiore affinitas, in hoc tantummodo differens, quod illud lineas habet prominentiores, & transuersas, vt striatum meritò dici possit; nec non testâ est spissiore, ac duriore.

TVRBO Magnus, & longus, cui Strombi nomen dat Bellonius. Concha ex testaceorum numero, testâ vnicâ compactâ, tota continua, atque in anfractus contorta, dempto capite, quod semper operculo tegitur: nomen à figurâ suscipiens, ob testam intortam, lineis, tuberculisque multis scabram, & asperam, quæ ob multa volumina, veluti è tortâ clauiculâ in acutum desinentiâ, similis videtur turbini illi puerili lusorio, planâ, latáque primum basi, cono sensim in angustũ abeunte, cuius apex clauo armatur ferreo. & quem Maro dilucidissimè pinxit, vbi correptam furijs amatam Reginam hisce carminibus ostendit,

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent, &c.

Et Tibullus amatorio furore dum exagitatus, nullo poterat permanere loco; rationéve sedare, de se ipso dixit,

Namque agor, vt per plana citus Solo verbere turbo,
Quem celer assuetâ versat ab arte puer.

Histor.anim. lib.7. cap.26 Audias obsecrô, quid de turbinibus apud Ælianũ habeatur. *Hos Regem suæ speciei habere affirmat, non modo magnitudine præstantem, sed longè etiam, & multum pulchritudine cæteris omnibus antecellentem: cui* (ne ab Ælianis verbis discedam) *se faciles ad obtemperandum præbent: si commodum ei videatur demergi, hoc quidem ipsum primus facit, sin emergere, idem incipit, item si commigrandum sit, ipse primus tentat: cæteri subsequun-*
Lib.9.c.34. *tur:* hoc idem de Conchis affirmat Plinius, tradens sicuti Apibus, ita Concharum examinibus, singulas, magnitudine, & venustate præcipuas, esse veluti Duces: ò admirandam naturam, quæ & in Brutis ipsis, caput vnum, veluti Coriphœum sæpe sæpius constituere solet, cuius mutui eiusdem

dem ordinis indiuidua inseruiunt. Vtinam qui à lege Christi recedunt, quiúe vitâ animali, & tenebrosâ in antro pertinatiæ, odij, & indignationis manentes, sub specie tamen pietatis, malitiosas subtilitates speculantur, conspirationes Diabolicas moliuntur, quô simplicium animas rapere, & peruertere possint, Turbinum exemplo excitati, & medio inspirationis sanctæ libero arbitrio cooperante, compunctionis, & pœnitentiæ alis expansis ad sanctam fidem Catholicam conuerterentur. Deum in pulchritudine, & bonitate vnum, & Trinum, pro Rege sibi eligerent, eumdem humiliter colerent: ac adorarent: eiúsque Sanctissimis præceptis non ad ostentationem, sed absque fuco, & fallaciâ obsequentes se præstarent, quô diuina spiraret Aurâ, cogitationes suas dirigerent: sic enim illorum cordibus, quæ ob incredulitatis peccatum, vt carbones extincti, nigra erant, per abundantiam lacrymarum ex dolore, & compunctione peccati emollitis, omniq́ue illâ de peccatorum tenebris effusâ caligine dissolutâ, præ diuinâ gratiâ igniti, nec non candidi, & rubicundi facti, dilecti Deo euadent, & illorum luctus multiplicatum gaudium pariet. Sed ad alios Turbines sermo impendatur. *Moraliter quid Turbinum Reges.*

TVRBO magnus, & longus multis voluminibus implicitus, quæ veluti Pyramidalem formam constituunt: cuius testa non aspera, & scabra, sed læuissima, politáq; admodum, & splendidissima est, ob colorum varietatem tota conspicua, & si pro basi carneum colorem habeat: ex Mari Indico.

TVRBO non magnus, nec longus. Buccinis satis similis, cuius testæ volumina coloris marmorei, ita à se discreta habet, vt in medio angulos efficiat: pars inferior in turbinem, superior vero in satis longum, & acutum rostrum desinit.

TVRBO alter, qui muricatus dici potest; constat námque tuberculis multis breuibus, & obtusis, rostrum non longum, & acutum, sed Muricum modo obtusum illi est: pars superior tumescit: testa intus purpuracei visitur coloris, foris tota albicat.

TVRBO in longum qui protrahitur, in cuius testa volumina scabra, & veluti striata sunt à natura depicta, & cui cũ quin-

que ſint annexæ appendices longæ, & acutæ humanarum vnguium formam quodammodo exprimentes. Penta Dactylus nuncupari poteſt, à voce Græca πέντε, quæ quinque ſignificat, & δάκτυλοι qua digiti denotantur.

TVRBO formâ, & figurâ ſuperiori non diſſimilis; cui tamen quattuor ſolummodo cum ſint appendices, nomen Teſſeræ Dactylii indi poteſt à voce Græca τεσσάρα qua quartus numerus exprimitur.

TVRBINES magnitudine parui: illi inſtrumento ligneo, quo luſitant noſtrates Pueri (& cuius vſus in puerilibus ludis antiquiſſimus etiam fuit) non multum diſſimiles, ex ſuperiore etenim parte,& hâc latâ, ſtatim in breue acumen deficiunt, in quorum teſtæ ſuperſicie varias lineas,veluti exochas,non ſine naturæ artificio, cernere eſt; pars exterior cum aliquo nitore albicat, quæ vero ſubiacet,ſplendidior eſt: ex Oceano Hiſpanico.

TVRBINES varij; alij albis, quidam nigris, pleríq; alij varijs coloribus diſtincti, qui tamen omnes pollicis magnitudinem non excedentes, in mucronem acutum terminant, & tuberculis multis, diuerſisqúe virgulis ſunt ſignati.

TVRBINES parui: multiplices ſpecies,& formas referentes, quibus non vnus eſt color,nec vna delineatio: ijs inter ſpongias viuere datur.

TVRBINES parui quidem,ſed ob venuſtatem, ac ſplendorem à diuerſitate colorum emanantem, maxime admirandi,quos non Mare Mediterraneum, non Oceanus Germanicus, aut Hiſpanicus, ſed Mare rubrum genuit.

Non eſt, vt ſilentio inuoluam Cochlearum nomenclaturam, quas Heſiodus Φερεοικέας appellauit, & Cicero Domiportas, *2.de Diuinatione.* quod ita ſint domi ſuæ applicitæ, vt eam ſecum aſſiduè portent: quæ ſicuti olim illatæ menſibus Romanas delicias auxerunt, ita tunc temporis in Muſæo repoſitæ, delicias Calceolarias auctant, & amplificant: inter has ob formæ pulchritudinem, Neritæ Cochleæ, quamuis magnitudine exiguæ, principatum habere videntur; ſiue illas ſpectes, quas *Hiſtor.anim. Lib.4. c.4.* Ariſtoteles deſcripſit, & Νηρίτας vocauit,ſiue quas Ælianus:eo *Hiſtor.anim. lib.14.c.17.* mari, vbi ſordium vacuitas eſt, & tranquillitas viget, naſci affir-

affirmat: ſeu etiam Neritas illas habere cupis, de quibus Bellonius. Haſce (vt aliquid etiam (& ſi fabuloſum) narretur, quo legentium animi recreari poſſint) à Nereo Deo illo marino, qui ex Doride Oceani filias quinquagintas habuit filias, & inter tot vnicum tantum filium, Neritem appellatum, Deorum, hominúmque formoſiſſimum: ſic dictas ſcribunt Hiſtorici quidam, quoniam tali Cochleâ, vti elegantiſſimâ, Buccinæ loco, vti fingeretur. Natices vocat Gaza ex Ariſtotele, à natando, vt opinor; nomine deſumpto à νέω, quod eſt nato, & Νηρός, quod concauum ſignificat; ac ſi dicas, Cochleas concauas, & natationi aptas; *Nauigant namque Neritæ* (ex Plinio) *præbentesque concauam ſui partem, & alteram auræ exponentes, per ſumma æquorum velificant.* *Lib.4. de aquatilib.* *Loc. cit.* *Lib.9.c.33*

COCHLEA in hâc marinâ collectione habetur, ob formam rotundam, & teſtam intortam, ac valdè magnam, nec non ob colorem niueum, valdè nitidum, vnionúmque æmulum, haud contemnenda: cui cum fundus cauus, & ad retinendum capax ſit, illam eſſe dices, quam Plinius Antiquis in vſu oleario inſeruiſſe ſcribit; ſiue ad oleum decapulandum, ſeu in vſus quotidianos ad illud hauriendum. *lib.32 c.11.*

COCHLEA quoque illa ſuo loco eſt diſpoſita, quæ ad Turbinum ſpeciem accedit, cum parte vnâ ſit turbinata, & ſatis longa: alterâ verò, quæ eſt rotunda, cum vmbilicum planè referat. Vmbilicus, aut Faba marina à Bellonio ex Ariſtotele nuncupatur: cui etiam ob cælaturas inæquales, quibus in ſuperficie ſcabra tota ſcatet, Cochleæ cœlatæ nomen eſt à Rondeletio tributum: intus læuis eſt, & colore argenteo ſplendet. Huius operculnm, quod Cochleæ foramen claudendo, ab iniurijs externis illam tutam reddit: ſpiſſum, & rotundum eſt: ſuperiore parte in quâ voluta eſt expreſſa, non aſperum, interiore vero, quâ ſcilicet Cochleæ carnem attingit, tuberoſum, inæquale, ac rubri coloris. Vmbilicus marinus à Recentioribus dicitur, quod ab vno latere cum ſit planum, ab altero quo eleuatur, quaſi Vmbilicum Puellæ formoſæ pro parte referat. Faba marina eſt Quorumdam, ob Fabæ noſtratis formam ſimilem, quam latere eleuato exprimit. Cretenſium eſt oculus marinus, quem *Hiſtor.anim. lib.4. cap.4* *Vmbilicus marinus*

ad

ad imagines ſuſpendunt,dicentes oculis ſuccurrere.

COCHLEA pollicis craſſitudinem non excedens, punctis varijs in ſuperficie,quæ eſt ſignata, & cum Pyri modo turbinata, Pyramidalem formam referat, Cylindróque proxima videatur, à Rondeletio Cylindroides nominatur; à Bellonio verò ſub Cochleâ alterâ marinâ reponitur.

COCHLFA Buccinis paruis ſimilis, quam Rondeletius ob aſperitatem Echinopheram nominat: tota námque eius teſta tuberculis,ſiue aculeis, vt extat Echini marini tegumentum, eſt conſperſa,

COCHLEA Turbinata quidem, ſed depreſſa, maculis diuerſis, ſed potiſſimum carnei, & candidi coloris omni ex parte ornata: cuius pars vna eſt plana, altera veluti voluminibus, quæ in gyrum, & turbinem acutum deſinunt: à naturâ conſtructa apparet.

COCHLEA Turbinata in colore albicans, ex Murium genere, cuius turbo obtuſus, & veluti Echinatus eſt.

COCHLEA depreſſa. Operculum Cochleæ cęlatæ quodammodo exprimens: eſt enim vnâ parte plana, alterâ vero excauata in voluminibus, quæ initio parua cum ſint,paulatim creſcunt ad formam vſque.

COCHLEA ſatis grandis, turbinata, & in medio vmbilicata, quæ proximè accedit ad formam illarum Cochlearum terreſtrium, quæ conglomeratæ craſſioribus fœniculi caulibus adhærent.

CONCHLEÆ ex Mari rubro tranſportatæ, Vmbilicum figura referentes, quarum pars plana latior eſt,mox in turbinem breuem deſinunt: tota harum teſta mirâ varietate, tuberculis, & punctis nigris,rubris,& candidis adeô eleganti ordine eſt conſtructa,diſtinctáq;,vt artem,naturam ſuperaſſe dices.

COCHLEÆ Turbinatæ, & in medio vmbilicatæ, varias,quæ non ſine intuentiom admiratione, repræſentant formas, diuerſis quæ ſunt exornatæ coloribus, nigris, candidis, rubris, glaucis, & carneis. ex Oceano Indico.

COCHLEÆ pellucidæ admodum, multiplices figuras,& ſpecies (ſic eſt natura,& in Cochleis fœcunda) referentes,varijs pulcherrimis coloribus, & notis delineatæ: ex eodem Mari.

CON-

CONCHVLÆ lucidiſſimo ſplendore nitentes, diuerſas ſpecies, & ſui generis imagines, quæ exprimunt, amœniſſimis coloribus, & ſignis omni ex parte compreſſæ.



CONCHYLIVM habeas muricatum, ſatis prægrande, ſubſtantiâ ipſâ, & colore, candido, marmori æquandum; edendis ſonis, vt Buccina ipſa, aptum; quo Indiæ Gentes tubarum

rum vice, tàm in Bello ad ſignum militibus dandum, quàm in venationibus ad excitandum ad prædam canes vtuntur: cuius teſta in medio eſt eleuata, vt ventricoſa videatur, & tuberculis quibuſdam miro ordine ornata, nec non lineis, veluti exochis tota plena; in cuius margine, & appendice, quâ parte aurita eſt aculei ſatis longi, aliqui breues, duri tamen omnes, ac ſi ſaxei eſſent, ſparſi ſunt; altera pars depreſſa eſt; vt non ineptè Aphoraidis nomen ex Ariſtotele, & Coryphæi ex Plinio illi aſſignari poſſit.

Hiſtor. anim. lib. 4. cap. 4
Lib. 32. c. 7

CONCHYLIORVM genus minimum, & ſi vulgatum, ob varietatem tamen ſuas habet ſedes: formâ non admodum eſt diſſimile Conchis Venereis, & omni ex parte cum luciditate albicat. Porcelletæ ſunt officinarum, quaſi Vmbilici marini; quorum tenuiſſimo puluere cum adipe Gallinæ liquato, mulieres ad clarificandum faciem vti ſolent.

TVBVLI, ſeu Siphunculi marini, vt quid teſtaceum, pœnes Cochleas repoſiti ſunt: haud abſimiles fiſtulę illi, ex quâ aqua ex fonte exilit; ſunt námque rotundi, & teretes, foris aſperi, & candidi, intus læuiſſimi, & concaui: alij recti viſuntur, alij contorti, quidam replicati: in ijs Vermes colore, & ſubſtantiâ Scolopendræ rubræ ſimiles procreantur, & viuunt.

In hâc Teſtaceorum ſerie Antales quóq; collocati reperiuntur: quorum ortus in profundo maris, in cauernis quibuſdam eſt, fiſtulæ modo ſunt longi, ſed inflexi inſtar dentis canini, & pertuſi ad modum cannæ digitum: ſecundum longitudinem non excedunt: ijs ſuperficies non eſt leuis, ſed ſtriata, virgulatáve; in ſubſtantiâ prædura toti albicant.

DENTALE: non illud lignum deſcribitur, cui Vomer arandi cauſsâ inducitur, & de quo Virgilius.

2. Georg.

Duplici aptantur Dentalia dorſo.

Sed Tubuli marini, parui, oſſeæ ſubſtantiæ, Antalibus multò minores, explicantur; qui dentes caninos formâ referunt, his tamen longiores; intus ſunt perforati, & inanes, foris dentatam rimam habent: naſcuntur more Antalium in cauernis lapidum profundi maris: & ſi non deſint indocti homines, qui Dentes illius Piſcis, cui vulgò Dentalis nomen eſt attributum, eſſe autumant.

BELLI-

BELLICVLOS, seu Belliricos marinos inuisere tibi datur: qui circa maris litora inueniuntur: lapilli sunt exigui, & depressi, formæ rotundæ: quorum pars altera leuiter excauata instar acetabuli est, ac in candore maculis flauis conspersa humani vmbilici speciem imitatur: alia veró flaui, & minus nitentes sunt, nigricantibus lineis ad imaginem Cochleæ circunductis: sint ne illi, de quibus Cicero meminit, Socerũ suum Lelium, & Scipionem, cum ruri degerent, Conchas, & Vmbilicos ad Caietam, & Lucrinum legere consueuisse: valdè ambigo: cum potius crediderim Cochleas illas fuisse, quæ à figurâ vmbilicatæ vocantur: quarum vsus piscium vice pauperibus primum fuit acceptus, postmodum adaucto in cibarijs luxn, illarum esus in delicias Romanas pertransiuit. *Lib. 2. de Oratore.*

Vt autem finis Testaceorum nomenclationi imponatur, Tres Solum Ostręcodermorum species, vt præcipuas, nec spernendas in hoc horreolo reconditas, subijciam Ostreacea alia vt notissima, & vulgaria ommittens; quarum prima Spondylus est Antiquorum; à Plinio etiam descriptus, nec non ab Athenæo Τράχηλος dictus, in eo tantum mari, quod numquam reciprocatur, saxis, & cautibus annascens, quibus ita hæret, vt non nisi malleo, aut fractâ saxi parte capiatur. Duplici testâ constat hæc Ostrea, intus caua, & læui, foris scabra: ad vngulæ Asini formam est rotundata, cum quâ magnã quòd habeat similitudinem à Græcorum vulgò Gaideropada vocatur, quasi pedem Asini dices. Gaideros enim lingua illa Asinum significat. *lib. 32. c. vlt. Lib. 3.*

Aliud Ostreæ genus in Musæo detinetur: cui sanè (cum perdifficile admodum sit rebus singulis, quæ natura parens producit, propria nomina aptare) quid nominis possit applicari, non ita patet: id vnum sciat Lector: ex mari Indico fuisse extractam hanc Ostream, ob formam non despiciendam; testa cum sit illi pellucida satis, varijs coloribus, flauescentibus præcipuè, & purpuraceis depicta; foris instar Bryi marini à Plinio descripti, crispa, & crinita est, intus splendida, læuissima, & candidissima. *Lib. 27. c. 8.*

Illud etiam Ostreæ genus prægrande spectatur, quod notat Bellonius, *In Toro Arabiæ Ciuitate ad oras Maris rubri sitas, à* *Lib. de aquat.*

Græcorum vulgò Aganon vocari, & à Caloieris, ac Cœnobitis, qui eò loci plurimi degunt, Tricdanam nominari; quam sanè, illam esse crediderim, à Rondeletio sub nomine Conchæ imbricatæ descriptam.

Instituti ordinis structura iam expostulat, vt delineatis plantis marinis, Alcionijs, & testaceis singulis ad Pisces exsiccatos sermo dirigatur, quò primæ huic sectioni finem imponere detur: in illis autem describendis, ne præpostere rem tractare videar, illemet ordo seruabitur, quo in Musæo ad propria loca sunt solerti arte dispositi. Qui autem primus, vt Ponti, sic & Musæi Princeps contemplandus, ac describendus venit, est Delphinus ipse, non immeritò pro aquâ, Marique passim in nummis antiquis excussus. Piscis ex cætaceorum stirpe, corio læui, & sine squamis, pilísque, sed duro contectus, non pinguissimus, quia exsiccatus, ac innatâ pinguedine destitutus, rostrum cui est oblongum, & oris scissurâ maximâ: cuius præclarissimæ dotes, non sine commemoratione relinquendæ videntur: Ommitto Animal hoc, regium sanè (vt sermone, & literis multorum est promulgatum) fragrantissimo Musicæ amore detineri, admirabilíq; ad vocis cantum studio concitari, adeout, & cantu mulceatur, & capiatur attonitus sonu; quod ne fabulosum, & figmentum Poëticum videatur, legas obsecrô Ælianum, Plinium nostrum, & inter recentiores Olaum Magnum Archiepiscopum Vspalensem. Sed vt res præ cæteris admiranda, hoc non inuitus referam. Marinum hunc Piscem, adeò ab humanâ naturâ, loco, & rebus, commerciόque alienum, aquam qui semper, vt aëris expers innatat, in terrâ, vbi primum hanc attigerit, vitam finire, non educatione motum, vt Canes, & Equi, non vllâ aliâ necessitate ductum, veluti Elephanti, Pantheræ, & Leones ab hominibus liberati, sed genuino quodam affectu, tantâ corripi erga humanum genus beneuolentiâ, ac familiaritate, vt ad hominum, puerorum maximè (vt simplicioris ætatis amasius) consuetudinem mansuescat; appellatus, nomine potissimum Simonis inuocato (vt potè quo plurimum gaudere soleat) quasi vocem intelligens, accersitus veniat, cicur, & docilis fiat, grati ani-

Histor. anim. lib. 2. c. 6. et lib. 11. c. 12
Lib. 9. c. 8. & lib. 11. c. 37.
Histor. Sept. lib. 20. c. 12

ti animi ſigna obſequio patefaciens, ac homini, quamuis nullius mentis animal, beneuolentiã quamdam oſtendens: quod vnum quamuis aquatile ſit animal, & ob id frigidioris temperationis, tamen tribuendum videtur maximo naturæ vigori, quo pollet, ideóque feruentius amare. Non dubito cicures quoque alios inueniri Piſces, qui humanam amicitiam ambire videntur, & ad hominum conſuetudinem, præter Delphinum, manſueſcunt, cum appellantur, intelligunt; vt de Cæſaris piſcinis illis legere eſt apud Plinium, in quibus genera piſcium ad nomina veniebant, quidam *Lib.10.c.30* etiam ſinguli: Et de Murenâ illâ Craſſi Romani celebratiſſimâ, apud Ælianum legitur (vt Vitulum marinum, & innumeros alios piſces dociles ommittam) quæ Craſſi ap- *Histor.anim. lib.8.cap.4* pellantis vocem agnoſcebat, atque ad eum adnatabat, cum ei quidpiam porrigebat, gaudio exiliens promptè, ac parato animo accipiebat: quam ob mutuæ beneuolentiæ ſeruatam fidem, vbi primum expirauit, temerè feciſſet, niſi amare, vberiúsque fleuiſſet, atq; honore ſepulturæ affeciſſet: ſed in quibus tanta reperiatur erga homines, vt in Delphino beneuolentia, ex auctorum ſcriptis non ita facile arguitur; de cuius amoribus, ac firmiſſimâ erga homines amicitiâ, vt amoris ſimulacro, extant auctoritates Ariſtotelis, *Histor.anim. lib.9.c.48.et* Auli Gellij, Plinij Iunioris Epiſtolâ ad Caninium, & Al- *lib.2. c.6.&* berti Magni, vt Plinium ſecundum, & quàm plurimos a- *lib.6.cap.14. Noct. Att.* lios, ne diuagari videar, ſilentio prætercam. *lib.7.cap.8*

Vti etiam in tot nummis Antiquis, Delphinum videre eſt, ab *Lib. 8.* alato Cupidine frænatum. Quòd verò maiorem inducit *Anim.lib.24 Lib.9.cap.8.* admirationem, eſt, reperiri in hoc animali tantam pietatem, vt homini nullâ conſuetudine aſſueto, in extremo vitæ periculo laboranti auxilium afferat, & defuncto officiũ præbeat. Sancto Martiniano (vt Arionem, Palæmonem, Phalantem, Taram, Telemachum, & alios Delphini beneficio *Metaphrast. apud Lipom.* ſeruatos, vt in nummis antiquis habetur, ſubticeam) mulie- *Tom.6.* brem illecebram qui euitare ſummè optabat, ſpontc in mare ſeſe dimiſſo, mox duo Delphini adfuêre, qui illum veluti Cymbâ impoſitum, extra mare in aliud litus detule- *Metaphrast.* runt. Caliſtratus martyr, Diocletiano regnante ſacco in- *Loc. cit.*

ſutus, in mare fuit abiectus, diſrupto ſacco, annuente ſic diuinâ gratiâ, Delphini duo adnatantes, ac ſi admoniti fuiſſent, Sanctum tergo exceperunt; & ad litus accedentes ſenſim, ac cautè depoſuerunt. Referre nec piget, quid Luciano martyri, vt in eius vita legitur, acciderit: Innocentiſſimus hic martyr Maximiliano Imperatore in Chriſtianos atrociſſimè ſæuiente, lapide ad dexteram alligato, in mare fuit deiectus: quintodecimo tamen poſt die, à Delphino vaſtæ proceritatis, ſupra eius corpus glorioſiſſimus martyr mortuus per æquora ducebatur, quem tandẽ terræ non ita primum commiſit, quo & Delphinus ipſe, hanc eamdem, vti ſibi exitialiſſimam, lubens amplexando, ſtatim expirauit: Delphinum (vt aliquid etiam exprimatur, quod moralitatem ſapiat) procul à terra adeò violentum animal, vt loco ſtare nequeat, nefáſque arbitretur motu vacare; tantæ agilitatis, vt ſummâ cum velocitate intra aquas eiaculetur (quâ fortaſſe moti ratione Antiqui huius ſignificatu velocitatis indicium denotabant) vbi terram attigerit, vix in arenam exceptum, confeſtim mori, in illud genus hominum non ſine ſale expreſſum, intelligant illi, qui philaphtiâ tumidi, vt noui tiphi ab aquarum ambitione inflati, laxis habenis, proprijs laribus relictis, plus ſapere exiſtimantes, quàm illorum conditio expoſtulet, cum literatis hominibus, extra ſuæ mercis limites pruriſcentes, ac iactabundi, altercari tentant, Delphinúmque nare docere conantur. Hi námque non ſecus, ac noui, & inexpertes Delphini è propriâ ſede ſurrecti, alienam cum faſtu inuadentes, in barathrum ignorantiæ ſummo cum dedecore labuntur, in hominum ludibrium, ac contemptum cadunt, ac tandem μίμοι φυλαττικοὶ in propriâ iactantiâ non ſine cachinnatione, deſipiunt.

Loc. cit.

Moraliter quid Delphinus?

VITVLVM quoque marinum in hoc nobiliſſimo rerum exoticarum apparatu ſeruat Calceolarius: φωκή eſt Græcorum, ducto nomine à voce Græca βώκη ob boatum quem edit, potiſſimum dormiendo, quo tempore tàm altè ſtertit, vt rugitum edere videatur: & hoc, ob pituitoſum humorem in aſperâ arteriâ detentum, qui inſpirando, & expirando agitatur:

tur: vndè,& Bos marinus à quibusdam dicitur: Animal est Cætaceum, quadrupes, Vitulo terrestri exceptis auribus valde simile,quibus natura solers hunc priuauit,ne multum humorem susciperet, natationémq; sibi iu aquâ prohiberet: Corio intectum est duro: gemina illi est natura, vt notat Astristoteles, aquam,terrámque incolendi: ita vt partim in aquis, litoralibus potius, quàm pelagijs, partim in terris vitam depascendo, ac deprædando ducat: pinnis,quibus in mari pro natatione vtitur,humi quoque vice pedum serpit: sursum, deorsúmque claudicantium more se mouens: Bellua (vt habet Ælianus) exemplo ex Eudemo, quæ Delphinorum more, hominum amore flagrare solet: quæ præter piscium consuetudinem, vt scribit Aristoteles, est docilis, vocéque, incondito nempè fremitu, ac visu populum salutat: nomine vocata etiam respondit: Somniculosa est, & adeò grauissimo somno, ac diuturnâ veternositate opprimi solita,vt ne turbatum quidem mare dormiendo sentiat: (vnde Antiquitus per huius simulacrum,somniculosus homo significabatur:) Et Albertus Magnus tantâ humiditate scatere hoc animal tradit, vt si dextera eius Pinna, quâ ad natandum vtitur, temporibus hominis vigiliarum excessu detenti supponatur, somnum inducat: hoc idem affirmat Plinius. Adijciam, quod ab eodem Plinio,& Plutarcho: de hoc animali scribitur: Ex omnibus marinis,hoc vnum fulminibus non tangi: quinimo audito tonitru,visóque fulmine,ac coruscatione, animositatis sedem in corde habens, exultans planos monticulos ascendere; gaudere, ranarum instar, pluuiarum accessu, nedum expauesci: quod sanè & si fabulosum videri possit, hinc tamen, vt vero verius simbolum illud Ægyptiorum deductum est, qui significare volentes hominem contra omnia pericula tutum se præmunientem, Vituli marini pelle indutum, vt infortunij magni tutellâ, pingebant. Et Augustum Imperatorem hoc corio contra fulminis ictum vsum fuisse tradit Suetonius in eius vitâ; vti etiam apud eumdem legitur, Seuerum Imperatorem hâc eâdem superstitione imbibitum, lecticam suam, qua vehebatur, tali corio tegi mandasse. Nec silebo Tiberij coronam hâc pelle fabre-

Histor.anim. Lib.4.c.56

Histor.anim. Lib.2. c.7.

Histor.anim. lib.2 c.17.

Morali. quid Vitulus mar.

Anim.lib.24

Lib.9 c.13

lib.2.cap.55 & alibi.

Lib. de anim. solertia

Moral. quid Vitulus mar.

Histor. Sept. lib. 20. cap. 3

fabrefactam: recitat similiter Olaus Magnus, pauidos fulminum, tutissima reputare tabernacula, è huiusmodi pellibus confecta; eò quòd, vt Aquila inter Aues à fulminis ictu immunis commemoratur, ita inter Aquatilia Vitulus quoq; de quâ etiam Belluâ, hoc aliud scribit hic Auctor, quod tamen ad perplexitatem quarundam gentium Septentrionaliũ facit, quæ tempore ieiunij carnes huius animalis comedunt: *Asserens nonnullos scropulosè se torquere, ne his, qui scilicet circa interiores partes sunt, tempore quadragesimali vescantur: & quamuis res hæc rectoribus Ecclesiæ commissa, non definiri concorditer potuerit, nihilominus simplicioris ingenij viros dicere, & probare, ex Vitulo marino hanc sumendam fore demonstrationem, vt cum partum fecerit in littore hæc bellua, si ad syluas à venatore compulsa fugerit, ab eius esu tempore prohibito abstinendum esse, si verò ad aquas, securissime tam illis carnibus, quàm larido vesci posse: & ita seruatur, vt numerosissimi homines loco olei hac pinguedine vtantur in obsonijs, atque ob hanc eamdem causam carnes, non secus ac latera porcorũ in maxima quantitate ad vsum in vasa recludantur.* Hæc Olaus Magnus.

Lib. 9. c. 43.

Ἀλώπηξ Græcorum, & Vulpes Plinij visitur quoque. Piscis Cętaceus ex Galeorum genere; cuius corpus rotundum, spissúmque est, pinnis longioribus, & breuioribus munitum, os habet paruum, non multum infra rostrum, caudæ pinna, quæ sursum abit longissima est, & cum falcis, aut ensis formam referre videatur, hac ratione à quibusdam vulgari titulo, Pesce spada nominatur. Piscis, vt notat Aristot. & Ælianus, non secus ac Vulpes animal terrenum, fraudolentam seruans naturam; quâlibet actione, qui cautus se præstat, præsertim vero ad declinãdas insidias illi in piscatione paratas summa est attributa solertia: *Principio enim* (vt Æliani verbis vtar) *aut ad hamum non accedit, aut simul vt hunc deuorauerit, statim tamquàm vestem inuertens, & interiora sua euomit, & ad hunc modum ferrum expellit.* Quod etiam de Scolopendris apud Plinium legere est, quæ hamo deuorato, omnia interiora euomunt, donec hamum egerant, deinde hæc eadem resorbent.

Histor. anim. lib. 4. c. 37. et lib. 9. c. 11

Loc. cit.

Loc. cit.

Nec

Nec non Κατρίσκος Græcorum, & Athenæi ſpectantium oculis ſeſe offert: Κοῖρος ſeu Porcus Strabonis, vti & quarumdam aliarum notionum. Piſcis marinus ex ſquamoſis, corporis formâ quaſi rotundâ, ſed compreſſâ, ſquamis ita firmiter cohærentibus, tàmque aſperis vndequaque munitus, vt veluti duriſſimo, ac ferè impenetrabili tegumento, & pelle operiatur: cui quamuis os paruum natura dederit (Muris animalis figuram exprimens, quâ ratione fortaſſe μῦς ab Oppiano nominatur (dentibus tamen acutiſſimis, & robuſtiſſimis illud armanit, vt alios piſces, quamuis magnos, intrepide aggredi audeat: de quo audias Oppianum canentem. *Lib. 8.* *Geogr. lib. 17* *lib. 1. ἁλιευτ.* *Loc. cit.*

Eſt quoque prę reliquis ſæuum Muris genus, audet
Bella inferre viris Gens tantula, tergore duro
Fidens, & denſis armato dentibus ore.

Vti & SCORPIVS Græcorum, & Latinorum, qui à Plinio Rufus dicitur, quòd maiore ex parte ſit colore rubeſcente, ſiue Rufo; Piſcis Pelagius, ſquamis contectus, quæ potius ſerpentum corticem, quàm ſquamas referre videntur: cui nomen eſt, non à Scorpij terreſtris formæ ſimilitudine, ſed quia venenatis aculeis, quibus multis caput maximum quod habet, eſt præmunitum, pungat, feriat, venenúmque Scorpij terreſtris ritu effundat; atq; à totâ ſubſtantiâ, quam aliqui virtutem ſpecificam vocant, vt hic, minimo ictu, atque inſenſibili materiæ quantitate, mortem afferre ſoleat; vnde Ouidius; *Et capitis duro nociturus Scorpius ictu.* *Lib. 32. c. 10*

Et apud Ciceronē; *Scorpius infecta præportans flebile acumen;* ſicuti etiam & ſpinâ venenatâ, quam in dorſo gerit, feriendo venenum vibret. Hinc illud Adagium celebratiſſimum: Piſcator ictus ſapit, ab euentu natum, putarim: cum Piſcator quiſpiam (vt notat Geſnerus) piſcibus, quos intra rete tenebat, manum admouiſſet, atque à Scorpio piſce feriretur, ictus inquit, ſapiam: quo exemplo monemur: in actionibus obeundis valde oculatos nos ſemper eſſe debere, ne optima captare credentes, in peſſima, & nocitura cum pernicie incidamus, ſtultè námque eſt dicere non putaram, & ſerò ſapiunt Phryges, vt eſt in prouerbio, cum quis ſuo malo in poſterum non caueat; & cum Claudiano. *Lib. 4. aquat. cap. de Scorp.* *Moraliter quid Scorpius marinus?*

Nil

Nil iuuat errores mersâ iam puppe fateri.

Serò enim gemimus (vt eſt apud Euripidem,ex Electrâ Clytęmneſtram redarguente) quũ ſpes haud reliqua eſt remedij.

DRACO & Marinus Æliani inter Muſæi parietes conſpicitur. Piſcis formâ ſatis oblongâ,pugionis modo compreſſus, & ſquamis exilioribus certè, ſed duris contectus, qui tamen Draconi terreno, capite, maxillis, & oculorum magnitudine ſimilis videtur. Inter peſtifera animalia marina à Plinio ſub nomine Aranei deſcriptus: nec absque ratione, ſicuti enim Aranea animal inſectum ſuo peſtifero morſu vehementiſſimos circa plagam dolores, & cruciatus, mortémque ſæpe numero inferre ſolet, ita & hic piſcis ſi viuus contractetur, & manu tollatur, venenatis aculeis, tenuibus, nigris, peracutis, & tenui membranâ nigrâ connexis, quibus eſt in capite armatus, vulnus tangentibus infligens,febrem,ac delirium protinus excitat, nec non totum brachium cum mortis periculo inflammat: quem aduerſus ſui ipſius ictum ſtatim impoſitum, vti & Mulum piſcem valere ſcribit Galenus, & Dioſcorides.

Lib.9.c.48.

Simpl.medic. lib.11.

Lib.6.c.44

Affinem hi piſces habent Κάνθαρον Græcorum: Scarabęum Quorumdam: à colore nigricante, ſeu ex nigro rubeſcente,quo Scarabæum terreſtrem inſecti genus refert, ſic nominatum: Piſcis inter litorales ab Ariſtot. & Plinio enumeratus,ſquamis paruis intectus, corporis formâ, branchijs, pinnis, & aculeis, Auratæ haud abſimilis: qui tametſi in luto, & ſordibus libenter verſetur, nihilominus, referente Æliano, ſalaciſſimus eſt, ac pugnam inſtituit de fœminis, non ſecus, ac viri de pulchris mulieribus, Hirci contra Hircos,& Tauri contra Tauros: turgétque amore adeò fragrantiſſimo in ſuæ ſpeciei fœminas, vt cum procis, Zelotypiâ ductus, acerrimas pugnas edat; certamen non inſtituens de multis, Sargorum Piſcium more (qui non modo in ſuam ſpeciem libidinoſo corripiuntur amore, ſed & Capras ipſas animalia terreſtria vehementiſſimè amant, & tantâ amoris inſaniâ in eas exiſtunt, vt à Piſcatore caprinâ pelle obtecto, & ab illis ſenſu caprini odoris percepto, dolo capiantur) ſed pro vnâ tantum, non ſecus ac Menelaus cum Paride pugnet, ac decertet:

Hiſtor.anim. lib.8.cap.13

Lib.32.c.11

Hiſtor.anim. lib.1.cap.27

certet: quâ ſi ſemel fuerit potitus, nullam aliam (promiſcuæ Veneris odium abhorrens) concupiſcat, ac attingat, vnicâ caſtitate contentus; quod à Cl. Poëta Oppiano hiſce verſibus elegantiſſime eſt deſcriptum. *Lib. 1. ἁλιευτ.*

Vxores Sargi multas, & Merulus ardens
Ducunt: aſt alij contenti coniuge ſolâ,
Cantharus Ætnæus contemnens agmina lecti.

Res ſanè notatu digna, velint, ac nolint, homines illi, non ſine maximo cum dedecore, vt fateantur eſt neceſſe, ſe à Brutis caſtitate ſuperari; qui legem à Deo Opt. Max. pro mutuâ, & reciprocâ, in matrimonij vinculo, ſeruandâ fide, neutiquam ſeruantes, nec malæ tractationis pœnam verentes, non turpibus Hymæneis deteſtatis, nec vnicæ vxoris conſortio contenti, Lenonum, & Strygarum medio alienas ſedes propagnationi deſtinatas, violare, & ingredi tentant, ac vt noui Cuculi in Corrucæ nido fœtificare die, noctúque ſtudent. Quo ergo in fide matrimoniali non hæſites, nec hinc inde à fluctibus tentationum, qui à ventis concupiſcentiæ, & luxuriæ agitantur, rapiaris, Canthari Piſcis exemplo, quam Deus tibi præſcripſit vxorem, illâ vnicâ ſis contentus, alienam ne concupiſcas; illam diligito, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro eâ; vitæ & negotiationis huius mundanæ ſociam ſummâ cum tranquillitate domi contineas: ſic enim ſeruato hoc naturæ vinculo, legibus, ac benedictione obſtricto, gratus Deo, & hominibus euades. *Moraliter quid Cantharus?* *Ephes. 5.*

CANICVLÆ, ſimiliter Plinij patet aditus, quam Canem Galeum Latini vocitant, quod ex Piſcium Galeorum ſtirpe ſit, corporis enim formâ longâ, eſt ijs ſimilis, denteſq; habet ad latera recuruos: non tamen eſt illa, quæ ab Ariſtot. σκυλίος nominatur: ſed cui, vt notat Plinius, nubes quædam ineſt, quæ oculos occupat, & quam in nullo alio Galeo, præterquam in hâc, & Galeo Galauco, reperiri ſcribit Rondeletius. Piſcis naturæ inſtinctu adeò pruriginosâ libidine in corporis humani carnes, nudas præcipuè, & candidas ardere ſolitus, vt aliquando has depaſcendi cauſsâ in terram exiliat: vnde hâc ratione, & ob duros aculeos (vt ha- *Lib. 9. c. 36* *Hiſtor. anim. lib. 6. cap. 10* *Loc. cit.* *Cap. de Galeo canc.*

Hiſtor.anim. lib.1.c.56. betur apud Ælianum) venenum quoddam iaculantes, tnnc temporis & Piſcatoribus, ac maris incolis valdè formidabilis ſit. Piſcis tantâ guloſitate, ac voracitate inſignitus; vt (ne diſcedam ab Æliani verbis) *Cum vnus captus eſt hamo,* *Loc. cit.* *omnes hoc aſpicientes accurrant ad captiuum, quem ſequuntur vſque ad nauem æmulatione quâdam, exiſtimantes captum eſcam ſibi prædatum fuiſſe: vt eorum nonnulli in nauem aliquando inſiliant, & volentes capiantur: mortem præ guloſitate ſibi arripiẽtes:*

Moral. quid Canicula. Sic qui carnium voratione, & vini potatione diſrumpitur, nec non hamo crapulæ, & ebrietatis ſeipſum exponit, interceptâ, ac ſubmersâ ratione, veluti à nube densâ, à copioſore cibi, & potus euaporatione, diſtracto à proprijs operibus corde, inualeſcente luxu, & amœntiâ, præceps nauim, Syluam nimirum libidinum ingreditur, voluntarius peccati euadit captiuus, & ita Diaboli in animi perniciem fit præda.

Loc. cit. Σκυλίος καὶ Νευρίος Ariſtotelis, ac ſi dicas Hinnulus, quem Gaza Caniculam inrerprætatur; & ab Athæneo σκύμνος vocatur, *Lib. 3.* ideſt Catulus. Eſt námque Piſcis ex Galeorum genere minimus, cuius cutis in colore rufeſcit, & maculis nigris eſt aſperſa, quam ſi à caudâ ad caput manibus contrectes, aſperam admodum eſſe dices, ſin autem à capite ad caudam, mollis, & blanda perſentitur; brachia, pinnas, & caudam eiſdem maculis notatas habet, nec minus edax, heluone eſt hic piſcis, quam cætera alia Canicularum genera.

Hoc genus Piſcium, quod in Cataceorum ſtirpe ponit Gale- *3.de alim.facul.cap.31.* nus, ingrati ſaporis, & muccoſi eſſe, durámque habere carnem, ægre confici, & parere ſuccos craſſos, & ſalſos, efficeréque ſanguinem melancholicum notat hic auctor: quibus etiam in partes ſectis, ac ſalitis, vulgares homines cum *Loc.cit.& 3. de loc.aff.c.7.* ſinapi ex Oxelæo, atq; id genus acribus medicamentis veſci ſcribit.

Loc. cit. CANICVLÆ Ariſtotelis Vterus, ſeu Vulua bifida, in cuius medio Oua colore, & perſpicuitate cornu ſimilia, figurâ peluinar, quo dormientium capita ſuffulciuntur, referentia, ad ſpinam adhærere ſolent: ex cuius angulis depẽdent meatus *Loc. cit.* longi, & tenues (modo tamẽ hoc nomẽ mereãtur, & quos Ariſt. meatus capillares vocat) cum potius videantur eſſe ligamẽta

quædam

quædam, & appendices Capreolorum vitis modo conuolutæ, naturæ inferuientes, ad retinendum, & firmandum in vtero ouum, vt neque furfum, neque deorfum moueatur, quo ad ftatuto tempore in lucem prodeat: non fecus, ac in vtero muliebri quorumdam ligamentorum medio fœtum fuftentari ex Anatome confpicitur.

CARCARIÆ Canis Ariftotelis: Pifcis marini, ferociffimi admodum ex Canicularum genere, Caput prægrande, rictum canis habens, oris fciffura cui eft maxima, in cuius maxillis dentes confiftunt acutiffimi, & duriffimi, triangulari figurâ vtrinque ferrati, nec non in fex ordines difpofiti, quorum aliqui extra os prominent, alij recti, alij in os recurui funt: ob quos maximus, validiffimúsque inter canes marinos, eft habitus; nec defunt, qui Pifcem hunc carniuorum, voraciffimum, & antropophagum nominant: legitur námq; cadauera mortuorum etiam integra vorare: & apud Theophraftum habetur, Mare rubrum Belluis refertum effe, plurimásque caniculas (carcharias) habere, in tantum numerum, vt mare tutum non fit: & in Plinio hæc extant verba, *In Mari rubro Syluæ viuunt, Laurus maximè, & Oliua ferens baccas, & cum pluit, Fungi, qui Sole tacti mutantur in pumicem. Fruticum ipforum magnitudo ternorum eft cubitorum, Caniculis refertæ, vt vix profpicere è naui tutum fit, remos plerumq; ipfos inuadentibus.*

Hiftor. anim. lib. 5. c. 5.

Hiftor. lib. 4 cap. 8

lib. 13. c. 25.

FABRVM, feu Zeum Plinij, quis numquam viderit, inter hos Pifces reconditum fciat: hinc fortaffe dictum à fuliginis colore, quo eft infectus, non fecus ac Fabri ferrarij, qui fuliginofi femper vifuntur: quod etiam ab Oppiano hoc verficulo exprimitur.

lib. 9. c. 24. et lib. 32. c. 11

Lib. 1.

Et Faber, & nigro cui nomina dicta colore.

Aut quia, vt apud nonnullos inuafit opinio, in hoc pifce fingula illa inftrumenta reperiantur, quæ ad artem fabrilem fpectant. Χαλκεύς eft Athenæi. Gallus marinus quorumdam, à dorfi fpinis furrectis, veluti Gallorum Gallinaceorum criftis, quibus fe munitum demonftrat. Pifcis inter planos potius, & cartilaginofos, quàm fquamofos enumerandus; eft námq; corpore plano, vel certè admodum com-

Lib. 7.

presso, dorsi acies aculeata est, caput extensum habet, & Os latissimum. Romanorum est Citula, seu Piscis Sancti Petri; ille sanè, de quo Matthæus: quando scilicet in Vrbe Capharnaum Dominus iussit Petro, vt misso in mari hamo, piscem expiscaretur, e cuius ore pecuniam inuentam publicanis persolueret.

PISCIS ille notatu dignus, nec in infimas Musæi sedes collocādus, describitur, qui Græcorum est οὐρανόσκοπος, ac si dicas Cœli speculator, ob oculos supra eius caput magnum, osseum, & asperum, Ranæ piscatrici haud absimile sitos, & rectâ in Cœlum semper erectos, quos habet. ille inquam qui Solis aspectu gaudere solet: καλλιώνυμος, idest pulchri nominis Piscis est eorumdem, non quòd pulcher sit aspectu, cum potius ob fuscum colorem, ob capitis, totiúsque corporis speciem, fœdus appareat; sed ob Vranoscopi appellationem, quæ pulcherrima est, homine potius, quàm pisce digna. Hasce voces sequutus est etiam Plinius noster, cum veteri latino nomine careat, ἡμερόκοιτος est Oppiani; nomine desumpto à furibus illis, qui interdiu dormiunt, & noctu vigilant, alienâ deprædandi caufsâ: quíque à Suidâ in eius Geographiâ ἡμερόκοιτοι appellantur. Sole námque hæmisphœrum hoc nostrum illuminante in arenâ dormit hic Piscis litoralis, & sine squamis, noctu verò vigilat, prædam quærendi caufsâ, vnde & Νυκτερὶς est vocatus, fur nempè nocturnus. Mirum audias, quod scribitur de solerti ingenio in venatione huius Piscis. Est enim ita vafer, vt luto primum se immergat, postmodum caput paululum exerens, membranam quandam ex ore dimittit, ad quam vti ad escam Pisciculi adnatantes concurrunt, cuius præ morsu admonitus, statim illam retrahit, ac ita cum eâ Pisciculum pro sui alimento.

Lib. 32. c. 7. & 11.
Lib. 4.

Vt autem innotescat Callyonimi partem sui corporis aliquam in medicinâ faciendâ, proficuam esse, scias, Galenum de medicamentis illis dum agit, quæ ex felle animalium ad oculorum acutiem componuntur, tradere, huius Piscis fel, vt & Hyenæ, & Scorpij marini, tùm Galli, & Perdicis, aciē exacuere oculorum, & suffusionum initia digerere: Necnon cum

Lib. x. simpl. medic. & 4 comp. medic s. l. cap. 4.

cum senectâ anguium aceto tritâ mistum, & in aures instillatum, ad auditus grauitatem, ex Apollonio conferre. 3. de comp: med. l. loc.

Superioti est affinis Lyra Græcorum, & Latinorum, nec non Aristotelis. Piscis marinus ex Cuculorum genere, more suum per Vndas grunnians: cuius cutis fusca, rubedinis est particeps, latas qui habet ad latera pinnas cęruleo colore imbutas. Ab Alberto Magno pro lepore marino acceptus, quàm benè legas Aristotelem, cui Lyræ nomen videtur tributum, quòd summo rostro bifurco Lyræ antiquæ formam quodammodo referat. Organum est Ligurum, & Cuculus Illiricorum, ob sonum, quem per æquora vagando edit, significatu desumpto à Cuculo Aue notissimâ, quæ in cantando magnam vocem (& si hanc non mutet) edit: Hunc piscem carnem habere duram, quæ ægre concoqui à calore possit, & quæ succos crassos, & salsos in corpus distribuat, vt Dracones, Mustelli, Scorpij, Paguri, & id genus alij, ex Philotimi verbis notat Galenus. Histor. anim. Lib. 4. c. 9 | I animalib. 2 | Loc. cit. | 3. de alim. facult. cap. 31

Propè Lyram Torpedo Latinorum Νάρκη Græcorum est disposita: Piscis litoralis, & cœnosus in cartilagineorum, & planorum numero censendus: est námque cute mucosâ, & glabrâ, eáque molli, ac frigidâ: primo aspectu, qui Ranam Piscatricem, aut Pastinacam marinam refert: Torpedinis nomen adeptus, quod innatâ vi, veluti Magicâ, torporem infundendi, ac vehementi illo virore, vt notat Plato, insuperabili frigore prædito, non modo hominum membra ipsa proprio robore veluti destituta à stupefactore subitò rigida, & immota remaneant (quod ne superstitiosum, ridiculúmve videatur, legas præ cæteris Ælianum, qui rem memorabilem narrat: Plinium, & Albertum magnum) sed & in eius piscatione, quam limo mersam, se se occultando, summo cum astu exorditur: contactu pisces supernatantes torpentes faciat (quos postmodum veluti acutissimo somno oppressos capit, & deuorat: cuius Piscis calliditatem, & in piscando solertiam descripsit Aristoteles, Athenæus, & Plinius; quod etiam à Claudiano capite de Torpedine: hisce carminibus est elegantissime descriptum. In Menone. | lib. 9. c. 4. | lib. 9. cap. 42 | lib. 32. c. 1 | Anim. lib. 24 & lib. 8. trac. 3. cap. 1. | Histor. anim. Lib. 9. c. 37. | Lib. 7. | Lib. 9. c. 32. | Lib. de Gigantonomatia

Quis

Quis non indomitam diræ torpedinis artem
Audit, & emerito signatas nomine vires?
Illa quidem mollis: segniq́ne obnoxia tactu
Reptat: & attritis vix languida serpit arenis,
Sed latus armauit gelido natura veneno.
Et frigus quo cuncta rigent armata medullis
Miscuit, & proprias hyemes per viscera duxit.
Naturam iuuat ipsa dolis: & conscia sortis
Vtitur ingenio: longèque extenta per algas
Qui tetigere iacent: successu lætè resurgit,
Et viuos impunè suos depascitur artus, &c.

Sed audias etiam Oppianum: non modo de toto hoc animali torpefaciendi qualitate prædito, sed & de quadam illius parte, sic canentem, *lib. 1. ἁλιευτ.*

At duo se tollunt distenta per ilia rami,
Qui fraudem pro robore habent, piscemq; tuentur.
Quos si quis tractat, perdit per membra vigorem,
Sanguine concreto, rigidos nec commouet artus.
Soluuntur subito contractu in corpore vires.

Lib. 1. de sympt. caus. c. 5. Et Galenus quoque de syptomatum causis in sensu tactus, ac cur seorsum, vel sensus, vel motus deperdatur, agens, torporem in toto corpore tàm ex parte motus, quàm sensus prouenire, nec non Torpedinis contactu hisce verbis demonstrat. *Torpor vero, qui ex tàm motus, quàm sensus difficultate est compositus, in toto corpore, & maximè in artubus, manifestè videtur à frigore, & compressione neruosorum corporum incidere: ad hæc etiam à Torpedinis marinæ contactu:* Et alibi contrà illos agens, quibus nequaquam persuaderi potest, *Lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* exiguum succum in vnâ parte contentum tantorum accidentium, quæ vniuerso corpori eueniunt, esse causam. Hæc habet. *Sunt qui putant res quasdam solo tactu per qualitatis vim, ea, quæ eis vicina sunt, alterare posse: idque planè videri in marinâ torpedine, vt potè cui tàm vehemens sit potentia, vt per piscatoris tridentem transmissa ad manum alteratione, de repente totam reddat torpidam:* Quo exemplo excitatum velim Lectorem, ab improbis, pestilentibúsque hominibus *Moraliter quid Torpedo* sibi

ſibi cauendum eſſe: Quemadmodum enim graſſante peſtilentiâ prouidendum omninò eſt, ne corruptis iam corporibus aſſideamus, quia periculum traheremus, afflatúque ipſo in proximo laboraremus, ita quoque inquinatos hoſce homines aſſumere neutiquam expedit, cùm rerum quacumque conſuetudine contacti morum venenum afflent, & non ſecus ac Aconitum contactu necat, ita horum conuictus veluti ſpumâ exitialiſſima à Cerbero cane extractâ, protinus mores noſtros corrumpendo, noſmetipſos interficere poteſt, etiam ſi vel tantillum cum illis inceptamus commercij. *Plinius libr. 27. cap. 2.*

TORPEDINIS, & aliud genus in collectione hâc marinâ reperitur: cuius totum corpus ad rubricæ fabrilis colorem quodammodo accedere videtur: in tergore natura ipſa ita perbellè, & exactè maculas aliquot Pentagoni figurâ diſpoſitas, oculos circulis albo, & nigro præſeferentes, fabrefecit, vt vix Apelleâ induſtriâ, quamuis inſignis, æquari hæ poſſent: quod ſi Torpedinem maculoſam, oculatámve nominaueris, nomen formæ, & ſignis congrue aptabis.

POLYPVM pelagium inter ſuas ſpecies maximum, ad determinatum locum Calceolarius in Muſæo reconditum detinet, non tamen tantæ amplitudinis, vt illum, de quo Plinius, & Ælianus ſcriptis mandarunt, in tantam molem creuiſſe, vt Cæto æquari poſſet, & Cętacei munus obtineret: Piſcis ex mollium genere eſt, hoc idem dictante Galeno, quòd neque ſquamas, neque aſperam cutim, aut teſtaceam habeat, ſed mollem, inſtar humanæ cutis; cui pedum numerus (octonis namque eſt præditus) nomen fecit: caput inter pedes, & ventrem habet. Qui inter animalia illa in aquis degentia ab eodem Galeno eſt repoſitus, quæ & ſi cor non habeant viuunt tamen, quod eorum calor vitalis, quamuis modicus, nutriatur ab exteriore aëre influente, & per poros branchiarum loco pulmonũ inſeruientium, intra corpus penetrante: ex ſucco ſalſo, & glutinoſo conſtare hunc Piſcem, vt Loligines, Sepiæ, & Cętacei Piſces ex eiuſdem Galeni verbis colligitur: & agens de illis edulijs, quæ ſemen procreant, inter hæc Polypodes recenſet: argumentũ. non ita ſpernendo redundare ſucco illorum carnes, quin & *Lib. 9. c. 30. Lib. 13. c. 6. 3. de alim. facult. cap. 38 Lib. de vtilit. reſpir. Lib. de ſuc. bonit. & vit. c. 4*

quid

quid maxumum in propagatione humanâ afferre possint: *Porrò prouocant* (dicit Galenus de semine loquens) *quæcumque calida sunt, & flatuosa, absque dessiccatione: etenim cum seminis substantiâ ex bonâ superfluitate generationem sortiatur, sitque etiam efflatuosa, benè nutriant, & flatuosa sint necesse est, quæcumque semen aut procreare, aut prouocare possunt: Itaque Bulbi, Cicer, Fabæ, Polypodes, Conus, edulia dicuntur multi seminis, & sunt.* Animal hoc adeò edacissimum est, vt prodigè admodum multa deuoret, nec sibi ipsi ex Aristotele, Plinio, & Æliano parcat: famis etenim est adeô impatiens, vt deficiente prædâ in venatione frustra tentatâ, nec alius ingeratur cibus, quem deuoret: proprijs brachijs, seu cirris, quibus veluti spiris, ac vinculis deprædando vti solet, vescatur, hoc, tamquàm promptum prandium ad famem restinguendam, comparante ipsi naturâ. Admirari tamen licet, quomodo in hoc pisce adeô immoderatæ edacitatis, Animali Bruto, in quo nec vmbra quidem rationis residet, tanta reperiatur in rebus, aut pro sui alimento, vel pro sui tutellâ obeundis industriâ, vt varia, & quasi indicibilia molliatur, ac in quacumque re eius vsui inseruiente sic astutè, & indistinctè se ipsum gerat. Modò enim, non secus, ac indefessus rei domesticæ administrator operatur, qui innatum ingenium exercens rem familiarem ex quibuscumque rebus vtilibus, & inutilibus nullo habito delectu congerere, augeréque studet: sic & ille pro cibarijs sibi struendis, ac acquirendis mirâ vtitur calliditate, ne dicam prudentiâ, dum omnia, quæ sibi appropinquantur, brachijs, & denticulatis forcipibus colligit, conuenatúrque: ac in cauernis, vbi commoratur, aggregat, & recondit: scelectione postmodum factâ vtilium, atque eisdem consumptis, inutilia, vt testas Conchyliorum, quorum carnes summè appetit. Cancrorum crustas, & spinas piscium abijcit: Aliquando etiam sic vrgente necessitate. Hominis litterati, & eloquentis summam imitari videtur prudentiam. Hic etenim cum videat ab indoctis, & contumeliosis homunculis, qui ventrem obtrectationibus prætumidum habent, linguâ succos virulentos in se ipsum euomi, dolúmq;, & perniciem sibi struere, quò

5. simpl. med. facult. c. 23.

Histor. anim. lib. 8. cap. 2 lib. 9. c. 29. lib. 1. c. 27.

Moraliter quid Polypus in cibarijs cōparandis.

Moral. quid Polypi attramentum.

quò eius cum virtute præclarè gesta naufragio obliuionis tradantur: attramento suæ eruditionis per mare doctissimorum Scriptorum misso, & diuulgato, non Samnitum more, sed in pugnâ, hastam doctrinæ vibrat; illorum paruitatem intellectus, proprijs iniurijs detegit, ac tandem à virtutis gloriâ circumfusus ab omni dolositate, vafriciéque immunis euadit: similiter & Polypus miro naturæ instituto, non vt fallat, sed ne fallatur, suæ consulens indemnitati, vbi attendit quid periculi imminere, attramentum, quod illi pro sanguine inest, mittit, & per aquas diffundit, quo circumfusus, ab oculis aut piscantium, vel alicuius piscis instantis remoueatur, ac ita perniciem sibi paratam euitat: Vti quoque dolo malo, ac si voluntariè agat, cum fame excitatur, & humorem, quem in se continet, per aquam spargit, & sui coloris mutatione pisces pro alimento venatur: Modò etiam de industriâ in colorem illis saxis similem se conuertit, quibus subsistit, & appropinquatur, vnde pisces ad illa, tãquàm ad prædonem annatantes, incautè ab eius brachijs, veluti retibus compræhenduntur, & deuorantur: ob quos sagacitatis modos, Polypo, vt est in adagio, mentem inesse dici potest: quod etiam Teognides sub personâ hominis illius, qui varijs hominum moribus se nouit accommodare, fitque omnium horarum, nec non senæ inseruit, vtiq; foro sapit: hocce disticho eleganter expressit. *Moral. quid Polypi mutatio in colore.*

Mentem habes vafri Polypi, qui protinus illæ
Se quibus admorit, saxa colore refert.

& Pindarus.

Agè age colore Polypi
Mentem apparatus optimè
In Vrbe quâ vellis mane.

Hos tamen homines ad Hyppocritas comparat Matthæus, similesque facit sepulcris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, omníque spurcitia: illi námque foris apparent hominibus iusti, intus autem pleni sunt fictione, & iniquitate, ac sub ouina pelle lupi rapaces. Basilius quoque Sanctus in re propositâ hæc habet. *Hexë.hom.7*

Nec silentio præterierim Polypi dolos, ac furacitatem: Is cuicumque saxo adhærescit, colorem subit illius, atque adeò, vt piscium complures ad ipsum improuiso natantes, tamquam ad saxum appellant, paratamque sese offerunt illi versuto, malitiosoq; prædam. Talibus eos moribus præditos esse constat, qui perpetuos potentatus subeunt, & ad vsus, necessitatesque occurrentes sese accommodant, nec in eâdem voluntate semper persistunt, sed alij, diuersique facilè fiunt, sobrietatem cum sobrijs laudant, intemperantes sunt cum intemperantibus, atque ad id, quod cuique placet suam sententiam vertunt. Hæc Basilius. Quis plura de Polypi astu, legat Aristotelem, Ælianum, Solinum, Plinium, & Albertum Magnum: quæ singula breuitatis causâ lubens prætermitto: instituti namque huius operis idea hoc vnum solummodo respicit, non vt quarumcumque rerum proprietates, & significata ad vnguem exprimantur, sed earumdem tantum nomenclatura aliquâ historiâ, & mortalitate ornatâ Laconico stilo explicetur.

Moral. quid Polypus, ex S. Basilio.

Histor. anim. lib. 2 c. 1. Lib. 8. c. 2. et lib. 9. cap. 27 lib. 7. c. 31. et lib. 10. c. 39. Cap. 32. Lib. 9. c. 30. & 39. Lib. 24.

Pœnes Polypum Lepus Marinus Latinorum situs est: cui color Lepori terrestri non dissimilis nomen imposuit, quamuis huic totâ substantiâ, & qualitatibus omnimodè contrarius. Lepus namque terrestris nobis est in delicijs, marinus verò, & visu, & tactu est exitialis: Est namque Piscis ex mollium genere in mari, atque in stagnis, potissimum cœnosis, nascens, aspectu fœdo, odore tetro, & substantiâ loligini similis ex Dioscoride: aut Cochleæ exenteratæ, potissimum corporis parte posteriore ex Æliano: siue felle tantum, siue totâ substantiâ venenatus, & maximè læthalis, vt nedum potatus, sed & odore, ac continuo intuitu lædere valeat. Vnde Sanctus Basilius, animal hoc præsentissimum venenum homini edenti esse affirmat. Et Olaus Magnus tradit, Leporem piscem solo visu reliquos pisces fugare. Legitur etiam apud Plinium, qui nomen Offæ informis huic tribuit. Mulieres vtero gerentes, si illum nupetrimè præsertim è mari extractum, diutius inspexerint, nauseabundas euadere, ac deinde abortum facere: cuius piscis perniciosam in veneno fundendo energiam hisce carminibus descripsit Nicander.

Lib. 2. c. 18. Histor. anim. lib. 2. c. 45. Exē. hom. 7. Lib. 20. c. 19 lib. 9. c. 48. et lib. 32. c. 1

Disce venenatos leporis cognoscere potus
Pestiferi, medijs peperit qnem fluctibus æquor.
Virosi squamas, & purgamenta marini
Piscis olet, &c.

Hoc idem apud Galenum legitur, asserens leporem marinum erodendo interimere, vt præ cæteris legere est lib. de simpl. medicam. facultatibus: quo loci hæc verba habentur. *Sic mihi videntur etiam Medici ad venena, quæ erosione interimunt, lac dari suadere, velut sunt lepus marinus, & Cantharis.* & alibi, *Non nulla deprehendi ait, quibus proprium est, partem aliquam corporis solum offendere, quemadmodũ lepus marinus pulmonem, Cantharides vesicam exulcerant.* *Lib. 10. c. de Sero lactis.* *Lib. de Ther. ad Pisonem cap. 4*

Nec desunt in hâc maritimâ Cellâ Pisces volatiles inclusi, operâ Calceolariâ, à quacunque maculâ, & carie immunes: inter quos est Hirundo Plinij: κελιδων Græcorum: Piscis, qui præter aquas, aëre, cœloque oblectatur, & certis notis, volatu præcipuè illustris, celebrisque fit: sublimis namque, ex Aristotele, more Auium gregatim haudquaquam mare attingens, volat, humiliore tamen (referente Æliano) nec ita sublimi volatu, vt loligo, quæ coadiuuantibus pinnis longissimè transilies, in sublime se se attollit: Stridet quoque volando marina Hirundo: cuius stridoris caussa est branchiarum scissura parua, & stricta; aër enim affatim per angustum locum emissus sonum, stridoremque edit: Cumq; pinnas, & caudam expandit (sic scribente eodem Plinio) Hirundi volucri persimilis est, vnde ei nomen: vti etiam re ipsâ huic simillima. Quemadmodum enim Auis hæc internuntij munus obiens, pulcherrimi temporis ostendit aduentum, flores, & germina fœcunda Zephiri aurâ viuificari enunciat: quo tempore non docilitate mota, sed quod immemor locorum non sit, vbi aut pullos reliquerit, aut aliâs fœliciter, & absque vllâ offensâ vitam transegerit, eadem repetit: sic, & illa vbi primum è mari exiliens, expansis pinnis, veluti alis, volatu se dederit, maritimæ illius regionis incolis Ver iàm propè esse indicat, & Fauonio spirante foueri, quæ nascuntur, significat. Hoc vnum etiam pro sui tutellâ, volatu ipso peculiare habet hic Piscis: vt cum illi à *Lib. 9. c. 26. lib. 32. c. 11* *Histor. anim. lib. 4. c. 9.* *Histor. anim. lib. 9. cap. 52* *Loc. cit.*

lib. 2. ἁλιευτ. Piſcibus maioribus, teſte Oppiano, tendantur inſidiæ; quò ſic naturâ dictante, inſtantes ſibi in mari hoſtes effugiat, illorumque præda non ſuccedat, ſuis innixus viribus, è mari erumpit, ac per aëra euolat, ibique ſeipſum incolumen ſeruat: cuius mores ſi ad vnguem ſpeculari volueris, delineatam, benigne Lector, hominis illius naturam habere poteris, qui cuicumque virtuti deditus, & ſpiritu erectus, ne tabe aliqu â eius anima maculetur, inficiatúrve, nec non incurſiones hoſtiles huius pelagi mundani euitare valeat. Vere præſentiente diuinæ gratiæ, ex ſalſugine tentationum exilit: & totaliter mundum derelinquens, vi contemplationis ſurſum adeô effertur: vt diuinæ gratiæ ope, in naturam ſupra humanam totus quaſi tranſcendat: vnde Apoſtolus ille, qui vſque ad tertium Cœlum raptus fuit, dicere ſolebat; *Noſtra conuerſatio in Cœlis eſt.*

Moral. quid Hirũdo piſc.

Paulus ad Filip. 3.

Hirundini Piſci, ne ex volatilium ſtirpe eſſet ſola, ordinatim in Muſæo ſuccedit Miluus Latinorum: ob notas quaſdam, & hic celebris: illi volatu, & pinnis, quibus alarum vice vtitur, ęquandus. fortè ἱέραξ Gręcorum, & ἰρηξ Oppiani: quod tamen probatiſſimi quidam Auctores ſub prælo contentionis exhibent: Piſcis eſt litoralis, qui & ipſe, non tamen ictum imminentem effugiens, ſed vbi ab aliquo piſce in mare percutitur, ita in altum effertur, vt alatus videatur: Vnde Oppianus.

Lib. 3.

Lib. 1.

At radunt ſummam Milui lati æquoris vndam,
Cumq; timeant magnum venientem è marmore piſcem,
Proſiliunt Ponto, ſcindentes aëra pinnis.
Hos nanti ſimiles dicas, ſimilesque volanti.

Lib. 9. c. 27. Lucerna à Plinio ex argumento vocatur, quia & cornua ex ipſo mari attollat, linguam & habeat igneam, pariter & os lumine circumfuſum: vndè illâ per os exertâ (ſic narrat hic Auctor) noctib us tranquillis, & placato mari adeò reluceat Piſcis hic, vt ex eius ore ignis, flammaque eiaculari credi poſſit: & ſi à quibuſdam in hoc erroris arguatur Plinius, quòd linguâ per os exertâ noctu relucere dicat: cum tamen eius palato, vt eſt natura ferè omnium piſcium, affixa, hærenſque ſit, non autem ſoluta, & libera. Vt vt autem res ſit;

non

non in solo hoc pisce lucendi vis in mari enitet: sunt enim, (Auctore eodem Plinio) è Concharum genere Dactyli, ab humanarum vnguium similitudine appellati, quibus naturâ ob succum innatum, est datum, in tenebris remoto lumine clarere: & Olaus Magnus recitat; in Nouergico mari, Pisces ob ingentem magnitudinem monstruosos reperiri, quorum oculi instar Lucernæ, esse ardentes ignes, noctu à Piscatoribus crediti sunt: Sed ad Lucernam Piscem rursus, è cuius naturâ, & moribus, quomodo moraliter & bonum, & malum elici possit, attendas rogo: Tales videntur esse Scioli quidam Aduocati, qui per mare vel Ciuitatis, vel Mundi erectis cornibus præsumptionis, & elationis incedunt; & in nocte controuersiæ alicuius, vel dissensionis, vulgari quadam loquacitate splendentes, cum nihil aliud quàm linguam habeant lucidam, eam nedum exerunt ad Clientulorum caussas tractandas, sed etiam eò magis ad eorumdem substantias cōburendas: Lucernæ pariter Pisci possunt concinnè assimilari Verbi Dei Prædicatores, qui in maximâ peccatorum obscuritate, dum tanta est tranquillitas, quod silent vniuersi: ore lucido, & linguâ ignitâ, Empirei gloriosam lucem memorantes, Inferni sulphureum ignem minantes, corda Christianorum inflammant, & in viam salutis dirigere student. Sic de celeberrimo illo Concionatore apud Ecclesiasticem scriptum est. Helias quasi ignis, & verbum eius ardebat vt Iacula: & hinc fortasse Apostolis, qui per totum orbem Christi Euangelium prędicare debebant, apparuerunt dispartitæ linguæ, tamquam ignis.

Lib. 10. c. 61

Lib. 21. c. 5.

Moral. quid Lucerna pisc.

Moraliter rursus quid Lucerna pisc.

Cap. 74.

Postquam autem in duos hos pisces, ob volatum celebres, incidit sermo, obiter, vt quid memoriâ dignum, referam, quę ab ijs, qui orbem lustrarunt, traduntur. Scribunt namq; circa Africæ litora, non longè à Guineâ, gregatim, tantaq; copia simul Pisces euolare, vt procul conspicientibus Insula quæpiam spectari videatur: addunt & aliud non minoris admirationis. Iuxta Megalanicum fretum. Colondrinos Pisces vlnæ mensurâ longos, apprimè volandi facultate valere, ijsque acerrimos hostes esse auratas, reliquos quoque Pisces; cum quibus in concursu frequens intra

aquas

aquas est pugna. Colandrini imperium hostium vitantes, è mari exiliunt, volatu sibi ab hoste cauentes: hostes, quibus nulla volandi est vis, intra aquas volantium vmbras persequuntur celerrimo cursu, illo sensu instructi, vt cum volare illi desierint (non enim diu volare possunt) in mare recidentes, fiant ipsorum præda: nec desunt alij Pisces, qui cum timent, exiliunt è mari, & volant, inter quos vt nuperrimè ex Æliano dicebam, est Loligo, & vt prodit Aristoteles, Pectines similiter Auium more volant, iactant enim se ex aquâ, iaculanturque sagittæ modo; vt Sulmonem Piscem omittam, qui saltu magis, quam volatu apprehensâ sibi mordicus caudâ, dulces aquas auidè expetitas, casui fluminum occurrens, ingredi tentat, quò ijsdem reficiatur, vt notat Olaus Magnus, idque compertum sibi in Botanico mari scribit.

Loc. cit. Anim. lib. 4 cap. 4.

Lib. 20. c. 3

Posses, ò tu qui legis, fortasse admirari, posses, & obstupescere, quod dicam in nobilissimo hoc delubro Genio, & Musis dicato, Asellum detineri? sed quid mirum? non ne ex Platone, quò pares cum paribus facilius congregentur, & similitudo magis innotescat, Canem Cani, Bouem Boui, & Asinum Asino assimilari licet? & ex Theocrito.

2. de legib.

Formicæ grata est Formica, Cicada Cicadæ?

Idilio nono.

Animal sanè illud gerulum, plagarum, & penuriæ tolerantissimum, quod hominum operibus sit destinatum, Asini nomen est adeptum, vt tanto loco indignum, tibi ante oculos non ponitur: Sed Asellus ille, inter pisces pelagios non infimi nominis, à Plinio enumeratus: describitur ὄνος, qui est Græcorum: & ὀνίσκος Galeni; idest Asinus; cui non forma, nec mores Asini terrestris nomē fecerunt: sed quia dorsi regione, quæ colore cinericio tegitur, huius pelli sit assimilis; à colore sic dictus videtur; teste Varrone: Asellus est Merlucius Rondeletij, & Bellonij: quasi dicas Maris Lucicius, ob oris scissuram, & caudam Lucio fluuiatili valde similes, & gulositate hoc non inferior. Qui & si gulosissimus sit piscis, nihilominus à Galeno, dummodo probo vtatur alimento, & mari puro, prę carnis bonitate, saxatilibus æquiparatur; & inter cibos enumeratur, qui boni succi, &

Lib. 9. c. 17

3. de alim. facult. cap. 30

Lib. 4. de lingua latina

Loc. cit.

7. meth. c. 8

conco-

concoctu faciles, minimeq; glutinosi sint; quinimò ob mollem illius carnem, & concoctu facilem, nec praui succi, ex iure albo febricitantibus opponendam esse scribit: Recitat Ælianus, fortasse ex Aristotele, & Athenæo. Asellum marinum solum ex omnibus animantibus, cor in ventre habere. Quod si verum: Homines illi Helluones iure meritò, ne dum huic pisci, sed & canibus, ac suibus assimilandi veniunt, qui abiectis virtutibus, inflatis ambabus maxillis, & elatis vasis, qui sunt in facie, se totos crapulæ immergunt: omne studium, & diligentiam adhibent, vt ventri satisfaciant, ac si cor in illo resideat, eorumque Deus sit: Quò ergo mens tua ad virtutum lumen magis sit disposita, & semina sibi innata, atque insita pura edat; caueas ne in ventre corpulentiore ciborum affluentia resideat: multa namque huius repletio, & mentis obscuritatem generat, nec non eiusdem insitum lumen obscurat: Et non secus ac Luna in proprio lumine quadâm nigredinis maculâ inficitur, cum in situ locali magis vicina est terræ; à quâ substantiam quamdam grassam, & corpulentam suscipere videtur, & propter hanc lumen Solis non profundè, vt aliæ stellæ, sed tantum in superficie recipit: sic mens nostra ob impuros vapores, à multiplicitate ciborum in ventre congestorum, eleuatos, tenebricosa fit, & ad virtutes comparandas minus idonea, conspicuáve redditur.

8. meth. c. 2

Histor. anim. lib. 6 cap. 20

Moral. quid Asellus pisc.

ASELLI Merlucij Maxillæ satis grandes (quod hic Piscis magnâ sit oris scissurâ) harum pars illa, quæ locum inferiorem habet, superiore paulò longior, & latior est: vtraque tamen pars dentibus tenuibus in multos ordines dispositis est munita.

RANARVM illarum Genus, quamuis aquatile, hoc loci non exprimitur, nec etiam in Musæo habetur, cuius medio Dei vindicta aliquando in Ægypto aduersus gentem incredulam ob Pharaonis pertinaciam est subsequuta; cùm Deus Moysi dixit; *Dic ad Aron: extende manum tuam in virgâ tuâ super fluuios, ac riuos, ac paludes, & educ ranas super terram Ægypti, & extendit Aron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti;* quam gentem, fœdissimo

Exod. cap. 8

mo hoc animalculo exagitare maluit, vt luto lutum opponeret; ita enim inanem gloriam diuina prouidentia deprimit: ſed Ranæ genus non è fluuijs, riuísve, aut paludibus expiſcatum, at è mari extractum deſcribitur: quod ſi quis intueri cupit, Muſæum adeat, humaniſſimus namq; illi patebit aditus. Qui verò huius delineatam formam, ac proprietates ſcire appetit: perlegat, quæ ex probatiſſimis Auctoribus decerpta, annotantur: Piſcis, vt notat Rondeletius, eſt cartilagineus, planus, non multum oblongus, fuſcus, ſiue fuliginis colore: caput cui eſt maximum, rotundum, & compreſſum, os qui habet vaſtiſſimum. Capiti cauda tantum ſine corpore affixa videtur, vt nihil ferè præter caput, caudamque in hoc piſce videas; cui vt habetur ex Ariſtotele, Æliano, & Plinio; natura pro vitæ commoditate adeo ſolers ingenium attribuit, vt fraudolenti calliditate in cœno abſconditus, cornicula illa gemina, non ſecus, ac fila longula, ſub oculis eminentia, veluti piſciculorum illecebras, ibidem ſilentio deliteſcens exerendo, & creberrimè mouendo, inſtar hami, & eſcæ piſces helluatione, & liguritione allectos ad ſe allicit, & tandem gradatim fila illa, ſeu appendices ſubducens, in latas maxillas ſuas, deceptos ingerit, ac deuorat: ob quam in venatione ſagacitatem ab Ariſtotele βάτραχος ἁλιεύς dicitur; & à Plinio Rana piſcatrix: Diabolus marinus eſt nonnullorum; ob deformitatem, & fœdum, atque horridum corporis, oris præcipuè aſpectum: Cum autem in ranas inciderit ſermo, quod de mirâ vafricie Ranarum Ægyptiarum ab Æliano ſcribitur, hoc loci ſubijciam. Si quæ fortè, ait, in Hydrum anguem incidunt, ſtatim arundinis fruſtum arripiunt, ac ore apprehenſum non remittunt, vt ab Hydri rapacitate, & guloſitate ſe tutas ſeruent, cum non poſſit illas ſimul cum feſtucis deglutire. Hæc obiter notare volui, quo ſcias, ab animantibus quoque, rationis lumine deſtitutis, vitæ tamen commodioris gratiâ, per multa non ſine ſolerti ingenio effici: quæ omnia tibi exemplo eſſe poterunt, non ignauiâ, ſed labore, & ſolertiâ quæcumque ad vitę vſum neceſſaria, eſſe acquirenda. Dij namque, vt eſt in prouerbio, non ceſſan-

Anim. lib. 9 cap. 37
Ibid. cap. 24.
Lib. 9. c. 42

Loc. cit.

Loc. cit.

Moral. quid ex Ranarum ſolertia.

cessantes, sed facientes adiuuant; sumpto pariter exemplo à Formicâ, quæ vt & aliquæ etiam bestiæ, teste Aristotele prudentiæ lumine splendere videntur, hæc enim hyemem præuidens, sub terrâ, quæ sibi pro totius temporis nutritione necessaria sunt collocat; vnde Horatius. Lib.6. Ethic. cap.6.

Paruula magni Formica laboris: Satyra prim.
Ore trahit quodcumq; potest, atq; addit aceruo:
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.

Quoniam verò ex ijs, quæ huc vsque in hâc ex piscibus collectione sunt annotata, cuiuis innotescere potest, mare pisces alere, qui non modo ad Quadrupedum multorum, sed & ad Auium formam propiùs accedunt: quo etiam appareat, reperiri quoque & alios in mari, in quibus arte confectarum similitudines conspiciuntur: sciat Lector, Calceolarium nostrum, & ijs, Serris præ cæteris, & Gladijs Musæum exornatum habere: ibi Xiphiam videbis; qui & Galeotis à Strabone, & à Plinio Gladius dicitur; de cuius naturâ, & moribus hæc sint. Piscis est cetaceus insigni corporis robore dotatus, præcipuè verò rostro illo satis oblongo, & mucronato (quod piscis huius nasum esse notat Albertus Magnus) à naturâ enim in illâ capitis parte vbi os est, & nasus non longè multum formatur, in formam Gladij, & vsum est fabrefactus, vt nasutus videatur hic piscis: tantam huic rostro inesse duriciem, & in acumine vim refert Plinius, vt ab illo Naues perfossæ mergantur in Oceano ad locum Mauritaniæ, qui Cotta vocatur, non procul à Lixio flumine: fortasse quia in mari illo, vt & in alijs Orbis noui pelagis, ad talem, & tantam amplitudinem, & magnitudinem concrescat hic piscis, vt & rostrum ipsum in mucronem rectum, prægrande & durum procedens, ad tale naufragium perpatrandum, aptum, idoneumque sit. Commemorat quoque Ælianus, nonmodò cum cibi inopiâ vrgetur hic piscis mucronati rostri incursu Pisces interficere, ac vorare; verum etiam non quidem armis ex ferro confectis, sed naturâ comparatis maximâ Cete vlcisci: Nihilominus tamen, vt vnusquisque, cui ratio ipsa ad effrenandos sensus pro aurigâ inseruire debet, optimè caleat, nihil tam firmum in hoc vitæ

Lib.1.Geog. Lib.32.c.2. Lib: 24. in Gladio Loc. cit. Histor. anim. lib.14.c.22. Moral. quid Xiphia, & Asilus marinus

curſu reperiri: quin & periculum ſit etiam ab inualido, & paruum hoſtem non temerè eſſe contemnendum, cum principio neglectus vires ſumendo nonnumquàm plurimum damni inferre conſueuerit; attendat obſecrò, quod, vt mi-
2. ἁλιευτ. Lib. 7. rum ab Oppiano, & Athenæo de hoc Piſce ſcribitur: qui & ſi maximis etiam Pelagi Beſtijs, ſe formidabilem præſtet; attamen ab Oëſtro, ſiue Aſilo marino, inſecto admodum paruulo, Scorpionis effigie, & vix Aranei magnitudine, ſuperatur, conficiturque. Dum, prædominante ſtellâ illâ in capite, ſeu vt alij in ore Canis ſigni cœleſtis collocatâ, & ob cuius in Cœli centro cum Sole coniunctione, æſtus huius duplicatur, ac ignem exerendo mortalium corpora præ nimio caloris exceſſu languida reddit: hæc Beſtiola ſub Pinnâ laterali Xiphiæ, vti parti molliuſculæ, pingui, & ſanguine plenæ ſe inſinuando, ita tenaciter adhæret, vt ob vehementes cruciatus à puſillo hoc hoſte infictos. Gladius
Lib. 9. c. 15. rabie ductus (vt etiam ex Plinio habetur) magno cum impetu è mari, aut in ſiccum exiliat, illicque vitam finire plerumq; cogatur, vel tanto dolore exagitatus, in naues ſæpenumero ſe ipſum iaculando, impetum faciat.

Exotic. lib. 6. c. 19. SERRÆ, Piſcis Cetacei, vel ex Cluſio, ex Galeorum, Canicularúmve ſtirpe, Oceani Occidui Alumni, Roſtrum ſummo huius capiti annatum attendere poteris, & illud ſatis grande, firmum admodum, ac durum, longum, & anguſtum, per medium latum, quod poſtmodum in mucronem deſinere videtur, vtrimque multis dentibus, ſiue oſſeis aculeis firmis, & rectis munitum: cuius formam ſi diligenter conſiderabis, Serræ illi inſtrumento; haud abſimilem dices, de quo
Originum lib. 19. c. 19. in lignarijs. legitur apud Iſidorum: Perdicem adoleſcentem ſummo ingenij acumine præditum, dum materiæ diuidendæ compendium quæreret, arreptâ ex piſcium ſpinis occaſione, illud excogitaſſe: & quo etiam tunc temporis Fabri lignarij pro ſuis operibus obeundis vtuntur: vnde Piſcis Serræ nomen eſt adeptus, qui & Piſtris non mutato antiquorum vocabu-
lib. 9 c. 3. et 4. et lib. 36. c. 5 lo, à Plinio vocatur ἀπὸ τοῦ πρίειν ideſt à ſecando: tanta enim
Anim li. 24. in Serra in roſtro hoc continetur vis, ac validum, firmumque robur,
lib. 11. c. 10. vt hoc ipſo, ſic dictante Alberto Magno, & Olao Magno,

ſubeat

ſubeat hic piſcis nauigia, ſecetque ex induſtriâ, id vnum ſuo opere expectans, vt naufragio ſibi eſcam conſequatur: Sed omiſſis monſtruoſis hiſce animantibus, reliqua proſequamur, quæ ſupellectilem hanc marinã, non minus, ſplendidam, quam fœcundam faciunt, vt Hippocampos, Echinos, Pulmones, Manus marinas, Tethyas, Teſtudines, & alia: quibus ſingulis Nomenclatoris incœptum munus libentiſſimè exercens, propria nomina aptare conabor.

Hi πόκαμπος tàm Græcorum, quàm Latinorum, monſtrum eſt ſanè exiguum, ſed aſpectu pulcherrimũ, & iucundiſſimũ, maximiq; nominis ob elegantiam apud Antiquos, vt non dedignarentur, manu peritiſſimorum artificum marmoribus inſculptum in delubris ſeruare: extat Plinij auctoritas de nobilitate operum, & artificum in marmore agens, quo loci præ cæteris habetur. *Scopæ opera cum maximâ dignatione. Cn. Domitij delubro in circo Flaminio Hippocampos eſſe ſedentes.* Capite, & Iubâ ita affabrè Equum terreſtrem æmulatur hic piſciculus, digito non craſſior, nec longitudine ſenos excedens digitos, vt certè in illo alludendo, quicpiam deſiderari poſſit, & hinc nomen ſuſceperit à voce Græca ἵππος quæ Equum ſignificat, & κάμπη qua flexura denotatur: eſt namque animalculum flexuoſum poſterioribus præcipuè partibus, vt notat Varro, cuius totum corpus corneâ ferè cute eſt contectum, quibuſdam tamen locis nigrius, alijs candidius, quod tamen inciſuris diſtinguitur. Piſcis, qui ratione ventris veneficâ qualitate præditi, vt notat Ælianus, ſæuiſſima, ac exitialiſſima ſolet inferre ſimptomata, quibus in vino decoctus exhibetur: quò loci etiam remedia edocet: ſumpto exemplo de illo veterano Piſcatore Cretenſi, cuius filij a rabidâ caniculâ erant demorſi, qui ſolis Hippocampis exenteratis, & vſtis, ad comedendum exhibitis, nec non alijs aceto, & melle contritis, illiſque catapſalmatum more vlcera rabie infecta obliniendo (excitato nimirum in ipſis aquæ deſiderio) rabiem deuicit, eoſque ad incolumitatem reſtituit. Qui ergò à cane rabido demorſi ὑδροφοβία aquæ nimirum timore detinentur, rectè (modo quæ ſcribit Ælianus vera cenſeantur) Hyppocamporum exenteratorum cibo,

lib.36.cap.5

Lib.14.c.19

qui ὑδροφιλίαν aquæ nimirum desiderium inducit, curari poterunt.

Quemadmodum Terra mater Echinum animal aculeis vallatum, vt Hystrix, producit, ita & Mare hunc eumdem spinoso Castaneæ tegumento assimilem gignit, & alit. Musæum vero Calceolarium non vnam dumtaxat, sed varias Echinorum marinorum species habet; qui autem primus hîc describitur, est ille, vt Principum mensis neutiquam ingratus, quem Hermolaus Ouarium, & esculentum nominat, quòd multa, & magna, ac esui idonea oua contineat. De cuius in cibis vsu meminit Galenus, dicens, alui subducendæ gratiâ, ex mulso edi, & liquore illo salso, ex piscium intestinis, quæ abijcienda essent sale maceratis (sic referente Plinio) antiquitus confecto, quem liquorem Galenus Garon appellat; quo etiam loci parandos notat in patinis, ouis, pipere, & melle iniectis, vt esui sint grati: illos autem imbecilli esse alimenti, ac medij inter ea, quæ humores extenuant, & densant.

3. de alim. facult. cap. 38.
Lib. 31. c. 7. & 8.
Loc. cit.

Animal est ex testaceorum genere (vt notat Aristoteles, seu vt Plinius ex crustaceis) cuius forma, vt ferè est omnium Echinorum, quamuis ad rotunditatem vergere videatur, lenticularum potius imaginem exprimit: crustâ tenui, & veluti cochleari constat, scabritie variâ, & crebris lineamentis rectilineis designatâ. Aculea, quibus est armatus, & ob quæ per Antiphrasim Echini nomen illi est attributum, quod scilicet ob illa teneri non possit; pro pedibus illi inseruiunt. Animal non secus, ac Erinaceus terrestris summè prouidum: Et hoc naturæ munificentiâ, qnæ in animalibus excogitata est, vt contra læsionem semper habeant aliquid munimenti paratum, Ceruos ad sui defensam cornibus dotauit, Apes aculeis, Leones, & Pantheras vnguibus, Lupos dentibus, & quæ animalia se defendere non possunt, illis agilitatem ad fugiendum est impertita, vt Leporibus, Cuniculis, & similibus. Sicut terrestris dum aliquid sentit, se in globum conuertit, ac intra suum corium spinis asperis vndique circumseptum rostro, pedibusq; intrinsecus testudinis more contractis seipsum includit, & ferienti spinas opponendo,

Histor. anim. lib. 4. c. 12.
Lib. 9. c. 12.

ab

ab inuadente protegitur, nec non varietatem temporum præſagiens, quò eiſdem reſiſtat, referente Ariſtotele, foramen vnum contra ventos Septentrionales facit, ad quod confugit in calore, & aliud contra ventos Auſtrales ad quod confugit, dum frigus ſentit; pariter & marinus (annuente Æliano, Plinio, & Sancto Baſilio, qui Nautarum doctorem, & ſeuitiæ maris præſagum appellant) vi naturæ ingruentem tempeſtatem præſagiens, cum mare inhorreſcere ſentit, ne ab æſtuatione fluctuum, ventorumque acerbitate hinc inde euertatur, & ad litus detrudatur, innatis in tegumento aculeis, lapillis ad geſtandum facilibus in tergum coniectis, ſe operit, aut arenâ ſaturrat, quò libramentũ ac firmamentum habeat ad euertendum opportunè periculum, à quò ſibi timet: cuius exẽplo, vt ſapiẽs, prudensq́; habearis, futurũ perendiè ventũ noſcere tibi expedit: & vt notat Eccleſ. in die bonorũ ne immemor ſis malorũ, in die malorum ne immemor ſis bonorum: Vti etiam ne intractabilis, inſuauibusque moribus apud homines cenſearis, & nullâ vnquam ratione conſuetudinem tecum iniri poſſe credatur, animum tuum aſperitatis, & renitentiæ aculeis, non ſecus ac Echini tegumentum, horridum, expolia: ſuauiſſimis, blandiſſimisque colloquijs, morumque probitate ad hominum gratiam comparandam teipſum, animumq́; tuum accinge: nec tibi agreſtis, & inconcinnè tractationis vlla appareant veſtigia, ſic Deo gratus, & ab hominibus exoptatus euades.

Hiſtor. anim. lib. 2. *Lib. 7. c. 27. lib. 18. c. 35. lib. 9. cap. 31* *Exẽ. hom. 7.* *Moraliter quid Echinus* *Eccleſ. 1.*

ECHINVS gigni in alto gurgite ſolitus, qui ab Ariſtotele minutus dicitur: cæteris Echinis quia ſit minimus: non enim huius teſta maior eſt iuglande, & ſi ſpinarum longitudine, quæ prædurę admodum ſunt, alios Echinos ſuperet. Oua non fert vt ſuperior, ſed ſanguinem quoddam nigrum, ſaniei ſimile, quo manus cruentat, atq; inficit. Vndè cum perpetuò nigreſcat, & ſordeſcat, vt eſt peſſima, & ſpurciſſima Hebræorum proſapia, Vn Iudæo de Mar à multis appellatur.

lib. 4. de par. anim. cap. 6.

Eſt & aliud non ſpernendum Echinorum genus pelagium, & inuentu rarum, ab Ariſtotele ſub nomine Spathagi, & Briſſi deſcriptum, quod & Ouario minus eſt rotundum, & à cor-

Hiſtor. anim. lib. 4. c. 5.

dis

dis figurâ non valdè recedit (vt in illius delineatione a Rondeletio propofitâ infiftam) tegumentum non aculeis fpiffis, vt Ouarius, fed paruis,& raris feptum habet;parsq; illa vbi os eft, Ouario eft magis plana.

Loc. cit. lib.9.cap.11 ECHINOMETRA quoque Ariftotelis, & Plinij, ac fi Echinorum Mater, feu Matrix fit, ad latus fuperioribus afiftit: Matrem dixi, non quod in hoc genere mas à feminâ diftinguatar, cum nec ex femine, nec ex ouo Echini generentur, fed fponte in mari nafcantur, vt oftracodermata: hoc tamen nomine, vt quibufdam placet, decorari poteft, quia cæteros Echinos corpore, & calycis magnitudine fuperet: teftam namque Rapi modo in vaftitatem extuberantem habet, cuius pars fupina eft, prona vero plana: aut fecundum alios, quoniam aculeorum proceritate alijs Echinis præftat.

Animal illud Zoophytum breuiffimè delineatur, quod fponte fine fenfu ferè prouenit, & in faxorum rimis delitefcens, ac inter Algas, non adhærens, fed abfolutum Fruticis vitam viuit: ab Ariftotele, & Plinio Pulmo marinus nuncupatus, vel à Pulmonum noftrorum figurâ, vel ab eorumdem fubftantiâ laxâ, molli, & foraminibus plenâ: huius etenim corpus, quod pilæ marinæ modo rotundum eft, virefcit, foris fubftantiâ feltro fimile eft, intus totum fiftulofum, veluti fpongia Aplyfia: in mari aquâ plenum cum fit, graue eft, extra mare in fe concidit,ac flacefcit. Animal tegumentum hoc habitans, tardi admodum, & Saturnini eft motus,quàm fortaffe animalium naturæ conueniat, vt prouerbij loco de hominibus illis pigritantibus, & ceffatoribus dici poffit, qui hofcitanter, fegniterque aliquid faciunt. Vnde Plautus loquens de feruo illo lento,& pigro, dixit.

Hiftor.anim. lib.5.c.15.

Moral. quid Pulmo mari.

In Epidico.

Lib.18.c.35

Pulmo prius veniffet, quàm tu aduenifti mihi:

Plin.lib.32. Cap.10. Notat Plinius. Pulmonem marinum fi per mare feratur tempeftatis fignum effe,& plurium dierum hyemem portendere: quò etiam lignum confricatum ita ardet, vt fuâ luce *Ibidem.* faculam quoque vincat: nec non huius cinis alligatus egregiè menfes promouet, & Ælianus tàm pulmonis marini, *Hiftor.anim. lib.13.c.27.* quàm Torpedinis carnes in aceto putrefactas, & mento afperfas

persas fugam pilorum facere dicit.

In hunc gregem reconditur & illud Zoophiton in mari nascens, quod mediam inter plantas, & animalia habet naturam, ita vt nec stirps, nec animal dici possit, sed medium quoddam inter vtrumque, non secus, ac spongia, esse videtur: quod sanè cum formâ manum humanam quodammodo repræsentet, Manus marinæ nomine à Gesnero honestatur; & ab Ennio matricula, vti à Theophrasto Mazina Piscis. *Lib 4. de aquat.lib: lib.de Piscib.*

TETHYAM Aristotelis in hoc maritimo promptuario cernere datur, non certè illam Neptuni coniugem, & fluuiorum Nympharumq; matrem, de quâ fabulantur Poëtæ. *Lib 4. de part.b. anim.*

Duxerat Oceanus quondam tirannida Thetyn. *Ouid.lib.5. Fast.*

Sed quam ex testatorum genere esse tradit idem Aristotel. naturâ suâ parum à Plantis differentem, spongijs tamen viuaciorem notans, vt potè quæ propiùs ad animalia accedat: necnon saxis adhærere scribit. Plinius Tetheam fœminino genere fungorum potius genus, quàm Piscium facit, & folijs marinis (sed rectius scopulis) adhærere dicit, necnon torminibus, & inflationibus occurrere refert: Ouum Gallinaceum figurâ, & magnitudine æquat exangue hoc, cuius testa veluti corium, callosaque materia in læui membranâ compacta est (vnde calus à Niphio dicitur) in superficie fusca apparet, inæqualis, & rigida est, extra aquam enim diu constitit, & rugas iam contraxit, intus argentea, & læuis est. Tuber à Theodoro vocatur, quòd Tubera terrestria, formâ ipsâ repræsentet, nullisque fibris & capillamentis nixa notetur. Sponga Venetorum vulgò est, quia manibus violentius compressa, spongiæ modo, humorem, quem ex foraminibus admodum exiguis accepit, ex eisdem quam longissimè Syringæ instar eiaculet. *Loc. cit: Lib.32.c.9*

Ne quid autem in messe hâc pelagiâ collectum, haud descriptum dicatur. Testudines quoque ipsas, ob varias formas, & amplitudinem commemoratione dignas, recensere placet: idque eò magis, cum in hoc irrationali animante virtus non spernenda sit insita, cuius medio commemorationis gratiam apud homines est promeritum: tradit namque S. Basilius. *Exë.Hom 9*
Animal hoc sui naturâ stupidissimum, ignauissimumque,

in re tamen medicâ ſibi eſſe ſapientiſſimum; nam ſi veneno ſit ictum, herbam nouit, Prunellam, ſiue Brunellam, conſolidámve minorem nomine, à quibuſdam Bugulam vocatam, quâ ſibi medendo veneni vim extinguit; vnde edocti homines aduerſus ſerpentium morſiones medicinam hanc ſibi pararunt: Muſæum Calceolarium Teſtudinis marinæ Indicæ caput prægrande admodum, & eiuſdem Animalis tegumentum, ſeu teſtam admirandæ magnitudinis habet, nec mirum, tanta etenim in hiſce animantibus amplitudo comperitur, vt, referente Alberto Magno, Concha qua teguntur, ſit in Cymbæ vſum hominibus conuerſa: & Solinus iuxta Trapobanem Inſulam Teſtudines tantâ magnitudine eſſe teſtatur, vt earum teſtæ domum efficiant, & numeroſam familiam non arctè recipiant: quod & Plinius habet: hoc idem affirmat Ælianus: & qui nouum orbem peragrarunt, nec non res Indicas admirandas literis mandarunt: referunt, illis in maribus ampliſſimas eſſe Teſtudines, & tantâ frequentiâ maris ſuperficiem aberrare, vt prę concurſu nauigia progredi impediatur.

Anim. li. 24. in Teſtudine.
Cap. 24.

Lib. 6. c. 22. & 24. & Lib. 9. c. 10. lib. 16. c. 17.

Altera quoque reſeruatur Teſtudo ex Mari Britanico expiſcata, quam ſi corticatam nuncupes, nomen propriè aptabis. Hæc namque duro, & cruſtoſo, aſperoq; in tegumento, veluti cortice eſt cooperta: quæ & ſi terreſtribus, ac lutarijs teſtâ, & capite haud diſſimilis videatur, magis tamen grande habet caput: quod numquam in teſtâ recondit, ſed ſemper exertum habet, & ceruicem tantum pro arbitrio modò extendit, modò contrahit: cui natura tribuit partim pedes, partim pinnas, & has duris aculeis munitas, quibus veluti remigando per æquora vagari poſſit.

Non illud inſtrumenti Muſici genus Chelyn nimirum hoc loci deſcribere eſt in votis, quò Mercurium fuiſſe delectatum tradunt Poëtæ: ſed Teſtudinis Nili Alumnæ tegumentum, quod vt viſu pulcherrimum, ſi ſpectes, non abſimile illi inſtrumento eſſe dices: parte namq; ſupinâ planum eſt, & latum, pronâ verò conuexum, & ex ſex aſſulis contextum, angulos acutos efficientibus: huius totus ambitus rotundior eſt, præterquàm in caudâ, quæ in longum, & acutum deſinit.

Cernere

Cernere quoque eſt χελώνιον Teſtudinis marinæ: à Geſnero ſub hoc nomine deſcriptæ, quo tegitur animal terreſtri teſtudini ſimile, præter magnitudinem, & pedes, quos vt Vitulus marinus habet: inſtar ſcuti,& Galeæ formatum videtur hoc tegumentum, in ſubſtantiâ durum, & firmum, in colore nigrum, quod varijs marginibus, & coloribus ita affabrè eſt ornatum, vt naturam artem ſuperaſſe dixeris; parte anteriori, quâ potiſſimum caput animal exerit, armati militis cum ſuo ſcuto, quaſi formã exprimit: vndè apud antiquos Miles vocabatur. Attendat obſecrô voluptuarius, reique Venereæ omninò deditus, quæ de Teſtudinis marinæ naturâ ab auctoribus traduntur. Hæc Sole eſtuante, quo acrior eſt in eius radijs vis, in ſummitate maris ſe exponit, ſuiq; oblita ita exſiccatur, vt ſe amplius in gurgitem immergere nequeat; quo fit vt Piſcatoribus præda reddatur. Hoc exemplo motus diſcat, à caliginosâ voluptatis libidine, eiusque perniciosiſſimis hamis ſe totum abdicare, paratam ſibi perniciem non expectans, ne conſumptis diuitijs, corpore exuſto, & animæ incolumnitate deperditâ, cum non poſſit aquis ſanctiſſimis diuinæ gratiæ ampliu ſe immergere, Diaboli animas Chriſtianas expiſcantij eſca, prædaq; euadat: & cum veræ laudis guſtum non ſentiat ob luxuriæ morbum, quo mens & ſenſus ſtupeſcunt, viuens cunctorum ſit ludibrium.

Lib 4. de aquatilib: et lib. de Ouiparis.

Moral. quid Teſtudo marina.



Monstruosum hoc animal, quod spectandum exhibetur, formam illius virulentissimi Basilisci imitari dices: caput namque (non secus ac hoc delineatur) veluti Diademate, ac coronâ regiâ exornatum habet; non absimilem coronæ illi, quâ antiquitus latronũ Reges coronari consueuerunt, quod latrocinandi arte præfulgerent: corpore est pausillo, in colore fusco, à cuius vtraque parte inferiore Pinnæ, perindè ac alæ in altum eminent, vt fatereris alatum esse Draconem, & ad volandum agilem; ni mare ipsum hoc aleret: scias namque, ne quid mendacij hoc nostro in Nomenclatore repe-

reperiatur, Basiliscum non esse, non esse Draconem, sed esse Piscem, maris alumnum, Raiam nimirum læuem, in hanc formam manu artificis fabrefactam.

BATIDIS Græcorum, & Plinij: sic nuncupati, quod caudam quibusdam aculeis armatam habeat, ad similitudinem Rubi Sentis, mora agrestia producentis, quæ Græcę Βάτος dicitur. Raiæ latinorum Piscis lęuis, plani, & cartilaginei, vterus numerosissimè fœtificans, muliebri non dissimilis, testaceâ substantiâ formatus; seu (vt alij) Testa Oua concludens, quadratam, quæ exprimit figuram, demptis angulorum appendicibus, quę vno latere longiores sunt similes folijs Gladioli herbæ, altero verò breuiores, latiores, & replicatæ: ob quam formam illi supellectili haud dissimilem, quo dormientium capita suffulciuntur, Puluinar à quibusdam vocatur. Lib. 32. c. 7 & 11.

RAIÆ cauda longa, sed flexibilis, color cui est corneus, tota aspera, nec non vndique frequentissimis, & asperis aculeis, incuruis, & triplici ordine dispositis consperfa: illud instrumenti genus, quę imitari videtur, quo Fullones pannos curant, & poliunt, & quod totum aculeis ferreis consertum est: vnde Raiæ illi spicei, cui cauda hęc est annata, pereleganter facit Rondeletius, cum Fullonicę nomen indiderit.

Postquam autem quid ad Raię vterum, & eiusdem caudam spectat, iam est dictum, quid etiam moralitatis à pisce hoc insigni pietate dotato, ellici detur, succintè habeas: Commemorat Olaus Magnus. Hominem naufragum in mari natantem, à canibus piscibus tanto cum numero, & impetu, huc, & illuc impelli, vt ne dum crebris morsionibus, sed & pondere in profundum eum demergant, & deuorent: Vbi vero Raia Caniculis superuenerit, vt iniuriarum vindex, & pietatis amans, pro viribus grassatores abigit, hominemque vt enatet, adiuuare omni conatu tentat. Quod si detur spiritu vitali destitui: non patitur hominis cadauer à monstruosis pelagi bestijs deuorari, quinimo illud semper tuetur, vsquequò Mare seipsum purgante, sursum feratur: cernique hoc miserabile spectaculum testatur hic Auctor in Nouer-

Moral. quid Raia piscis.

Lib. 21. c. 22

Moraliter quid Raiæ pietas. Nouergicis oris. Ad quam animantis bruti pietatem (cum nihil homini proprium magis esse debeat, quam aliorum aduersam fortunam miserescere, vndè Seneca iniquum esse dicit, collapsis manum non porrigere) excitari vnusquisque debet, ad opem afflictis semper ferendam: eosque tutandos contra improborum morsiones, ac iniurias: & quò pij nomen mereri possimus, Thesaurumque in Cœlis nobis parari detur, homini paupertatis naufragio immerso, & in miseriȩ, infœlicitatisque lectulo iam demortuo succurrere potissimum expedit: quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, admonet salutis humanȩ Redemptor Christus. *Solom.c.17.* Et qui despicit pauperẽ, exprobat factori eius: Qui verò homini pauperi dat terram, Cœlum accipiet, qui numum, accipiet Regnum, & qui micam, accipiet totum, & quicquid pauperi dabimus, nobis ipsis dabimus.

PASTINACÆ Latinorum piscis marini plani, & cartilaginei, quem Τρυγόνην Græci nominant, Aculeus ille, seu Gladius, ad caudæ longæ radicem, fundúmve decumbens, & eminens, quo vt tradit Plinius, *Lib.9.c.40. lib.32.c.11.* nullum vsquam execrabilius, nihil vsquã venenatius: arbores infixas radices necans, arma, vt telum, perforans vi ferri, & veneni malo: cui assentitur & S. Basilius, *Exẽ.Hom.7* nec non Albertus Magnus: Ælianus *Anim.li.24. Lib.2.c.36.* quoque scribit, *Ex omnibus animantibus infestissimo, ac periculosissimo aculeo Pastinacam præditam esse, vt & celeriter non modo homines, sed & animalia ipsa perdere queat, si eum ad maximam arborem, & vegetam, summeque virentem admoueas, & defigas, haud ita multo post, folia omnia decidant, arborque veluti magni Solis ardoribus exsiccata prorsus exarescit:* & alibi. *Lib.8.c.25.* *Pastinaca* (inquit) *marina cum natandi cupiditate est affecta natare potest, cum rursus volandi studio tenetur sursum versus sublimis volat, Aculeum mortiferum habet, &c.* Vnde mirum videri non debet, si piscatoribus ob execrabilem illam virulentiam aculeus iste adeò formidabilis sit; ab omni namque medicinâ ita inuictus existit, vt icti ad paucas horas occumbant, nisi certissimis remedijs, exhibendo nimirum coagulum leporis, vel hædi, aut Agni in vino ad dragmæ

pon-

pondus, eiſdem ſuccurratur. Hoc Telegonum Vlyſſis filium à Matre Circe veneficâ donatum fuiſſe ſcribit Oppianus, atque illo haſtili ſuo infixo, Patrem ad tumultum excitum, vt ſuis opem ferret, ſed inſcienter, interfeciſſe: Radium eſt Latinorum, quod inſtar Radij hic piſcis, dum capitur, miro aſtu, & nocendi libidine erigat hoc veluti aculeatum telum ſubſtantiâ duriſſimum: Diſcas ex hoc aſſentatoris mellita verba, & illecebras euitare, hic enim (vt altera Paſtinaca, quod pro arbitrio ſuas edit operationes) omnia ad voluntatem ſemper loquitur, & ad ea quæ placent ſolum reſpiciens, ex illius ore verba expanduntur, quæ ſanè dulcia, ac blanda apparent, attamen veluti tela peſtifera in corruptionem, & perniciem animi prolata, aures noſtras perforant.

2. ἁλιευτ

Moral. quid Paſtinacæ gladius.

SOLE, & Stellis Mare quoque ipſum, vt & Cœlum, exornatum eſſe patet; ſi quis reperiatur incredulus, Muſæum adeat Calceolarium, ibi namque Solem Piſcem inuiſere dabitur, cui nomen crediderim impoſitum à ſimilitudine formæ, quã ad Solem hoc noſtrum Hemiſphœrum illuminantem, vt à pictoribus delineatur, habere videtur: inſtar Stellæ marinę ac ſi radij Solares eſſent, ſuos quoque radios expandit hic Piſcis, qui tamen breues, & minimè aſperi, ſed veluti ex ſquamis compoſiti è rotundi corporis circumferentiâ, enaſcuntur: aculeis paruis ſunt muniti, necnon in angulum acutum deſinunt: in huius corporis medio Roſæ pictæ figura expreſſa cernitur.

oſt Solem conſpiciuntur & Stellæ Piſces magnitudine variâ videbis, namq; Stellas magnas, cuius radij circa rotundum corpus diſpoſiti, initio ſatis lati, angulum obtuſum, qui in fine conſtituunt, alias contemplari datur mediæ magnitudinis, nec nonnullas minimæ figuræ; quod ſi haſce cũ Stellis illis, quæ in firmamento, Cœlum ab excellentiâ vocato continentur compares, Stellas, tàm primæ, & aliarum magnitudinum in mari, vt in Cœlo reperiri dices. De Piſce hoc ſcribit Ariſtot. inquiens. *Stella Piſcis adeo naturâ calidus eſt, vt omnia contacta protinus decoquat; detrimento etiam ſummo Echinis Euripi & Pirrheni eumdem eſſe confirmat.* *Forma*

Anim. lib. 5. cap. 15.

eius

eius Stellis, quæ pinguntur, similis est : quem locum mutuatus est Plinius noster: cum dicit, *Claros sapientiæ auctores video mirari Stellam in mari. Ea figurâ est parua admodum, caro intus duriore callo: huic igneum feruorem esse tradunt, vt omnia in mari contacta adurat, omnem cibum statim peragat:* & alibi. *Stellæ maxima crusta intectæ ostreis tàm crudeliter inimicæ sunt, vt hæc ipsæ exedant, ac conficiant:* hoc idem affirmat Ælianus, quo loci rationem insidiarum, quas Stellæ Ostreis molliuntur, describit: monearis ex hoc, Meretricum captiosos astus, ac earum illicita commercia euitare: caue ne pedes intra testas tuæ domus infigant, hæ namque suo contactu cum probè caleant, homines dissolui, ac colliquari, corpus suum promiscuè cuicumque appropinquari sinunt, quò diuitiæ absumantur, corpus exuratur, ac anima tandem arbitrio Luciferi subijciatur: monstra ergo hæc aspera rumpe, ac fugias, sicq; Marcellus eris, & lilijs diuinæ gratiæ anima cumulabitur tua.

lib.9.cap.60

Lib.9.c.22.

lib.9.cap.22

Moral. quid Stella piscis.

Crustacea quoque, & testacea in serie hac maritimâ suum habent locum. Est Nympha Speusippi, ob pulchritudinem crediderim, & pelluciditatem sic nuncupata, quibus dotibus non secus ac Nymphæ Deæ à Poëtis finguntur, conspicua apparet. Sub squillarum specie iurè venit censenda, corpore namque (quod crustis tenuibus, albis, & splendentibus compactum est, quamuis alijs squillis longius, & ampliori formâ) aculeis, corniculis, & caudâ ijs est adeô similis, vt Squillam omnimodè repræsentet. Mantis marinus à Rondeletio nominatur: forsam quod corpore longo, gracili, & circa caudam latiore Bestiolę illi ex Locustarum genere, quod Mantis, & præcans Deum cõmuni vocabulo dicitur, respondent: Cicadam marinam vult esse Bellonius, an rectè legas Rondeletium.

Reperitur quoque Cancellus ex crustaceorum genere, locustis, vel Astacis similis, corpore longo, & ex rubro flauescente in Buccino Concha, quam sibi pro domicilio, dum vitâ frui dabatur, elegerat, emortuus adhuc residens: cogitur namque hic Concharum hospes, cum nudus nascatur, ne ita facilè à causâ externâ lædi possit, ob corporis partem

tem posteriorem,& hanc mollem, in tegumentoque externo egentem, hanc abscondens diuersari. vnde Bernardus Heremita vulgò dicitur: & Scaliger vacuarum testarum inquilinum nuncupat, quòd Conchas, quas ad litus inuenit,pro sui conseruatione, & habitaculo ingrediatur: cuius mirandum inditum ingenium explicauit Aristoteles, & Ælianus: O dura, & infelix illorum Aulicorum vita, qui vt noui Cancelli alienis seipsos protegere vestibus,ac domibus,diù, noctuque sudant. *Exc.cōn. Cardanum 242: desp.2.* *Anim.lib.5. cap. 15.* *Lib 7.c.26.* *Moral. quid Cancellus.*

SCYLLARVM & videbis ex Cancrorum paruorum stirpe, in Neritâ Conchâ inclusum,quo loci viuens,eodemmet motus ingenio,ac solertiâ,quâ & Cancellus,suas sibi parauerat sedes, vt scilicet iniuriæ ob paruitatem opportunus,hanc euitare posset;de hoc scribit Plinius. *lib.9.cap.31*

LEONEM Mare alere certum est, hunc eumdem in Musæo exsiccatum custodiri, certo certius apparet: non sanè monstrum illud villosâ cute, magnitudine, & figurâ Leonem animal terrestre horrendum, ferarum dominum referens, quod sedente Martino Quarto Pontifice Maximo Romam delatum ex Vrbe veteri perhibetur; sed verus Leo delineatur ex crustatorum genere,vt aspectu dignissimus, ob id minimè contemnendus, à colore flauo, vt notat Rondeletius, quo coloratus est, dum viuit, & è mari captus educitur, Leoninam pellem referente, & quod etiam hirsutus sit,nomen adeptus. Astaco corporis specie, qui est affinis, sed Brachia longiora habet, forcipes cuius sunt teneræ, ac latiusculæ, & horum scissura maior, quàm in vllo alio crustatorum genere, pro corporis ratione; hunc Plinius inter Cancrorum genera collocauit, nominans Carabos, Astacos, Mæas, Puguros, Heracleoticos, & Leones; & alibi notam addit, quâ à similibus secerni possit; inquiens. *Sunt lacertorum genera, Loligo volitans, Locustæ, Lucernæ, Liparis, Lamyrus, Lepus, Leones, quorum brachia Cancris similia sunt, reliqua pars Locustæ.* *lib.9.c.31.* *lib.32.c.11.*

CANCRVM & alium speculari datur, formâ paruum cuius testa media humani cordis figuram exprimit, chelas aculeatas in extremo nigrescentes habet, quæ vt pedes, omnes

nes hirsutæ sunt.

CANCER, & alter afferuatur, dices Paguro similem, cum tamen non sit; coloris est fusci, aculeos in fronte habet, nec non in lateribus, cuius testę pars prona aculeis est aspera, & hirta; pedes Paguro aliquantulum longiores ei sunt.

Recolere lnbet, quæ de Cancrorum solerti ingenio in insidijs struendis Ostreis ipsis, pro harum carne exedendâ, quâ viuunt à S. Basilio traduntur. *Cancer* (inquit) *Ostrei, & Conchæ carnem appetit, sed difficilis captu est illi hæc præda propter testæ munimentum: infracto enim septo teneram carnem, natura muniuit, quapropter etiam testa intectum hoc animal appellatur. Et quia duæ cauitates exactæ inter se adaptatæ ipsum Ostreum ambiunt, ac complicant, necessario inefficaces sunt Tincarum Cancri forcipes. Quid igitur facit? Cum viderit in tranquillis locis Concham voluptuose apricantem, & ad radios Solis plicas suas expandentem, tunc sanè, clanculum calculo immisso, prohibet complicationem, atque ita inuenitur id, quod viribus deest, versutiâ obtinere, ac supplere.* Hæc Basilius Sanctus: Quæ eadem ab Isidoro, & Alberto Magno commemorantur. Sed vt finis tandem crustaceis ipsis imponatur: reliqua prosequamur, crustâ intecta.

Exē.hom.7.

Lib.12.c.6. Anim. li.24 in Cancro

ASTACVS Græcorum, & Latinorum, non fluuiorum, sed maris alumnus, Astaco tamen fluuiatili corporis habitu simillimus, & si in illo corporis structura, Chelæ, & alia multo maiora sint, quam in hoc: à cuius formâ Gammarum Gaza vocat: & Aristoteles ex Locustarum, non Squillarum genere esse vult: quem inter crustata animalia in aquis marinis degentia enumerandum scribit: purpureum, & saturatum colorem in hoc non videbis, quo dum vixit erat infectus, sed quia coctus, & elixus in rubrum est mutuatus.

Histor. anim. lib.4.c.7.

Elephantus fortè est Plinij: Locustarum generis, pedibus quaternis: bisulcis: prēterea brachia duo, binis articulis, singulis forficulis denticulatis, vt Plinium scribentem recitem: Vt autem scias, recordationem quamdam suorum conuictorum in Astaco inesse, referam quid Ælianus scribat: *Si quem Astacum* (inquit) *comprehendisti, cum longissimè exportes, relicto ibi signo, vndè ipsum cępisti, eodem eum ipsum vndè*

lib.32.c.11.

Histor. anim lib.8. c.23.

compre-

comprehensus fuerat irrepsisse reperies, si inquam modò ita ex mari exportaueris, vt deindè sic propè deposueris, vt in mari adrepere queat.

ASTACI marini adeò pręgrandem Chelam in Musæo seruat Calceolarius: quam si dices puerile brachium æquare, ridiculum non erit.

MAIA fœmina ex Cancrorum marinorum genere, à Gazâ ob magnitudinem fortasse sic nuncupata, quod cęteris Cancris, quamuis maioribus sit grandior: etymologiâ desumptâ à Maia Græcorum, quæ Amitam significat, & quæ maior dicebatur Aui, & Auiæ Amita, aut quia cum omnium Cancrorum sit maxima, quasi obstetrix dici possit, si cum Pagurorum paruitate, tãquam cum infantibus comparetur. Araneus est marinus Gallorum ob similitudinem, quam cum Araneo habet. Genuensium, & Venetorum Granceola, & Speculum est, à speculis in huius testis eleganter inclusis. Cancer est Pelagius, non vt Paguri inter saxa, & in sicco vitam degens: cuius tota cuppa aspera est: cuspidatâ fronte horridâ, prælongis cruribus, exilibus, & propterea imbecillis, bene vnguibus muniti cui sunt pedes.

MÆA & alter Cancer, in latitudine, & longitudine maximus, cui testa est leuis, laterum ambitus in semicirculũ desinunt, pedes octo (vt delineationi à Rondeletio ex Arist. exhibitæ inhæream) & breues habet pro corporis magnitudine, Chelas duas, dextram maiorem sinistra. Chelarum extremæ nigrescunt; cornua quatuor ante oculos protenduntur: quem Cancrum omnium maximum esse tradit Aristot. à Venetis Granciporrone vocatur ad differentiam fortasse illorũ Cancrorum, qui ob paruitatem Granciporri dicuntur; quamuis superioribus haud multum formâ dissimiles. *Lib. 4. de part. anim. cap. 8* *Loc. cit.*

PAGVRVS Plinij: altera Cancri species, post Mæiam maxumus, qui & si ab Oppiano imprudens dicatur; quòd nonmodo in mari, sed & in sicco eiectus, vel captus pugnam cum lacescentibus audacter suscipere tentet: attamen sapientiæ nomen huic attributum videtur, & vt prudentiæ, consilijq; symbolum è collo Dianæ Ephesię olim fuit suspensus: ille enim (referente Æliano) more Serpentum, qui exuuium suũ *Lib. 9. c. 31. lib. 1. αλιευτ* *Histor. anim. lib. 9. c. 43.*

N mu-

mutant, ineunte Vere testâ veteri exutus, aculeis armisque spoliatum se sentiens, inter saxa latet; & sibi ipsi diffidens neminem aggreditur: ibiq; degit, vsquequò alia testa renascatur, & duriuscula euadat, vt possit contra lacescentes arma, forcipes nimirum suscipere: cui non inconcinnè homo ille assimilari poterit, qui mutatis moribus, & vitiorum exuuio spoliatus, se totum ad comparandas virtutes dedicat: Est & aliud ex eodemmet Æliano in Paguris admirandum: musicę nimirum Lenocinijs à piscatoribus capi. *Hi etenim* (ne ab Auctoris verbis discedam) *in latibula abditi, primum vt ad instrumentum quoddam musicum piscatores suauiter canere ingressos audierint, statim tāquam amatorio quodam ad exeundum non modò inducuntur è latebra; verum etiā voluptate allecti extra mare egrediuntur; hi quidem retro ad tibiam canentes cedunt, illi autem sequentes in arido comprehenduntur.* O miserrimum, ne dicam detestabile genus illorum hominum, qui Pagurorum more in latibulis carnalitatis, & concupiscentiæ vitæ cursum agunt, à meretricum cantus suauitate, ac si sint nouę Sirenes, & mollibus illecebris, veluti quâdam magicâ ratione illecti, eò tandem paulatim ducuntur, vt ad mortem corporis, & animę perniciem incaute ferantur.

Moral. quid Pagurus

Histor anim. lib.6.c.30.


Moraliter rursus quid Pagurus

Inter pisces marinos, Orbem piscem, quem durissimum esse piscium genus tradit Plinius, describere minimè placuit, ne aquarum generali collectori, mari inquam, fluuia comparasse, dici posset: non enim hic piscis Maris, sed Nili Ægypti fluuij fœtus est: corpus informe habere videtur, totus namq; è capite constat, nullo alio apparente membro: qui ob rotundam, sphœricamq; figuram, quam repræsentat, Orbis appellatur. Os habet paruum, vnicum illi vtrinque est foramen, quo & cibum assumit, & excrementa eiectat; Cutis est dura, quā aculei parui, quibus est tota conspersa, asperam efficiunt: Piscis, qui dum viuit, omninò ventos flantes abhorrere, & subterfugere dicitur: quâ enim parte flant, ac si esset ira percitus, oculos ita distortos dirigit, vt Strabonem esse dices: exsiccatus verò, & cubilibus affixus, caudâ, veluti signo, spirantis venti partem demonstrat.

Lib.32.c.2

Alteram quoque cernere est Orbis speciem, quem si scutarum nun-

nuncupes abs re non erit: caussam nominis os illud dabit, scuti forma, quod in eâ parte, vbi in terrenis animantibus pectus est, vice sterni habet: Capite magis exerto à naturâ est dotatus, quàm sit superior. Oris scissura est maior: à capite vsque ad caudam, quæ lata est, ossa oui figurâ sunt dispofita, inter quorum interualla aculei interiacent.



Piscis hic, quem imaguncula hæc refert, ob raritatem speculandus exhibetur, præ formâ sphericâ, quam elegantissime refert, inter orbis genera enumerandus meritô venit: in quo autem à superioribus differat, breues illi, sed firmi aculei, quibus hinc indè vniuersum corpus fusco colore notatum, ita riget, vt non nisi manuum lęsione tractari possit, hoc nobis manifestè indicant: quem si spinosum, aut Echinatum nuncupaueris; nomẽ rei perpulchrè aptabitur: scias autem non Nili, sed maris Indici occidui esse alumnum, & vt quid rarum à solertissimo Sprecchio Calceolario transmissum.

Lib.8.c.35. SCINCVS animal quadrupes Nilo peculiare ex Plinio: satis longus, & ventrosus, squamis paruis, & frequentibus tectus, quibusdam lineis per dorsum alternis fasciculis, & ijs punctis albis notatis distinctus, ad Veneris stimulos excitandos summè optatus; quod & apud Magiæ scriptores leges, & huiusmodi quædam apud Dioscoridem, & Plinium reperies: Crocodilus minor quorumdam: quia eamdem naturam cum hoc habere credatur. Lib.12.c.60 lib.28.c.8.

SCINCVS alter ex Scythiâ: ventrosus sanè, sed minutulus admodum, ac multo minor superiore, cuius pellicula, quæ vniuersum corpus tegit, squamosa est, nullæ tamen lineæ, nec fasciculi in illa conspiciuntur.

SCINCVS & alius, sed minutissimus: qui digitum indicem longitudine haud excedit, non multum ventrosus, & totus nigricans: ex quodam flumine districtus Vicentini. Quorũ omnium carnes præmansæ, sed à peritissimo pharmacopœo lege artis præparatæ, lasciuiæ cupiditates plurimum accendere valent; vt dici non immeritò possit.

Si genus hoc piscium nunc scanderet æquora pinnis
Retibus officium fœmina quæque daret.

Cum Musæum ingrederis, caue tibi à Crocodilis magnæ, & paruæ magnitudinis, ad illius parietes appensis, ne præ monstruositate compauescas, cũ mortem moribus assuetis inferre neutiquam possint; quia exsiccati, & immanitate illâ innatâ erga homines sunt destituti: eò namque loci animalia hæc contemplari dabitur, oris hiatu amplo ad voracitatem summè apto; dentibus longissimis, & validissimis quibus conterunt: vnguibus acutissimis neci dicatis: cute sunt intectâ corticeâ durâ, & contra omnem ictum inuicta: vt certè inspicientibus terrorem incutere dices; vt inde apud Ægyptios, sub Crocodili formâ symbola perniciei, salacitatis, furoris, latrocinij, helluationis sint expressa ex Pierio Valeriano. Animal est quadruples, Niloticum, naturâ timidum, improbum, & malitiosum, cui ex Plinio nostro hoc vnum inter alias proprietates est peculiare, vt quamdiù viuit crescat, viuit autem longissimo tempore, vt ob id ex paruâ origine in maxi- Lib. 29. in Crocodilo lib.8.c.25.

maximã molẽ creſcat,& immenſæ proceritatis cernere liceat. Bellua terribiliscontra fugaces,& fugax contra inſequentes quæ ambulando in terris vſum, & natandi in aquis potiſſimum Niloticis officium habet:vnde noctibus in aquis,die verò in humo quieſcere ſcribit Herodotus; & vtrumqne hoc ratione teporis.

Supereſt adhuc vt Caſtor inter animalia ambigui victus reponatur: à dictione græca γαςὴρ ſic nuncupatus, quæ ventrem ſignificat; eſt namq; animal ventroſum: Fiber eſt latinorum, à fibris,ideſt amnium ripis,quas incolit: Animal eſt amphibium,in vtrâq; ſede viuens, nam (vt Æliano placet) die in fluuijs abditus ætatem agit, nocte in terrâ vagatur; morſu eſt præmunitũ horrendo, vt arbores iuxta flumina veluti ferro cędat; quibus, ò admirandam huius animalis induſtriam, latibula,ſeu cauernas vice domumcularum miro ordine in ripis amnium ſibi extruit: Cum enim animal ſit natura prouidum, quo ſe tutum præſeruare poſſit à fluminum, aut imbrium illuuionibus, coadiuuantibus alijs ſuæ ſtirpis, qui omnes gregatim ad excidendos dentibus arborum ramos eunt, tranſportatis pro conſtruenda domo lignis, prioribus pedibus foueam ſibi cauat, eamque lignis à ſe cæſis ita affabrè ſtruit, vt vel decreſcente, vel increſcente aquâ partem anteriorem in ſicco, caudam vero, ne quid de propriâ naturâ ſibi deroget, in aquâ habere poſſit: modo etiam in proprijs cauernis ſolaria bina, & terna mira ſolertia pro ſui tutella conſtituit, vt imminente periculo, ſuperiora inhabitet, inferiora ſint ad aquarum incurſiones tantummodo excipienda: cute ſpiſſa, & villoſa tegitur hoc animal; pedes priores Simiæ pedibus, quibus Sciurorum, vel Simiarum ritu tamquam manibus cibum ori admouet, poſteriores Anſerinis ſimiles habet, quibus vt & cauda, quæ prægrandis, lataque eſt, & ſquamis piſcium ſquamoſorum more obtecta, veluti gubernaculo vtens, per flumina vagatur: Sed antequam è Caſtoreano ſignificatu egrediar, placet renarrando repetere, quæ de inſtituto quarumdam gentium in edendis carnibus huius animalis à Valeriano in Hieroglyphicis

lib.6.cap.33

Lib.3 c.de Fibro.

phicis annotantur: ſcribit hic Auctor, ne ab illius verbis diſcedam, *Populos plerosque, qui noſtræ pietatis ritu viuunt à Ponto, & Septentrione in Pannoniam vſque porrectos, anterioribus Fibri membris pro carne veſci, poſterioribus piſcis loco: caudam vero eius animalis, quæ præpinguis eſt, ſalitam plurimum, conditamque pro tarico, hoc eſt ſalſamento piſculento habere, eamque ieiuniorum tempore, quo nobis ex conſtitutione Pontificia, carnibus interdictum eſt, menſis inferre: ea vero illi ratione ſe tuentur, quod poſteriores Fibri partes, aquis ſemper innatantes piſcem dicant, & eſſe arbitrentur.* Hæc ex Valeriano: quibus hoc etiam addi poteſt: tantæ fortaſſe frigiditatis illorum crurium carnem eſſe ob diuturnam harum partium in aquis permanentiam, vt quemadmodum caro teſtudinis terreſtris lege Pontificia non eſt ieiunantibus interdicta, ita & hæc admitti poſſit; Olaus quoque Magnus ſcribit, Caudam, & pedes poſteriores huius animalis, quod in aquis quieſcant apud gentes Septentrionales pro piſcibus in eſcis haberi. *Lib. 18. c. 4.*

Fibri teſtes: an potius tumores illi in inguinibus animalis innati, & naturali membranâ concluſi, non adulterati, ſed legitimi, qui Oui Anſerini magnitudinem non excedunt: ijs odor eſt grauis, & virus redolens, guſtu ſunt acri, amaro, & mordente, vt ſternutamenta olfactu moueant, qui tamen in re medicâ maximas præſtant virtutes, & parandæ Theriacæ ſunt accommodati: Tradit Plinius: quod Caſtor à venatoribus inſectatus abijcit teſticulos ſuos, à ſe dentibus ſpontè abſciſſos, noſcens ſe eorum cauſsâ peti, cum ij ad multa medicamina ſint neceſſarij, hoc idem affirmat Solinus, & Ælianus: attamen Albertus Magnus veritatis maximus perſcrutator id falſum eſſe aſſerit: notans, dici Caſtoreum à caſtrando, non quod ſe ipſum caſtret, vt habet Yſidorus: quod etiam hiſce carminibus expreſſit Iuuenalis in Satyris referens ad amicum Coruinum tempeſtatem illam procelloſam Catulli, in qua hic vitæ ſuæ plurimum timens, quaſi cum ventis paciſcens, ſuppellectilem ſuam in mare proijcere cœpit, quò leuior facta nauis, tempeſtatem tan-

lib. 8. cap. 30 *Cap. 18.* *Loc. cit.* *lib. 22. anim. in Caſtore* *Originum lib. 12. cap. 2 in Caſtore*

tantam aut ſuſtinere, aut ſuperare poſſet.

Imitatus Caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere damno
Teſticulorum: adeo medicatum intelligit inguem.

Sed quòd ob caſtrationem maximè quæratur, hinc Caſtorei nomen eſſe hoc animal adeptum: *Falſum eſt enim*, ſcribit ille Magnus Albertus; *quod agitatus à venatore, neque vllâ aliâ ratione periculum poſſe declinare cum videat, caſtret ſeipſum dentibus, & proijciat Caſtora morſu auulſa: & quod ſi alia vice caſtratus exagitatur, erigendo ſe, palàm faciat venatori ſe illis carere:* hoc idem in Plinio Sextius diligentiſſimus medicinæ negat: quinimo paruos eſſe, ſubſtrictosq;, & adhęrentes ſpinæ, nec adimi ſine vitâ animalis poſſe affirmat. Loc. cit. lib. 32. c. 3.

Decreueram hoſce lapillos, qui deſcribendi ſe ſe offerunt, ſectioni lapidum includere, ſed quia maris, fluuiorum, & lacuum ſunt partus, nè aquatilia terreſtribus miſcere videar, ſatius fore duxi marinæ huic ſectioni pro appendice illos adiungere.

SPONGITES Plinij Spongiæ nomen reprę̨ſentans, quia lapis in ſpongijs natiuus, ac in earũdem latebris, ex ſalſo ſucco, qui maris eſt proprius, concretus, in lapideamque ſubſtantiam, & ſi non omnimodè duram, quia friabilis, condenſatus: Cochleæ inſtar eſt perforatus, & quidem vtrimque color huic ineſt in cinereo albicans, per quam feltro ſimilis: Techolithos à nonnullis vocatur, quia cum vino potus renum calculos frangat: Lapis Cappadox aliorum, vt potè qui ex Cappadociâ conuehitur, laudatiſſimus, & probatiſſimus ſit ad hoc munus obeundum. Huius lapidis mentionem facit Galenus, cui vim frangendi attribuit, non tamen ita validam, vt lapides in veſſicâ comminuat, improbans quoſdam qui id ſcriptum reliquerunt: verum qui in renibus conſiſtunt, rumpere: veluti ſunt lapides illi, qui ex Cappadociâ conuehuntur, quos in Argalo naſci aiunt: ſoluuntur autem hi in ſuccum colore lacteum, ex quo liquet, quod extenuandi vim obtinent, abſque vt inſigniter calefaciant: vnde in Nephriticis compoſitionibus ex mente Aſclepeadis ponendos eſſe ſcribit. Lib. 36. c. 19 & lib. 37. c. 9. ſimp. med. cap. de lapid. Lib. 10. de comp. med. ſ loc. cap. 2.

TIBV-

TIBVRONIS piſcis maximi, & truci aſpectu, vitam qui in Mari Indico ducit, adeò inſigni corporis robore, vt hominem ictu dentis ſecet medium, & deuoret: lapis ex eius capite extractus, ſatis magnus, in colore albicans, in pondere grauis, & ex parte concauus; quem ſi guſtaueris, inſipidum dices; cuius puluis, vt ex Nicolao Monarde habetur; *ſimpl. medic. Hiſt. cap. 32* vtiliſſimus fertur Nephriticis, & aduerſus Vrinæ difficultates.

CORACINITES: lapides duri, oſſeæ veluti ſubſtantiæ, in colore candidi varias qui exprimunt formas: ſic nuncupati, quia in Coracine Piſce ex ſquamoſorum genere (Venetorum Peſce Coruo, à nigredine fortaſſe quâ tegitur) capitis parte poſteriore generentur: Dolori illi proficui, qui Colon inteſtinum infeſtare ſolet: horum puluis aliquâ diureticâ aquâ mixtus, & ebibitus nedum generationem lapidum in renibus prohibet, ſed & genitos diſſoluit: vti etiam, non ſecus ac de lapide illo Nephritico habetur, ita & hi brachiorum pulſibus alligati, quâ parte dolor exagitat, Nephriticum dolorem compeſcunt; & vrinas remorantes mouent. Vice annulorum digitis manuum geſtati hęmorrhoidas tumentes exſiccant, & cruciatus in illis exiſtentes mitigant.

lib. 37. c. 10. SYNODONTITÆ: lapides à Plinio Gemmæ dicti; quia in candore ſplendere quoquomodo videantur; formam habent oblongam, alterâ tamen parte gibbam: cauſsâ nominis, quòd in cerebri ventriculis illorum Piſcium marinorum inueniantur, qui Synodontes vocantur, & apud Columellam Dentrices ſunt.

LAPILLI rotundi, globi dimidiati figurâ inſtar oculorum, coloris vt plurimum albicantis: qui in Cancris fluuiatilibus, fœmellis potiſſimum reperiuntur; quo tempore à tegumento teſtaceo denudantur, & nouam induere inchoant teſtam; in quibus inſignis eſt facultas ad coagulati ſanguinis diſſolutionem, & expulſionem: vti etiã in confringendo calculo renum intus exhibiti, plurimum valent.

CARPIONIS Piſcis Benaci Lacus Ditionis noſtræ Veronenſis peculiaris alumni, ob eius carnis bonitatem, ſuauitatem, & ſub-

& substantiam inter lautiores diuitum mensas celebratissimi. Lapilli: in illius faucibus reperiri soliti, quorum figura triangularis est: exteriùs colorem habent candidum, intus subflauum: calculosis & ij subuenientes. Hoc tamen peculiare habent vt intus assumpti, bilis flauæ ebullitioni aduersando, illam compescant: triti, & in puluerem redacti, si cum lanugine, quæ in malis Cidonijs hæret, misceantur; & in nares insuflentur, hæmorargiam sistere dicitur.

Nec sunt sub silentio prætereundæ Synodontis maxillæ: quæ & si pro vsu medico nihil veniant æstimandæ, attamen vt habeas, Calceolarios rerum varietatibus semper fuisse delectatos, & hæ exhibentur: fului sunt coloris, quaternos habent dentes caninis similes, inter alios paruos denticulos, quibus reliquum maxillarum est serratum, eminentes.

Non silebo etiam Hippuri Aristotelis, Piscis illius maxillas, dentibus exiguis, sed acutis vndique munitas: qui in Hispanico Mari frequentissimus visitur. *Histor. anim. lib. 5. c. 10.*

Dum singula hæc omnia, horis quidem illis, quæ à re, & studijs medicis omninò sunt remotissimæ, beneuolentiâ incitatus, quâ ob laudatissimos mores, FRANCISCVM CALCEOLARIVM Compatrem, summè amandum prosequor, ex animo dictarem, dubius an aliquid sit omissum, quod ad aquatilia spectet: per Musæum non inuitus spaciando, Εχενηίς Græcorum ad manus venit: cui à firmandis, sistendisque non retinendo, sed adhærendo nauibus, à Suidâ Ναυκλάτης, & à Latinis Remoræ nomen est attributum: *Ruant namque venti, (* vt legitur apud Plinium *) & sæuiant procellæ, imperat hic piscis furori, viresque tantas compescit, & cogit stare nauigia: quod non vincula illa, non Anchoræ pondere irreuocabili iactæ, &c.* ob id cum pisce hoc pelagio, paruo quidem, sed ob vim admirandam, quâ pollet, maximi nominis, (& si Fracastorius noster fabulosum hoc credat) manus scriptioni, quæ erat dicata, firmabitur; & finis ijs erit, quæ è mari in celeberrimum hoc rerum ferè omniũ naturalium Theatrum sunt recondita: hoc vno conten- *Lib. 32. c. 7*

tus, me, quicquid in hiſce maritimis declarandis annotaui, illud omne non ſine vigilijs, & aliquo ſtudio à ſceleɛtiſſimis Auɛtoribus collegiſſe, atq; in vnum hoc corpus ſummâ fide conglobaſſe: faxit Deus, vt res, quæ ſubſequentibus Seɛtionibus inſeruire debent, ita pleniore calamo poſſint delineari: vt ſummè optarem, ni in ambiguo verſaretur animus, ne in aliquâ ex hiſce ſeɛtionibus ob Soli ſterilitatem, meſſis diminuta pullulet: id vnum tamen ſciat Leɛtor, me omne ſtudium, & operam nauaturum, vt res illę vberiore quo fieri poterit apparatu redundent. Interim ſingula omnia non diſtortis oculis, nec animo ſcabie infeɛto, ſed candido, & hilari fronte ſuſcipito.



SECTIO SECVNDA,

QVÆ TERRARVM GENERA, OCHRAS, RVBRICAS, SALES, ALVMINA, SVLPHVRA, ET BITVMINA PATEFACIT.

SECTIO SECVNDA.





TERRARVM naturam, quas non lethiferi, ſed ſalutares ſucci imbiberint, ac earumdem præpotentes facultates, qui exactè cognouiſſe ſapit, ſuimetipſius tutiſſimum propugnaculum aduerſus morborum incurſiones hoſtiles dici meritò poterit: mente namque percipere illi dabitur, quanti valeant ad corporis humani ſanitatem cuſtodiendam, quibus viribus polleant contra morbos, corpora noſtra infeſtantes, optimè calebit, ac denique ex illarum reiterato vſu, (qui tamen in debitâ, & congruâ quantitate eſſe debet,) ſui corporis incolumitati peregregiè conſulet, quâ præſente, Amphione Sicyonio Poëta exclamante, amœnum gratijs Ver floret, ſine illâ, nemo beatus: Veneranda Terra mater, propter eximia merita, in humanam naturam collocata, ac ſi ſenſu eſſet prædita, maternâ hac veneratione digna, ex cuius ſinu, veluti fœcundiſſimo vtero, tales quibuſcumq; gemmis præcioſiores fructus pullulant. Humaniſſima, blandiſſimaque nutrix, in cuius gremio tàm carè, & benignè, tenerrimâque dilectione nobiliſſimi hi fœtus fouentur, ac aluntur: Beatus, fœlixque ille Vir, cui pro ſanitate conſeruandâ, vitâque producendâ, ſuccos adeò ſalutiferos, à fructibus hiſce emanantes, delibare datur; qui quidem cum non tàm corpori, quàm animo prodeſſe poſſint, & vtriusque mala expurgare valeant, dicere ille audebit, mentem ſibi eſſe ſanam in corpore ſano: Quò ergo extra iactantiam, beneuolentiæ aliquid, (abſit à gloriolâ verbum,) apud homines mereri, & captare videar, ſingula illa terrarum genera, ac earumdem vires naturales, (quàm breuiſſi-

P mè

mè tamen,) deſcribere ſtudebo, quæ in quotidianum vſum medicum apud CALCEOLARIVM aſſeruantur; vt Terras Samiam, Lemniam, Armeniam, Pnigitem Galeni, Ampelitem Dioſcoridis, Eretriam, Chiam, Selinuſiam, Iluanam, Mondeuicam, Liliam, & Melitenſem, quibus addere non diſplicebit Alanam, Ruſmam, Cimoliam, Saponariam, & Puteolanam: quæ tamen omnes pro corporum diuerſi generis commiſtione, ex quibus fiunt, varios ne dum colores ſuſcipiunt, & in lucem prodeunt, ſed & in ijs multiplices, & variæ redundant facultates, diuerſis infirmitatibus, vſuique non vno accommodatæ: In hâc pariter Claſſe ad proprias ſedes in Muſæo, Bolos ipſos contemplari datur; ſunt enim & hi terrarum ſpecies artificum miniſterio, vt magis ac magis illarum vires eluceant ab omni impuritate, & quacumque materiâ fœciali expurgati, ac in varias formas effigiati: Vt Bolum Luteum Galeni ritè lotum, & exactè elaboratum, qui tunc temporis ex Armeniâ ad nos tranſportatur, Ochræ foſſili in colore haud abſimilem, qui tamen digitis attritus, ob duram eius conſiſtentiam, & lapidi æquandam, manus neutiquam inquinat, quinimo ſe totum ſplendidum reddit, qui etiam & ſi igni iniectus, non ſecus, ac Ochra, in purpureum mutetur colorem, ob ſubſtantiam tamen argiloſam, quam ab ortu habet, in duritiem maiorem tranſit, quod in Ochrâ, ob eius conſiſtentiam laxam, non apparet, ab igne etenim friabilis fit, & redditur. Bolum luteum alterum, ſub nomine Theophraſti inuentoris, qui promulgatur, Boli lutei Galeni colorem, ſed obſcuriorem referentem. Bolum Sleſianum tactu lubricum, & ſaponi ſimilem, qui in aquâ citiſſimè ſoluitur, quique Bolum luteum Theophraſti in colore imitari videtur, & ſi non ita fuſcus ſit, ſed veluti in fuſco candicans appareat, & ne fraudem concepiſſe credi poſſit, proprijs ſignis, triplici nimirum montium connexu iuſculptus, cernitur, quod ex Monte Acuto in Sleſianâ Prouinciâ terra hæc effodiatur, ac poſtmodum expurgata, in globos orbiculares formetur. Bolum Sabaudicum, in colore Rubricæ æmulum, quem

Bolus luteus Galeni.

Bolus luteus Theophraſti.

Bolus Sleſianus.

Bolus Sabaudius.

quem Colles Beatæ Virginis Montis Vessuli dant. Bolum Toccalium carnei coloris. Bolos ex Mateolo, Apuliæ districtu, in colore varios, qui tamen omnes, non secus ac calx, acrimoniæ non sunt immunes, tùm quia terra hæc acrem succum aliquem biberit, tùm quòd etiam ab exhalatione acrimoniam hanc acquirat, aliquid igneæ qualitatis retinendo: quamuis inter hos maior, & minor gustanti appareat acrimonia, prout magis, ac minus à calore, in terræ visceribus existente; illorum materia concoquitur, & ad strictiorem vstionem reducitur, magisque, aut minùs de exhalatione participant, & vstionem sunt passi; sic enim generari sapores, vt & colores tradit Aristoteles, ex exustâ materia, quæ secundum magis & minùs, omnimodas accipit formas saporum, & colorum. Bolum Getulum Ochræ colore. Bolum Tellinum, cuius color est fuscus, quasi sub nigro ferro similis. Bolum Agricolæ, iecinoris colorem præseferentem, quem ex Boëmiæ fodinis siue argenteis, seu alterius materiæ metallicæ, ferreę potissimum opiparis extractum crediderim, ex metallorum enim venis hę terræ eorum naturam pręseferunt, vt Rubrica ferri, Ampelitis Bituminis, Melia aluminis, Chia Nitri, & sic de alijs. & denique Bolum illum, qui communiter Bolus Orientalis dicitur, cui vulgus hominum Boli Armeni nomen attribuit, quod præteritis annis Bolus ille luteus, qui tunc temporis ex Armeniâ asportatur, nondum notus in Italia esset: an vero Bolus hic vera terra Lemnia sit, vt doctissimi quidam Viri affirmare videntur, non ita liberè asserere ausim; & si enim qui ad nos defertur, sanguineâ totus rubeat substantiâ, & Lemnium sigillum imitari in colore videatur, potest tamen & hic ab impostoribus adulterari, (vt valdè suspicor) non tamen Gleba hæc illas conditiones omnimode participare videtur, quæ terræ Lemniæ à Galeno ascribuntur. non enim Minio in colore proximam dices, si manibus tractetur, has inficit, si linguæ applicetur, aliquantulum qualitatis mordentis redolere fateberis, quæ singula à terrâ lemniâ omnino absunt. & quod maiorem mihi suspicionem adauget, est, Boli illius adeô copiosissi-

Bolus Toccalius.

2. Meteor. cap. 3.

Bolus Getulus.

Bolus Tellinus.

mam messem ad nos ex Orientalibus transportari. non enim crediderim ex Lemno Insulâ, terrę illius ita numerosum expiscari prouentum, rara namque est, nec ità publicè venditur, vt ex Viris fide dignis, qui Insulas illas peragrarunt, mihi est relatum; quinimò nec cuiuis suum portorium ex eadem extrahi licet. sed vbi primum pingue illud lutum in paruâ lacunâ, conturbatâ aquâ, fuerit collectum, quod æstuante Caniculâ fieri solet, à Viris huic muneri obeundo, mandato Regio, destinatis, sigillo imprimitur, deinde Turcarum Imperatori traditur, qui postea Magnatis, vt vnicum contra venena præsidium, munificentissimè distribuitur. quibus rationibus motus, Bolum illum quiduis aliud, quàm veram terram Lemniam spirare crediderim; non negarim tamen, ex Lemno Insulâ, sub nomine Boli Orientalis, ad nos peruenire Glebam quamdam, non autem in tantâ copiâ, vt communis Bolus Orientalis; quæ, modò vitiata non sit, Rubricæ Lemnię in colore, & viribus est par, quam seruare CALCEOLARIVM, paulò inferius explicabitur. Singuli hi Boli ob præstantes virtutes, quibus naturaliter pollent, & venenis resistunt, nec non Antidotis illis commisceri solent, quæ venenis contra sunt, vti etiam aduersus febres malignas, pestilentialesq; plurimum valent. Sed ad terras ipsas, quarum & si apud recentiores medicos non sit frequens ille vsus, vt antiquitùs esse solebat, fortasse quia, præuijs Clarissimorum hominum ingenio, & operâ, aliæ sint repertę terrarum species, vi, & qualitate innatâ superioribus æquandæ, aliæ sint excogitatæ alexipharmacæ compositiones, quæ bonitate, & pręstantiâ cum illis decertent, nihilominus, vt cuiuis innotescere possit, CALCEOLARIVM, Aui perhonorificè acta imitantem, nullo vnquam sumptui, nulloque labori parcere, quominùs pro medicorum arbitrio singula illa omnia in promptu habeat, quæ ad rem medicam faciunt, ob id terris hisce illi est in votis, Musæum semper exornatum habere. sic & mihi in illius, & Legentium gratiam, earumdem ortum, & vires, ex scelectissimorum Auctorum fonte collectas, &

quo-

quotidianâ experientiâ comprobatas, describere; nil tędij erit: Placet autem à terrâ illâ, vti nobilissimâ, & maximarum virtutum initium summere, quæ cum ex Samo Insulâ Maris Ionij, effodiatur, & cui Patria nomen fecit, commemoratione dignum habet solum: in illâ namque Iunonem ortum traxisse, educatam, & Ioui nuptam fuisse, testantur, qui fabulosas Gentilium Deorum historias scriptis mandarunt, vnde & Iuno Samia fuit vocata, & à Samijs, vt Dea Insulæ tutrix, colebatur. Ciuem habuit Pythagoram, ex Demaratho, vel vt alij, ex Mnesarcho in illâ natum, summum inquam illum, celeberrimumque Philosophum, in quo admirando quorumcumque gentium applausu, scientiarum omnium exactissima cognitio mirificè enituit, cuius etiam probitas, & vitæ abstinentia in qualibet re, quæ & animum deturpare, & corpus inficere valeret, cunctis venerabilem fecerunt, vt ob id non minus vera, Pythio Apolline Loquutum esse; legere sit, vnde Ouidium de hoc ipso talia dictare non piguit. *Metam. 15.*

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Viribus humanis, oculis ex pectore hausit.

In hac pariter Insulâ, decimâ sextâ Olympiade, tempore Nummę Pompilij, illam ex Sibyllis natam esse, ex Eusebio habetur, quæ exinde Samia est dicta, & quæ postmodum vaticino spiritu, ne dicam quasi prophetico, afflata, regnante Iosiâ Rege Israel, Deum vnum prædicauit, & de Christo Redemptore hæc prædixisse, legitur. *Tu enim, stulta Iudæa, Deum tuum non cognouisti, ludentem mortalium mentibus, sed & spinis coronasti, horridumque fel miscuisti.* Vndè mirum videri non debet, cur in hac nostrâ terrarum enumeratione, quæ ob vim naturalem alexiteriam, pharmacodes, seu medicamentosæ, meritò nuncupandæ veniunt, terrę Samiæ, quid primum attribuere placuerit: cuius in re medicâ vsus præ cæteris à Dioscoride, & Galeno traditur, qui genus Cretæ naturalis leuissimum, candidissimum, mollè, & fragile, solaria oblonga habens, & linguæ applicatum, vehementer adhęrere dicit, nec non ob insitam facultatem, *In Temporũ Thesauro.* *Lib. 5. c. 129* *Lib. de simpl. medic. cap. proprio.*

quæ

quæ huic attribuitur, refrigerandi, & aſtringendi, ad ea facere, quæ inſtantius ſtringere volumus, notat, vt Cœliacis, & id genus alijs fluoribus, & alibi de hâc eâdem agens (& ſi Samium Aſtera præferre videatur) ad ſanguinis, expuitiones, vndequaque natas, perſcribit, exulcerationibus dyſentericis, antequam putreſcentia euadant vlcera, prodeſſe docet, Vteri cruenta profluuia iuuare tradit, aduerſus phlegmonas calidas, vt mamillarum, & teſtium, & Bubones incipientes, nec non fluxiones podagricas, & denique vbi refrigerare ſtatutum eſt mediocriter cum mitigatione, & lenitione conuenire ait, quo loci etiam vtendi modum edocet, nec non abluitione minimè egere admonet, quod ſponte morſu careat, & eius naturam retineat. ad vlcera interna conſolidanda optimum eſſe remedium affirmat; ſudores quoq; immodicos cohibere, & ex aquâ bibitã ad ſerpentium morſus venenatos, ac omnia venena valere, quotidianâ experientiâ comprobatur : Et quamuis in huius terræ cognitione nonnulli, & ſi non infimæ claſſis Viri, titubare videantur, ſuſpicantes, legitimam ad nos tunc temporis non tranſportari, nihilominùs hoc vnum certò certius ſit, quæ inter Muſæi Calceolarii parietes reconditur, vt & Aſter, lapisque Samius, non ſpuriam, & vitiatam, ſed genuinam eſſe, eiſdem namque conſtat notis, quæ à Dioſcoride, & Galeno legitimæ attribuuntur. eſt etenim candidiſſima, mollis, rara, leuis, pinguis, & friabilis, guſtanti ſaporem in pingui dulcem ſpirat, ideo boni ſucci, & quia pinguis glutinoſa, linguæ namque admota, illi vehementer adhæret, quia rara leuis, in totâ enim eius temperie, quam in commiſtione qualitatum inuicem ſibi parauit, capere potuit multum aëreę ſubſtantię, quæ leuitatis eſt cauſſa, vnde dicebat Galenus, terrę huius eſſentiam magis aëream eſſe, collatam ad terram Lemniam, cuius argumentũ eſt leuitas ipſa : eſt pręterea friabilis, quia mollis, & ſicca, quę ſanè non ſecus ac alię terrę, quę cuiusuis puritatis expertes, ſimplices non ſunt (modò tamen puritatis hic terminus terrę ſimplici concedi poſſit, quin aliquid aliud ſemper

11. de ſimpl. medic. facult. — *4. meth. c. 17* — *Loc. cit.* — *Loc. cit.*

per miſtum habeat) huiuſmodi ſaporem, colorem, & cętera conſequentia ex alteratione, & miſtione qualitatum inuicem eſt adepta: Syropicon à nonnullis, ex Dioſcoride, appellatur, Latini verò Collyrium dicunt,quia oculorum medicamentis miſceri ſoleat,quæ Collyria nuncupantur.

ASTER Samius, inter alterum huius terræ genus à Dioſcoride repoſitus. Terra & hic eſt candida, ſed prænotata glebosior: quia pinguis glutinoſa, & linguæ adhærens, vt ex Galeno habetur, quam tenacem, & viſcoſam nominat, ſpiſſa eſt præterea, ob id grauis, & ſi cũ terrâ Lemniâ comparetur, leuior ſit eâ, cruſtoſa eſt, denſaque lapidis modo, cui ſtellæ nomen videtur attributum, quòd ſtellę imago, ſicut in terrâ Lemniâ, Capræ ſigillum in illa imprimeretur, & hoc veriſimilius videtur, quàm, vt alij autument, quia in eâ micæ, inſtar ſtellarum internitentes, conſpicerentur, id namque neminem habere auctorem, vſque adhuc annotare eſt datum. Terra hæc, ex Galeno, præter aſtrictionem, & frigiditatem, glutinoſum quoddam cum habeat, ſummè, vt & terra Lemnia, ſanguinis reiectationibus opitulatur: hâc etiam vti præſtantiore illâ, quæ Collyrion ab aliquibus vocatur, ſemper vſum eſſe, legitur, fortaſſe quia, (eodem teſte) hâc magis tenuium ſit partium, & maioris in deobſtruendo, ac penetrando efficaciæ, ob id ad morbos extirpandos, ac prauæ eorumdem qualitati reluctando, idonea magis; quamuis huic altera Samiæ terrę ſpecies, ex Dioſcoride præferatur. Aſter quoque Samius, vt Tragachanta, Gummi, & Amylum inter leuiſſima medicamenta à Galeno reponitur, quę in arterię inflammationem principijs adhiberi debent.

Lib.5.c.129 *9. de ſimpl. medic. facult.* *1. de ſimpl. medic. facult. cap.2. & 7. de comp. medic. s.loc. cap.4.* *4. de comp. med.s.l.c.1.* *Loc. cit.* *7. de comp. med.s.l.c.1.*

Samius lapis à Dioſcoride & hîc annotatus, qui in terrâ Samiâ, vt in proprio vtero incluſus, inſtar Aëtitis lapidis, reperiri ſolet, & quia probatiſſimus, ideo pręnarratis candidior, & durior magis, eiſdem pollens viribus, quibus & terra Samia, facultatum etenim illarum meritò particeps eſſe debet, quas hæc ob alterationem, & miſtionem ſuccorũ eſt naturaliter adepta, cum illius ſit fœtus, vndè vim aſtricto-

Lib.5.c.130

Loc. cit. ctoriam, & refrigerantem ei inesse, scribit Dioscorides: in potu exhibitum stomachicis prodesse notat, & ad fluxiones oculorum, nec non ad vlcera cum lacte, efficacem esse dicit: partus accelerare, & conceptus custodire, vt Aëtites, creditur: Hoc lapide, ex Plinio, antiqui illi, auri laborandi artifices, pro nitore, Auro, & Argento comparando, vti erant assueti, tunc temporis autem apud nostrates Aurifices Terra illa Alana, quam Tripulim vocant, in vsum venit: Exhebenum est Zoroastris, quod ex candido, quia leuis, & speciosus factus sit Gemma, sic referente Plinio conterraneo nostro.

Lib. 38. c. 21

Lib. 37. c. 10

Terræ & illud genus in Musęo repositum cernere est, quæ à Patriâ nomen sumpsisse videtur, estque terra illa ex Lemno Insulâ Maris Ægęi, hodie Stalamine vocatâ, quę sub nomine terrę Lemnię à Dioscoride, & Galeno adeò celebratur, vt vim illius antidoti habere prędicent, quod contrà perniciosa venena, & morsus illorum animalium, quę virus eiaculantur, valere dicant; & Auicennas Lutum diuinum hanc nominat, quoniam prima, quę ipsam accepit, fuit mulier Diuina, nomine Bartamise, quę sic referente hoc Arabum Principe; *Tale lutum ex lacunâ quadam, in monte rubeo existente, accipiebat, & ad ciuitatem deferebat, & ponebat in aquâ, & fiebat sicut puls, & dimittebat ipsam post motionem fortem quiescere, donec residebat, & effundebat ab ea illam aquam, accipiebatque rem grossam, & proijciebat eam, & vtebatur quod ex eâ pingue erat, & viscosum, & faciebat ex eo lutum, sicut cera.* Hęc Auicennas, cuius verba immutare non placuit, ne quid ex ijs detrahere, aut addere existimari posset: Galenus terrę huius tres videtur constituere differentias. Vnam, quam nulli alio, pręter Sacerdotem, qui Dianę sacra faciebat, attingere licebat, & Dianę sigillo, quod capra est, vbi primum larga aquę effusione, & emaceratione, ac tandem exsiccatione depurata, & à quauis materiâ lapidosâ, seu arenosâ expurgata imprimebatur, nullo tamen admisto sanguine, vt censet Dioscorides, quem Galenus repręhendere videtur; sponte namque rubra est: vndè hic

Lib. 5. c. 33
9. de simpl. med. facult.

Lib. 2. tract. 2. cap. 42.

Loc. cit.

Loc. cit:
Loc. cit.

Auctor

Auctor Milthon Lemnium, ideſt Rubricam Lemniam vocat, quòd eumdem colorem Rubrum, quem, & Rubrica, obtineat, & ſi inuicem differant, hęc enim colore rubro, quo eſt infecta, tangentium manus contaminat, illa verò neutiquam; & hæc erit fortaſſe illa terra, quæ in Glebæ modum formata, ſub nomine Boli Orientalis, in Italiam tranſportatur (modò tamen vitiata non ſit.) Secundam huius terræ differentiam Rubricam eſſe fabrilem, citato loco, ponit Galenus, quæ manus tangentium inficit. Tertiam, ob facultatem abſtergentem, quam ab ortu habet, mundandis veſtibus, vt Creta Fullonica, in vſu eſſe notat: In delicijs CALCEOLARIIS, & Capræ ſigno notata extat, nec non è proprio loco effoſſa, expurgata tamen, viſitur, quæ rutilum colorem adeò viuaciſſimè imitatur, vt Rubricam Synopicam eſſe dices; quam cum Plinius Minio proximam fecerit, non malè eſt actum: Hanc Conradus Geſnerus, pro verâ Lemniâ à FRANCISCO CALCEOLARIO Seniore, Viro ſummè induſtrio, accepiſſe fatetur: Hæc ſimiliter vt probatiſſima, & quæ illas habet conditiones à Dioſcoride, & Galeno, vt ſceleĉtiſſimæ, & non adulteratæ attributas, in compoſitione Andromaceæ Theriacæ, & Mithridaticæ confectionis, quæ præſtantiſſima Antidota ſummâ cum laude non ſemel tantum CALCEOLARIVS noſter publicè Veronæ eſt elaboratus, à Cl. Medicorum Veronenſium COLLEGIO, (in quo Viri, ob virtutis meritum omni laude digniſſimi, elucent) cùm ab vnguibus dignoſcatur Leo, ſingulis annuentibus admittitur: munda namque, & ideò laudatiſſima viſitur hæc terra, aliquantulum tenacitatis, & lubricitatis ob pinguitudinem ſpirat, ita vt & linguæ adhæreat, guſtu non mordaci eſt dotata, quod ſi aquâ reſoluitur, ſimilis fit molli ceræ. Vndè non immeritò ob admirandas virtutes, quibus in re medicâ valet, apud Medicos celeberrima, & inter nobiliſſima alexipharmaca eſt connumerata. Sanguinis ex vtero profluuia, & fluxum muliebrem compeſcere, vlceribus prauis auxiliari, ac ad eadem contumacia, nec non ad venena valere, rabientiſque canis morſum curare

Lib. 35. c. 6

Lib. de finis lapid. cap. 6

Loc. cit.

9. de simpl. med. facult. & 1. de comp. med. s. l. c. 8.

rare notat Galenus. Hoc etiam vnum de huius terræ pręstantiâ, & nobilitate ex Scaligero non silebo. *Certâ vi secundarum qualitatum, quæ videntur conferre tamquàm instrumenta Ideæ suæ, terram hanc in venenum agere, etenim adstrictione suâ videtur se se inter venenum, & cor interponere, præterquàm quod duas illas profert facultates, altera est, quâ petit cor, altera quæ tuetur certo, non fortuito auxilio.* Hęc doctissimus Scaliger: vnde & febribus pestilentialibus, ob eiusdem facultatem alexiteriam, præsto esse patet: an verò, vt apud nonnullos huius sœculi Medicos inualuit vsus, in omnibus ferè febribus, etiam non pestilentibus, possit absque noxâ adhiberi, licet cum ratione suspicari, ob eius namque crassam substantiam, frigidum, & siccum temperamentum, cum partibus intimis possit adhęrere, nocumentum potius, quàm iuuamentum afferre valebit, augendo nimirum obstructionem, & putredinem: Præter Rubricam illam Lemniam (quod etiam à Petro Bellonio in suis obseruationibus de Lemno Insulâ est scriptis traditum) varia terrarum genera eò loci eruuntur, nec mirum si in tot sęculis in parua illa spelunca diminutus, ne dicam penè absumptus, Rubricæ Lemnię sit prouentus, aliud verò terrę genus in colore, huic dissimile, subsit; in Italiam namque terrę ex hâc Insulâ transferuntur, quę & rudes, nec non elaboratę cinereum seruant, & pariter carneum spirant colorem, quę singulę diuersis characteribus Turcicis notatę, (fortasse quia, cum ei rei diuersi Magnates pro tempore pręesse soleant, diuersis ideo signis imprimantur) sub nomine Terrę sigillatę, aut Bysantinę, diuenduntur; pręstantissima & hæc contra venena antidota, quorum omnium apud CALCEOLARIVM non parca est messis: singulis hisce terris, & id genus alijs quàm plurimus Illustrissimus NICOLAVS BARBADICO, Patritius Venetus, ob insignem beneuolentiam, quâ FRANCISCVM CALCEOLARIVM Seniorem prosequebatur, illum humanissimè cohonestare non est dedignatus, quas acceptas, vt quid rarum, & eximium, referebat à quodam magni nominis Basfà Turcio, dum mandato

Exerc. 33. cõtra Cardan. disput. 2.

Lib. 1. c. 24.

dato

dato Augustissimæ, & Inuictissimæ Reipublicæ Venetæ, cui felicia omnia, & prospera succedant, vt auguror; & Deo fauente, ac Beatissimo MARCO Tutano spero, oratoris munus apud Turcarum Imperatorem summa cum dignitate, & laude obiret.

Nec silebo, Vasa illa, numero multiplicia, quæ ex terris hisce arte plasticeâ ita peregregiè sunt elaborata, ac si Dybutadis, aut Rhoeci, Theodorive peritissimis manibus essent constructa, singula enim hæc omnia quòquò te vertas, & per Musæum oculos diriges, de colorum amœnitate, & formæ præstantiâ inuicem decertare dices, quod vnũ Calceolariæ solertiæ, ac in rebus peregrinis comparandis indefessæ diligentiæ attribuendum venit.

Etsi dum Bolos in terrarum classe recenserem, Boli Lutei Galeni sit facta mentio, adeò vt superfluum videri posset, quippiam rursus de illo in medium afferre, attamen cum huius vires non fuerint explicatæ, placet denuò, diffusiore calamo rem hanc tractare. Et quamuis apud nonnullos doctissimos etiam Viros, inuaserit opinio; Terram illam, quam Galenus, durante illâ immani, & graui peste, cuius facies eadem fuit, vt eius, quæ Thucididis memoriâ grassabatur, ex Armeniæ eâ parte, quæ Cappadociæ contermina est, sibi delatam scribit, & quæ ab eodem magnopere commendatur, aut ignotam, aut certè ambiguam esse, & ideo illius vsum suspectum haberi: nec fortasse id præter rationem, cum sęculo hoc nostro (à quâ regione transportatus, nondum compertum habeo) per manus hominum diuulgari cœperit Bolus quidam pallidus, substanriæ prædensæ, eisdemmet condictionibus refertus, quæ Bolo Armenio à Galeno attribuuntur: nihilominus scias volo, terram hanc, ex proprio Armenio sinu delatam, apud CALCEOLARIVM reperiri (vt & Bolum illum diuulgatum pariter habet.) Gleba est enim, quæ iuxta Galeni mentem, colorem habet pallidum, (miror tamen, quomodo Auicennas terram hanc lutum rubeum, ad cinereum declinans dixerit, nisi fortè quid aliquid intelligere voluerit) densior pręterea

9. de simpl. medic. facult.

Loc. cit. Lib. 2. trac. 2 cap. 413.

est, & grauior Asteri Samio, ob id minus hoc aërea, promptissimè Calcis modo in leuorem soluitur, nec in hac, quia mollissima, arenosum quippiam cum asperitate apparet. Facultatem huic inesse tradit summè dessiccantem, & consolidantem, quæ & si innatâ qualitate in illâ eluceat, vim, etiam refrigerandi, quod terræ simplicioris est proprium, illi inesse dicendum est, vt in terrâ Samiâ, & Lemniâ; quæ omnes frigidæ sunt, vt superiùs est annotatum, siccant valdè, & à quacumque asperitate arenosâ sunt liberæ, sed facillimè in tenuem succum soluuntur, vt non immeritò cum latè diffundi possint, & solidas partes adhærendo, easdem, à quacumque malitiâ tueri, prauasque humiditates illarum viscositate (linguæ namque appositæ hærent) absorbere, aduersus venena, & morbos à venenatâ qualitate emanantes, præstantissimæ prædicentur. Idcirco Galenus de terrâ hac Armeniâ agens, ad Dysenterias, & Ventris profluuia, ad sanguinis expuitiones, & Catharros, putridisque oris vlceribus in primis illam conferre, notat, ad pulmonum vlcera, & sedis fistulas contrahendas, vt quid singulare extollit: in peste illâ, quæ Romæ grassabatur, cum vino albo consistentiâ tenui, aut admodum aqueo pro ratione vrgentiæ febris, bibita, vnicum fuisse remedium testatur, cum dixerit, quotquot medicamentum hoc bibêre, celeriter curatos esse, at quibus non profuit, omnes interiêre, scilicet cum nec alio quouis iuuarentur; ex quo colligi potest, ijs duntaxat non fuisse auxilio, qui planè erant incurabiles, & qui curari possunt, omnes hoc medicamento liberentur. Gleba Armeniaca à Paulo Ægineta, & Aëtio nominatur, & rectius quàm lapis Armenus, vt alij, quos deridêre videtur Galenus, & si enim, ob consistentiam, lapidis potius, quàm Glebæ faciem præseferre videatur, attamen terra potius est, quàm lapis, quia facillimè soluitur, & ex eodem Galeno, humidis rigari, patitur.

Loc. cit. (margin, beside "râ hac Armeniâ agens")

Loc. cit. (margin, beside "pidis potius")

Sed vt aliquid etiam de lapide Armenio dicatur, cùm & ipse ex Armeniâ asportatus, in hoc terrarum horreolo asseruetur. Scias, rem vnam, & eamdem non esse cum terrâ illâ Arme-

Armeniâ, de quâ superiùs, & si lapis & illa à quibusdam dicatur. Hæc enim ex Galeni mente, pallidi est coloris: illi verò, ex Dioscoride, & Auicenna, color cæruleus tribuitur: Mesues meliorem esse scribit, qui habet colorem medium, inter viridem, & obscurum terreum, & Indum, & qui habet macularum distinctiones virides, & nigras, & qui non est lapidosus, sed facilis dissolutionis in pulueren, quíve est tactu leuis, asperitate carens. Plinius noster Chrysocollæ modo infectum facit, optimumque esse dicit, qui maximè viret, communicato colore cum cæruleo. Glæbę Armeniacę facultatem valdè desiccantem dat Galenus, mollissimamque statuit absque vllâ asperitate arenosâ. Lapidi Armeniaco facultatem inesse scribit resolutiuam, & abstergentem, dicens, extergere cum paucâ acredine, & minimâ Stypsi, & ideo ocularibus misceri facultatibus, & per se ad pollinis læuorem redacto, vtitur sicco ad pilorum in palpebris incrementum. Vndè, & ratione coloris, & ob insitam potentiam, alius à terrâ Armeniâ est censendus: Cæterum vt aliquid etiam de hâc colorum controuersia dicatur, quæ huic lapidi diuersimodè tribui videtur, ratione cuius à multis est dubitatum, an legitimus habeatur, crediderim, hosce Auctores in eumdem scopum suas intentiones direxisse. Et si enim Dioscorides illum præferat, qui coloris est cærulei; videtur tamen quoquomodo innuere, viridem esse, cum eumdem coniungat cum Chrysocolla, etiam viribus, & si in efficacioribus: Et color ille Indus, quem Mesues illi tradit, Cæruleum significare, apertè nobis demonstrat Plinius, cum dicat: Indicum inter pigmenta esse, quod diluendo misturam purpuræ, cæruleique mirabilem reddit. Cum ergò ex prænarratis, hic lapis ex Chrysocollâ, & cæruleo constet, quibus vis purgandi inest, quãuis Chrysocolla periculosior sit, cum ex Ære ortum ducat, & ad æruginem, accedat: nil mirum, si præter facultates, à Galeno illi attributas; Ex Alexandro Tralliano, virtus huic impendatur, dummodo tamen, iuxta eius doctrinam, benè sit ablutus, & in catapotiâ eius modo reformatus, solutione

Lib.5.c.65
Lib. 2. tract. 2. cap. 410.
Lib.35.c.6
Loc. cit.
9. simpl. med.
Loc. cit.
Loc. cit.
Lib. 1. cap. de melancholia.

tione educendi coleram nigram, & veratro albo præferat. Aëtius quoque purgare atram bilem, & quicquid crassum, & tenax commixtum sanguini est, dicit: & Actuarius inter recentiores Græcos huius vires deiectorias optimè nouit. extant & apud Mesuem pillulæ de lapide Armenio.

Lib. 2. c. 47

Libello de cõposit. medic.

Cernere quoque est & in Musæo lapillos quosdam, ex Argenti fodinis compluribus in Germaniæ locis erutos, superiori congeneres dices: quorum alij colorem habent viridem ad cœruleum inclinantem; in quibusdam maculæ apparent in viridi nigricantes: in alijs vincit cœruleum, quales præferre videtur Dioscorides: quidam alij sunt maximè virides, & ex ijs (vt pictoribus magis expetiti) pigmentum illud Armenium paratur: quod vulgò vocat *Verde Azurro*, ac si diceres, viride cœruleum. Omnes tamen hi lapilli colorem Chrysocollæ referunt, sed duricie præcellunt: quibus illam eamdem vim deiectoriam inesse crediderim (modo tamen congruâ abluitione sint præparati) quam Trallianus miris laudibus ad debellandas omnes passiones ab humore nigro, & melancholico ortas, Armeniaco lapidi elargitur.

Loc. cit.

Hisce terris, ingratus sciem, ni illud genus Terræ connecterem, quâ, ex Iluâ Insulâ maris Tyrrheni in glebas formatâ, sub nomine Terræ Iluanæ, aut Boli candidi, & sigillo Magni Ducis Hetruriæ notata, nedum Italia, sed Germania, & Gallia gaudet, cum superioribus, nedum ijsdem notis, sed & ipsismet viribus æquanda veniat: Terra est namque candidissima, mollissima, & leuissima, tangentium manus nequaquam inficiens: tactu linguæ, & hæc vehementer adhæret: dentibus confricata, succosam admodum se planè facit: vt terram Samiam esse, meritò fateri possit: Testor Deum, me felicissimo euentu hâc terrâ in dies vti: præstantissimumque esse remedium aduersus febres illas, quæ ex venenatâ qualitate in humoribus existente, ortum trahunt, quotidianâ experientiâ comprobo. Qudi dicam de mirabili huius vi, cum succo limonis mistæ, in vermibus

bus puerorum deſtruendis, ac compeſcendis cruciatibus, & angoribus illis, quibus hi ob talia animalcula, adeò vehementer affligi ſolent, vt ſæpè ſæpius cum maximis parentum eiulatibus, miſerculi infantes ad mortem perducuntur? nec omittam, terram hanc adprimè obuiam fieri motibus illis conuulſiuis, quibus non raro pueri tentantur, ob lapſum alicuius materiæ, malâ quadam qualitate imbibitæ, ad partes neruoſas: vti etiam ob facultatem adſtringentem, refrigerantem, & exſiccantem ei à naturâ elargitam, ſanguinem, à quacumque parte fluentem mirifiè compeſcit.

Sicuti verò ex Lemno Inſulâ terræ ad nos tranſportantur varijs coloribus inſignitæ, quæ tamen non diuersâ ſpecificâ qualitate, ſed vniformi, in corpora noſtra agunt: pariter & Ilua Inſula varia in colore terrarum genera dat, ad vſum tamen medicum accommodata, vt præter prænarratam, ſeruatur & coloris in pallido flaueſcentis, maculis quibuſdam rubris, ſed paruulis conſperſa, fortaſſe quia hoc genus terræ in metallis ferri, quo loci & Rubrica ſuas habet ſedes, reperiatur: eodemmet ſigno Magni Ducis inſculpta.

Terra & alia Iluana viſitur, quam ob ſaturum colorem rubrũ, Iecori ſimilem, Rubricam Lemniam eſſe dices, in glebas, & hæc formata: cumq; vehementer linguæ adhæreat, pinguitudinem illi magnam ineſſe exprimit.

Adeſt præterea, & aliud terræ genus ex hâc Inſulę effoſſum, cuius color albus ad cinericium vergit: pulueruIenta, & raritatis particeps eſt hæc terra, nec non molliſſima, & ita lubrica, vt tangentium manus veluti perungat: Hâc, ob abſterſiuam facultatem, Inſulani Saponis loco vtuntur. & quæ etiam terræ Chiæ vices ſubire poteſt.

Scias autem in Muſæo lapidem quemdam reperiri, eodem loco erutum (ſed fortaſſe rectiùs) conſiſtentiam quamdam lapideam Samio lapidi, colore, & duritiâ haud abſimilem, quæ non ſecus ac hic, ob tenacitatem, ab innatâ pinguitudine emanantem, linguæ oblata adhæret: Hanc ſub quintâ illâ calamitæ candidæ ſpecie ſi reponas, de quâ Plinius *Lib. 36. c. 16* in

in Magnesiâ Asiæ candidam, sed deterrimam, cùm neque ferrum attrahat, reperiri scribit, præter rem non crediderim: Habeas (quod tamen iocosè, & ridiculè dictum intelligo) quæ nam apud nonnullos de hâc consistentiâ Iluanâ, quam & calamitam albam vocant, non sine Dei offensa, inualuerit opinio: putant hi, sic à veneficis persuasi, & superstitiosissimæ huius credulitatis vitio, pro expillandâ solummodo pecuniâ, obumbrati (ac si sint lumine intellectus destituti) in re amatoriâ huius contactu carnes exoptatas ad se ipsos allicere posse, existimantes, illi eamdemmet in hâc luxuriæ obscœnitate inesse vim, quam in Magnete lapide admiramur, in ferro ad sui contactum attrahendo: O vanissima insania: ò deridendum hominum genus; caueant ab irâ Dei: & quò illorum anima, fauente Diuinâ aurâ, per pelagum hoc mundanum tutò nauigare valeat, hanc dimittant vanitatem: nè credentes, magicâ, & pestiferâ arte in luxu venereo sui voti compotes fieri, à Serpente antiquo, peccati veneno occisi (est enim Diabolus vera illarum animarum calamita, in quibus malitia peccati pertinaciter regnat (in Barathrum trahantur: & suæ calamitæ, vel calamitati iuncti; & colligati, iuxta illud Iobi. In profundissimum infernum descendant.

Cap. 17.

Terra Lilia: ex Lilio Insulâ, quæ non longè ab Iluâ distat, benignitate Serenissimi Magni Ducis ad nos transferri solita: cui etiam ob probitatis, & præstantiæ testimonium, quæúe nullam fraudem admistam habeat, illudmet signum est impressum, quod & superiores terræ insculptum habent: huius color magis dilutus, quàm in Synope conspicitur, qui tamen ad luteum tendit: validissimum & hæc aduersus venena, & febres pestilentiales alexipharmacum.

Terra Eretria: cuius prouentus ab Oppido Eretria dicto, Insulæ Euboeæ in Mari Ægeo habetur, & si non ita copiosus, vt apud Antiquos, esse consueuit: quamuis autẽ reperiantur Viri, qui scriptis mandarint, eius vsum iam desijsse. Vtrâque tamen gaudet CALCEOLARIVS, albâ nimirum, & cinericeâ; & hęc quę est modicè pinguis, mollissima, &

super

super ęs attrita, colorem illum violaceum reddit, ob quem, *Lib.35.c.16*
vt bonitatis signum, à Plinio, & Medicorum scholâ candidę præfertur: cùm hæc ex eodemmet Auctore pictoribus *Lib.35.c.6*
magis, quàm Medicis sit in vsu. Addens, Nicomachum, & Parasium, qui pingendi arte pollebant, illâ esse vsos. (fortè huius naturam participare videtur Cerusa, quæ & Pictorum vsui inseruit.) Miror autem, quomodo Dioscorides, huius terrę differentias recensens, in vehementer albam, & cinericiam diuidat: Galenus verò dicat, Terram Eretriam esse rubicundam: eaque optima, quæ sine sabulo est, & sine lapillis: cui vires valdè adstringentes, & terrâ Samiâ efficaciores, attribuit; alibi autem hanc eamdem terram (non valdè) sed simpliciter astringentem habere virtutem, scribit. vndè suspectus mihi videtur locus ille ad Paternianum, qui cùm Galeno sit attributus, mendum esse in textu crediderim: nec verba illa ex ore Galenico prolata, dixerim: sibi namque euidentissimè contradiceret. nec non Dioscoridi, & alijs auctoribus, qui terræ huius colores, & naturam descripsere, aduersaretur. Eius ergò vis erit adstringendi, emolliendi, & molliter refrigerandi, cum exsiccatione quappiam: Vnde, ex Dioscoride, vlcera praua replere valet, & recentia vulnera glutinat: Galenus quoque inter medicamenta illa enumerat, quæ vlcera exsiccare valent: vndè efficatiorem Lemniâ asserit in exsiccando sine morsu, & si lauetur, mitiorem reddi.

Lib.5.c.28 *Lib. de simpl. medic.* *9. de simpl. med. facult.* *Loc. cit.* *4. de compon. med. per gen. cap. 1.*

Celeberrima, & vbique illustris fuit olim Insula illa Maris Ægei: Chios nomine; tùm ob eximiam Chiorum castitatem: legitur namque in Gręcorum monumentis (referente Rhodigino) maximum temperantię muliebris argumentum prodijsse ex Chio, quoniam neque adulterium, neque illegitimum concubitum ibi ferè vnquam accidisse memoriæ proditum est: tùm ob vuarum, & vinorum memorandam excellentiam, Aruisia dicta; Imperatorum, & primorum Virorum mensis admodum expetita: de quibus Plinius: nec non ob splendidissima illa marmora versicoloribus maculis vbique clara: & ob elegans illud, excelsumque templum,

Lect. antiq. lib. 13. cap. 7 *Lib. 14. c. 7.*

R Apol-

Memorab. Mundi c:19

Apollini dicatum: vt ommittam Insulam hanc, referente Solino, Homeri tumulo cęteris antecellere. Sed vigent etiam nunc hâc in Insulâ illa nobilitatis, & splendoris vestigia: abundat namque prętiosissimis vinis, quæ de bonitate, & gustanti fragrantiâ cum Homericis illis, à Plinio inter generosissima enumeratis, meritò ęquari possunt. ibi quęcumque vitę humanę necessaria fœcundissimo telluris successu copiosissimè reperiuntur. Fructuum cuiusuis generis laudatissimus est prouentus; formosissimo gloriatur fœmineo sexu: sed quod magis illam splendidiorem reddit, est & Resina illa lentiscina, sub masticis nomine per omnes Orbis partes, vt scelectissima, & pręstantissima venalis transportata: Nec non terra illa, cui Patrię Chię nomen fecit: quam vt laudatissimam, inter alias terras medicamentosas, seruat CALCEOLARIVS: Candida est, ad cinereum vergens, vt illa, quam Dioscorides pro optimâ eligi debere scribit, & Samię similem facit: ac vim illi eamdem esse, quę & in Samiâ, affirmat: addens, faciem extendere, & erugare, eamque splendidam reddere, colorem in facie, corpore toto commendare, & in balneis pro nitro detergere: ex quibus colligitur, nitrosam quamdam habere qualitatem: cui subscribit Galenus, dicens, Terram Chiam esse albam, & latam, non valdè candidam: efficaciter stringere, sed cutem purgare, & extenuare, splendidamque facere: Et alibi: *Terra Chia abstersoriam facultatem moderatam obtinet: quamobrem mulieres quædam ad faciem hâc vtuntur; plurimum ad ambusta vlcera valere notat, leuiter enim abstergendo, producendæ vlcerum carni est idonea: exposcunt enim hæc extergentia medicamina absque insigni aut calefactione, aut refrigeratione.* Hęc ex Galeno.

Loc. cit.

Lib. 5. c. 81

Lib. de simpl. medic.

9. de simpl. medic. facult.

Quoniam verò Terra illa, quę ex Selinunte Oppido Cicilię, Selinusię nomen inuenit, eisdem pręstare viribus, quibus & Chia, à Dioscoride, & Galeno est traditum: ob id ne eumdem lapidem reuoluere videar, admonitum Lectorem volo, siquid de huius terrę facultatibus scire appetit, ad pręnarrata de terrâ Chiâ animum vt dirigat: hoc vno contentus:

Lib. 5. c. 132. 9. simpl. med. & lib. de simpl. medicin.

tentus: Terram hanc, quia optima, esse candidam, maximè splendêre, friabilem esse, & quæ celerrimè admodum mutatur in succum, si quando humorem combiberit. Ea cœruleo infecta, teste Vitruuio, Indici imitatur colorem, qui cœruleo, ex Plinio, proximus est: Eadem, vt hic Auctor scribit, tectoriorum albaria interpollantur; non secus, ac hisce temporibus ad maiorem spectantium gratiam, & decorem, purissimâ, & candidissimâ calce dilutâ, ad parietum dealbationes Cęmentarij vtuntur: & si Galenus: ex Archigenis sententiâ, Eretriam ad denigrandos capillos valere dicat.

Lib.53.c.6. *Cap.16.* *1. de comp. med. s. l. c. 1.*

Cimolia Terra à Cimolo Insulâ Maris Ægęi, sic nuncupata, quò loci optima aduehitur; vnde Ouidius, *lib. 7. metam.*

Hinc humilem Myconem, cretosaq; rura Cimoli.

Modicè est pinguis, rara, & mollis, in candido ad purpureum inclinans, cui nihil arenosum subest: huius vsus, quamuis etiam ad vestes accõmodandas inseruiat, adeò vt (referente Plinio) veros, & pretiosos colores emolliat hæc terra, & quodam nitore exhilaret contristatos sulphure, nihilominùs & in re medicà suas habet vires, de quibus eumdem Plinium legas: & Galenus quoque facultatem astringentem; & modicè acrem huic attribuit: dicit namque, eam partim refrigerare, partim, quæ coierunt, leuiter digerere; & hoc vtrâque facultate agere, non secus ac plurima medicamenta, quæ digerunt, & reprimunt; est autem paulo efficacior, vt idem notat; quàm vel Chia, vel Selinusia: non tamen mordet: sed quia magis, quàm illa abstergit ideò Fullonibus etiam congrua: illinitâ ad ignem sacrum, & ambustâ, siue refrigerantibus, & repercutientibus, seu digerentibus misceatur, conferre scribit. pustulas enim fieri prohibet: Ad deffluos capillos, cum aliarum rerum miscellâ in pastillos formata, ex Cheopatrâ in libro de ornatu, conuenire scribit: capitis quoque vlcera illa, quæ Achores dicuntur, dissipare notat: cuius etiam terræ mentionem facit hic Auctor; dum Symptomatum causas recenset, quæ ventriculo eueniunt, de Picæ, seu Malaciæ

Lib. 35. c. 17 *Loc. cit.* *9. simpl. medic. facult.* *Loc. cit.* *Loc. cit. lib. de simpl. medic.* *1. de comp. med. s. l. c. 2.* *Loc. cit. c. 8.* *1. de simpt. caus. cap. 7.*

morbo agit, quæ ex corruptis, vitiatisq; humoribus ostium ventriculi occupantibus (in quo, omnium medicorum consensu appetitionis sensus est) originem habet: asserens, grauidis etiam hoc morbi genus incidere, appetentes modo acida, maximeque acerba, aliquando verò acria, sicut nonnunquã vel terram Cimoliam, vel testas, vel carbones, &c. Et ego nuperrimè Nobilem quamdam mulierem curaui, quæ vtero gerens, & cõmunem ciborum vsum omnimodè abhorrens, in inordinatum, deprauatumq; hunc appetitũ adeò impensè decidit, vt nisi per aliquot dies picis liquidæ portio (& si pauca) primo cibo exhiberetur, nullo alio cibi genere nutriri poterat: vbi verò illam assumpsisset, alebatur etiam aliquo alio cibo, & si in paucâ quantitate; sed hæc obiter.

Terram illam in Musæo custodiri, non ausim proponere, quam Pnignitem Galenus vocat: quod ex Pnigeo vico Libiæ Mareotidis nomen duxerit; non enim (vt ingenuè fatear) ex eô loco est asportata, huic tamen in colore, sapore, & qualitatibus parem ante oculos tibi subijcio; quam olim ex quibusdam Abrutij montibus effossam, FRANCISCVS CALCEOLARIVS Iunior acceptam habuit à quodam Reu. Monacho Ordinis Diui FRANCISCI de Paula: est enim in colore nigro Ampeliti similis; & si Dioscorides, *Lib.5.c.134* quam Pignitem vocat, & Plinius Eretriadi, cineream *Lib.31.c.16* intelligentes, simillimam faciant: est pinguis; vnde Galenus non minùs glutinosam esse asserit, quam Samia, imo nonnumquam glutinosiorem facit; linguæ adeò tenaciter, & fixa adhæret, vt illi appensa maneat; spissa est, & tangentium manus refrigerare videtur; mollis preterea ob pinguitudinem apparet; pro quibus notis eãdem dixerim cum Pnignite, de qua Diosc. & Galenus; qui totâ facultate Cimoliæ *Loc. cit.* assimilem constituunt, in refrigerando scilicet, & partim digerendo.

9 simpl.med. facult. Terra illa similiter describenda succedit, quam Galenus, quod aquâ irrigata, facilè in lutum soluatur, Terram appellari dicit: Ampelitidis verò nomen sibi adeptum testatur, non

quod vitem in eâ ſerere præſtet, ſed quia ætate nedum ſuâ, verum & apud Antiquos illiniendis vitibus frequens huius eſſet vſus, pro enecandis vermibus illis oculos vitium in primâ germinatione erodentibus, quos vinatores illi Senipas cognominabant; & Hermolaus Voluces, & conuoluulos appellari tradit: fortaſsè illud Verucarum genus, vitibus infeſtiſſimum, quod ex floſculorum vitium circumroſione, & ſuccisione bacchicam ſegetem afficiunt, ac eamdem infeſtiſſimè tractans, diminutam reddit; noſtratesque ruſtici vulgato idiomate *Zurlas* vocant: qui quidem vſum Antiquorum ſeruantes, vitium gemmas non hâc terrâ, ſed aut calce, aut viſco illiniunt. Quia verò vt & veluti alijs medicamentis hâc vtebantur Medici, & præ cæteris terris efficacem habeat vim medendi (& ſi nomen hoc medicatis omnibus terris commune ſit) Pharmacitem, ideſt, medicaminoſam vocari tradit: niſi dicere etiam vellis, hoc nomine poſſe honeſtari; quod cum inter terras bituminoſas meritò veniat enumeranda, præ qualitate ſucci adepti: odorem ſpiret medicatum: Vndè Plinius Bitumini ſimillimam facit: experimentum eius, ſi ceræ modo accepto oleo liqueſcat; vt natura eſt omnium bituminum; quia pinguia, & in totâ illorum temperatione ineſt aër, & ignis, nedum facilè accenduntur, ſed facilè etiam igni liqueſcunt.

Corolario in Dioſcor. cap. 1016.

Terra hæc (vt optima à Dioſcoride, & Galeno laudata) nigerrima eſt, piceæ longos carbones referens. ex quo Theophraſtus Carbones (non certè illos foſſiles, vt aliqui autumant) appellat, quòd ei color ſit, qui carbonibus, quòd æquè ac illi igneſcat, atque ardeat, & quod vſum præbeat eumdem: modicè eſt aſſuloſa, & æqualiter ſplendet. Vim huic ineſſe ſiccandi, & digerendi ex Galeni verbis habetur; cum dicat, *Terra ampelitis ſiccat, & digerit, nihil manifeſtò acre continens, propterea malignis vlceribus idonea eſt, & ſi ſola per ſe trita imponatur:* quod ſi etiam illi vim diſcutiendi, & refrigerandi attribues incongruum non erit: tranſportata, vt melior, ex Vmbriâ regione Italiæ inter Appenninum, & mare Adriaticum, venditur tunc temporis

Lib.5.c.138
2.de antidot. cap. 15.
2. de comp. med. per genera cap. 4. & lib. ſimpl. medic.
5.à cōp.med. per gen.c.2. & 4.eiuſdē cap. 1.

poris sub nomine Terræ nigræ, & in vsu apud pictores habetur.

Terra ex Melitâ Insulâ effossa; ex specu nimirum illo, quo loci Diuum PAVLVM CHRISTO adiunctum, vitam purissimam, austerissimam, & sanctissimam traduxisse, dicitur: quæ cum tactu sit aspero (quia rudis, & non elaborata) color albus, ad cinereum vergens in illâ vigeat, ad Meliam terram, à Dioscoride notatam, quam Melinum Plinius vocat, reduci posse videtur: seruat & CALCEOLARIVS elaboratam, lotione nimirum parte tenuissimâ, vt perfectâ magis, à terrestri, & crassiore, vt impurâ, labeque infectâ, separatâ, atque hâc collectâ in pastillas redactâ: quæ candidissima est, non tactu aspero, sed molli, & leui, nec non quolibet morsu caret; vt ob eius tenuissimas partes, magis sit apta in pœnitiores corporis humani partes penetrare, ideò non secùs ac aliæ terræ medicatæ, præcipuè verò Terra Samia, Lemnia, Bolus Armenius, & inter tunc temporis vsitatas, Terra Iluana: pro sistendâ putredine in venis, ne ita facillimè Cor ipsum inuadat, inficiatque, in febribus pestilentialibus singularissimum, præstantissimumque erit remedium: vti etiam quia facultate frigidâ cum siccitate, & quapiam glutinositate, mista (linguæ namque, & hæc admota, adhæret) sit insignita, ad sanguinis eiectationes summè confert. Serpentium morsionibus virulentis, nec non cane rabido demorsis, infantibus quoque vermicatione oppressis mirabiliter succurrit: præ quâ potentiâ, Diuo Paulo Insulæ Tutano honos, & gloria attribuenda est, qui terræ huic, tantam vim impetrauit: vndè & Gratia Diui Pauli vocatur.

Lib. 5. c. 137

Nec videtur subticenda commemoratio Terræ illius, in colore Glebæ Armeniacæ à Galeno descriptæ, vti & viribus quoque haud absimilis, quam Cl. vir Petrus Antonius Ronchatus Ciuis Veronensis, Eques, & Serenissimi, ac Reuerendissimi CAROLI Archiducis Austriæ, &c. Magni Prussiæ Administratoris, & Episcopi Prixinensis, & Vvratislauiensis, &c. Consiliarius, & Medicus cubicularius, vt terrâ

9. de simpl. med. facult.

ob

ob insignes facultates, quibus in re medicâ pollet; præsertim aduersus morbos venenatos: per vniuersam Germaniam maximi nominis, & in summo cultu habitam, nuperrimè ad nos humanissimè misit. Hæc est illa terra è regione Slesianâ, quæ effoditur ex quodam monte, cuius color, dum Bolos enumerarem, est expressus, facultates autem, quas sibi à naturâ est acquisita Samiæ, Lemniæ, & Armeniæ terris non inferiores faciunt, qui in auxilijs medicis præstandis, illâ in dies vtuntur. Lubet autem commemorare, quæ per literas conterraneus hic noster mihi significauit. flumen vndique hâc terrâ in eius fundo plenum per Striconium Ciuitatem præterlabi, vndè ei nomen Terræ Sigillatæ Striconiæ videtur impositum: ob quam vti etiam ob singularem, salutaremque illam Ceruisiam, gustui gratissimam, & in colore, vino fuluo æquandam, quæ ex hâc aquâ paratur, celebris vbique locorum est hæc Vrbs, dices namque hoc potationis genus bonitate, & præstantiâ cum terrâ illâ medicatâ decertare: ægrotantibus fœlicissimo euentu, præcipuè verò Tertianâ febre correptis, nec inuitis Medicis ad libitum exhibetur.

Terra, seu Gleba Alana, à regione illâ Alanâ, quæ nunc Valachia dicitur, nomen adepta, quòd huius terræ maximus sit eô loci prouentus: subdura est, intùs nitens, extrinsecùs in colore cinereo, & pallido aspera. Hanc Paulus Ægineta viribus in validissime exsiccando assimilem facit Terræ Armeniæ, & si eius notam minimè tradat: quoniam verò hodie artifices terrâ hac, quam Tripulim vocant, pro auro, & argento polliendo vti solent, creticam illam terram esse crediderim, aut certè illi parem, quam Galenus quodam modo assimilem facit, Chiæ, Samiæ, & Selenusiæ terris, & cui inesse dicit vim extergendi, vt hac homines vasis argenteis sordidis splendorem recuperent. *9. de simpl. med. facult.*

Non est autem in terris hisce contemplandis sistendus gradus, sed vlteriùs gressus sunt mouendi; extant namque in Musæo & alia terrarum genera, in rem medicam, & alios vsus accommodata: Terram videbis fossilem ex Collibus Beatæ *Terra Modeuica.*

Virg.

Virginis Montis Vessuli, non longè à Vici ditione, erutam. dices Rhabarbarum in colore æmulari. in hac enim vti in vnum corpus, violaceum, flauum, & album colores in mistione conspirasse clarè dignoscitur, quæ cum venenis, & febribus ab humorum prauâ qualitate ortis proprietate innatâ aduersetur, Bezahar ille fossilis Antiquorum nominari non incongruè poterit: Est & alia terra eodem loco effossa, mollis, & friabilis, linguæ adhærens, & in colore candicans: Vt & alia coloris albi, quæ tamen maculis purpureis vndique conspersa cernitur, consistentiæ raræ, siccam, & friabilem se commostrans, ita vt digitis tractata, quàm facillimè in puluerem reducitur, linguæ, & hæc adhæret. Seruatur & Iuliacensis terra pinguis mollis, & coloris subfusci, nec non hæc eadem in Bolos formata, ex luteo colore ad quamdam albedinem accedens: bezaharticâ & hæc insignita virtute: attendere etiam datur Terram quamdam non ita cuiuis notam (rara namque est) in colore candidam, cui tamen quicpiam cinerei coloris admistum est: ex Galatiâ Regione citerioris Hispaniæ in opiparum hoc Musæum demandatam: Rusmam vocant Incolæ; quâ in puluerem redacta, & aquâ perfusâ pro Spilothro vtuntur mulieres illius Regionis ad detergenda vitia cutis in facie existentia, vt caro glabra, leuis, nitidaúe reddatur. extergendi namque vim habere, cum adstrictione quadam, gustanti patet. Terra seruatur Saponaria pinguis, coloris cinerei, tangentium manus veluti vnctuositate quadam inficiens, ex quodam Monte effossa, non longè à Ripa, oppido districtus Tridentini, quà Incolę Saponis loco pro expurgandis pannis vtuntur: Vt & alia terra candida Saponaria ad eluendas vestimentorum maculas apta: ex qua etiam vasa Fauentinis pulchritudine, & bonitate ęquanda, fiunt, ex Agro Vicentino, propè Schium oppidũ. Terra Puteolana lutei coloris, ex quâ Sulphur scatet, & cui Auripigmentum innatum cernitur. Terra pariter Puteolana, cinereo colore Tutiam officinarum ęmulans, quę tamen veluti guttulis eminentibus, & inęqualibus conspersa temporis

Terra Iuliacensis.

Terra Rusma

Terra Saponaria Ripẽsis

Terra Saponaria Schia.

Terræ Puteolanæ.

tractu

tractu in lapideam duriciem eſt compacta. Terra cruſtoſa, non Chalchanti expers, in quâ etiam Alumen in miſtione concreuit ex Agro Puteolano. Terra & alia cruſtoſa, in quâ Alumen colore candido, & Myſi aureo colore effloreſcere conſpicitur ex Leucogheis Collibus in agro Campano, inter Neapolim, & Puteolos. *Terra Leucoghea.*

Prænarratis terris; ordinis ratio expoſtulare videtur, vt & terra illa foſſilis ſubiungatur, quæ ob concoctum à calore ſubterraneo humorem, rubentem, & ſanguineo proximum cum habeat colorem, Μίλτος eſt Græcorum, & Rubrica à Latinis nominatur. quæ & ſi anteactis ſæculis, in Cappadocia, Lemno, Africâ, & Balearibus Inſulis optima effoderetur. nihilominùs Sinopis à Dioſcoride ſingulis ijs præfertur: hoc nomine dotata, quia primùm in quibuſdam Cappadociæ ſpeluncis collecta, mox purgata, in Sinopem, Ponti Vrbem, aduecta, eô loci venalis fieret, vnde Celſus Minium Sinopicum vocat: hoc idem affirmare videtur Strabo, inquiens, In Cappadociâ naſci eam, quæ Sinopica Rubrica dicitur, omnium optima, quæ cum Iberiâ decertat: idcirco Sinopica appellatur, quod eam mercatores eô deferebant, priuſquàm Epheſiorum Emporium tàm celebre eſſet: Galenus verò Sinopim optimam eſſe dicit, quæ in Lemno Inſulâ inuenitur, ſubiungens: adhuc optimam dici, cuiuſcumque loci erit, ſi benè fuerit cocta, quæ etiam notæ Sinopicæ, vt maximè probatæ à Dioſcoride attribuuntur, quæ ſit rubicundiſſima, ſpiſſa, & grauis, ſibi tota concolor (quia in concretione non ex pluribus ſimilibus partibus, ſed ex ſingulis conſtet, ita vt vnaquæque pars Rubricæ ſit Rubrica) ſine lapillis ſit, & cum diluitur, & ſi ex vnâ tantum micâ paretur, plurimum humoris in ſimilitudinem ſanguinis diffundat: Plinius Sinopicæ tres videtur conſtituere differentias. Rubram, minus rubentem, & inter has mediam, quæ præfertur omnibus, quia minus adulteraretur, & ob id ἀντάρκην eam vocari, Theophraſtus prodidit, quaſi dicas ſuâ bonitate contentam, nec cum quappiam aliâ re miſtam: quam vero ſeruat CALCEOLARIVS *Lib.5.c.71* *Geograph. lib.12.* *Lib.de ſimpl. medic.* *Lib.35.c.7*

non ad officia materialia obeunda, sed præcipuè ad auxilia medica præstanda, ex Ponticâ Regione transmissam, non crediderim, cum illius vsum iam defecisse constet (& si non desint Viri, qui scriptis attestentur, legitimam Rubricam Sinopicam apud illos exstare, (quibus, vt in suo abundent sensu, lubens acquiesco) hoc vnum dicam, Terram hanc, non ex Germaniæ fodinis esse, nec minus ex Illuâ, Lilióve Insulis, è quibus locis probatissima, atque aduersus venena, & febres pestilentiales laudatissima effoditur, & quà etiam Musæum CALCEOLARIVM abundat; sed ex quo loci Climatis Orientalis sit aduecta, nihil in illâ adulterinum, confictúmve spirare, quinimò easdemmet conditiones habere, quæ à Dioscoride, & Galeno optimæ Rubricæ impenduntur. vt non immeritò & hæc, per excellentiam, Rubrica Sinopica, vel Lemnia nuncupari possit. Vis ex Dioscoride huic inest exsiccandi, obstruendi, & astringendi, ideò Emplastris vulnerarijs, & pustulis, exsiccantibus, & astrictorijs adhiberi notat. aluum sistere, aut in ouo sumptam, clisteribúsve infusam, dicit: & iocinoris vitio laborantibus dari consulit, illis nempè, quos, ob huius visceris imbecillitatem, morbus infestat, etiamsi nullâ adfuerit phlegmone, & in proprijs actionibus debilitatur iecur, ita vt excrementa deijciantur, qualia sunt alui sedimina, loturæ carnis recens mactatę similia: in hunc finem; vt viscus debilitatum præ cæteris hâc terrâ roboretur, & excrementa hæc fluida sistantur. cuius etiam facultatem exsiccantem, & astrictoriam optimè nouit Galenus, qui recolens ab Andromacho ad sanguinis reiectationem præscripta, Sinopicam pro Lemniâ accipi posse scribit.

Loc. cit. *Loc. cit.* *3. de comp. medic. s. loc.*

Rubrica fabrilis, caussa nominis patet, quia hâc, vti etiam subsequenti, Fabri Materarij in aquâ soluta, ac fillo in illâ imbuto pro lineis designandis vtuntur, cuius vsus est etiam apud pictores: Hac Legum Tituli notabantur, vndè Persius.

Satyra 5. *Excepto quod Mansuri Rubrica notauit.*

Et

Et Columella dicit, omnes arbuſculas, prius quàm transferantur, Rubricâ notare, conuenire, vt cùm ſerentur; eaſdem Cœli partes aſpiciant, quas etiam in ſeminario conſpexerant, alioquin frigore, vel calore laborabunt ab ijs partibus, quas præter conſuetudinem ſub alio tractu expoſitas habuerant. Hæc mollis eſt, & friabilis, nec non bolo Iecoris colore officinarum rubicundior, ad omnia tamen Sinopide inferior. quod genus, illi Rubricæ par eſſe poterit, quam Galenus, vt ſuperiùs quoque eſt annotatum, in Lemno Inſulâ effodi memoriæ tradidit, plurimum tamen à Lemniâ Sphragide differre, ſcribens; non enim hæc, vt illa, ob decidiuam materiam tangentium manus ſordeſcunt: huius generis terræ varijs è locis tunc temporis ad nos tranſportantur. vt quæ & molles, friabilesque ſunt, & duræ, hæc Saxum à Georgio Agricolâ (ob duritiem fortaſſe) nuncupata, cui color non ita intensè rubet, & quæ non niſi aquis madefacta, manus inquinat: dices, illam eſſe, quam Plinius minùs rubentem vocat: Ager quoque noſter Veronenſis Rubricam fabrilem, & pictoribus aptam habet in macritudine, & duritie ſaxo ſanè æquandam, quæ tamen, & ſi aquâ non diluatur, manus ſuo colore inficit. *Lib. de arbor. cap. 17.* *Lib. de natura foſs.* *Loc. cit.*

Rubrica non certis locis procreatâ, & indè foſſa, ſed arte elaborata, ex Ochrâ nimirum vſta in Rubricam degenerante, cui color quaſi dilutus cernitur. hęc tamen & Fabris lignarijs, Pictoribus quoque vſu inſeruit.

Terra illa foſſilis, quam Græci ὤχραν dicunt, quòd ex humoris concoctione, & tinctura ſiccitatis medio luteum, croceúmve colorem in propriâ venâ acquiſiuerit, à Plinio, dum pigmenta recenſet, Sil vocatur. Latini aptiſſimè luteam vertere, appellareque potuiſſent, ni vtroque nomine, Græco ſcilicet, & Pliniano illam cohoneſtare maluiſſent: Atticam ſanè non habet CALCEOLARIVS (id namque fateri mendacium ſpiraret) cum illius vſus tempore, quo Vitruuio vitâ frui dabatur, ſic hoc Auctore dictante, iam exoleuerit: nec aliam inter præſtantiſſimas, & probatiſſi- *Lib. 35. c. 6* *Lib. 7. cap. 7.*

mas seruare est in votis, quàm illam, quæ ex Agro nostro Veronensi ę propriâ fodinâ, non procul à Cœnobio Sancti Leonardi extra Vrbis mœnia, quô loci Canonici Regulares Lateranenses summâ cum religione, & gentium applausu, vitam Deo gratissimam agunt, copiosissimè effoditur: hoc autem factum sciat Lector, vt cuiuis innotescere possit, Veronense nostrum Solum, ob Cęli clementiam, res bonitate, & præstantiâ cæteris alijs æquandas, procreare, nec non innumeris rebus, & ijs scelectissimis abundare, quas non ita facilè quamplurimis alijs in locis reperiri datur: Huius terræ duo visuntur genera, Alterum quod ex crustis compactum videtur, & cuius crusta, vt ferri lapidibus annata, ferrugineum æmulatur colorem: Aliud vero, quod & si crustaceum, croceo vndequaque vegetat colore: Vtrumque tamen friabile est, quamuis non nisi difficillimè teri possit (fortè ob lentorem illum à Plumbo, vnde nasci videtur, acquisitum) non lapidosum, & læue est, modiceque astringit: Pictoribus hæc terra non modo est in vsu, vice etenim Auripigmenti, cum nihil in colore ab hoc differat, eâ vtuntur. Sed & in re medicâ suas expandit vires: cum etenim acrimoniâ quadam sit prædita, ita vt gustum commouere soleat, vt plerumque alię terrę, quas multus calor subterraneus adeò exsiccauit, vt adustæ postmodum videantur: de substantiâ pariter metallica igneâ, plumbeâ præsertim participet (reperitur namque ferè semper in plumbi fodinis, ita vt ex plumbi fumo, qui luteus est, ortum trahere videatur:) ob id Dioscorides facultatem huic inesse scribit astringendi, exedendi, dissipandi collectiones, & tubercula, reprimendi excrescentia in carne, caua explendi cum cerato, & articulorum tophos comminuendi: & hæc omnia extrinsecus tantum adhibita: Galenus pariter Ochram ipsam inter illa medicamenta, quæ & vrinam prouocare, & quæ callosas, siue tophosas consistentias incidere sunt idonea, enumerat, illam incidere, sed minimum caloris possidere, afferens.

Lib. 5. c. 68

5. de simpl. med. facult. cap. 13.

Ochra

Ochra natiua crocei coloris, quæ pro parente, & genitore lapidem ex ferreâ materiâ ſibi elegit. ex Syluâ Cutianâ diſtrictus Veronenſis: Villulâ amœniſſimâ Illuſtrium, ac Nobilium Dominorum ex familiâ Allegriâ, generis nobilitate antiquiſſima, clariſſimaque.

Ochra lapidi plumbario annata, ex Boëmiæ fodinis.


Ochra facticia in purpureum demigrata colorem, quòd candens, aceto ſit extincta, ac tandem vſta reddita, talem fuerit adepta colorem.

Ochra facticia plumbaria, pictoribus in vſu: ex plumbo nigro in ampulam vitream oblongam coniecto: poſtmodum in fornace chymiſtarum impoſito, vique ignis tamdiù cocto, donec in Ochræ colorem tranſierit.

Antequam autem hic ſubſiſtam, placet, vt quid maximum & pio Chriſtiano dignum breuiter recenſere: Archetypus in Muſæo noſtro ſummo cum honore, & cultu cuſtoditur, Sanctiſſimi Sepulchri, ex lapide candidiſſimo è Monte Gion eruto, mirabilique artificio elaboratus, ex cuius inſpectione, pro vt tunc temporis ſummè ſuſpicienda Sacratiſſima hæc arca, Saluatoris CHRISTI receptaculum, iaceat, quiuis attendere poteſt. Hanc ob magnam teſtificationem amoris erga me ſui, nuperrimè mihi donauit Reu.admodum P. GAVDENTIVS, ex Nobili familiâ Saibantâ, Veronâ: Religionis Franciſcanæ de Obſeruantiâ Guardianus, & Commiſſarius Apoſtolicus Sacri Montis Sion, à Mauris & Turcis Rais communiter dictus. cui à Beatiſſimo PAVLO Quinto commiſſa fuit cura rerum omnium Terræ Sanctæ, quæ ad Rempublicam Catholicam ſpectarent; quæ ſingula (& ſi non ſine euidentiſſimo mortis periculo, ob ſupplicia, ac patibula ſæpè ſæpiùs à Turcis palàm facta, pro expillandis pecunijs) pijſſimè, intrepidè, vt tanto, & ſingularis vitæ Sacerdoti par erat, in impiorum contemptum trium annorum ſpacio ſummâ cum laude in DEI gloriam perfecit.

Terra

Terra an potius Argilla Betelemnica penes me eſt, ex ſpecu illo effoſſa, quo loci Glorioſiſſima VIRGO cum IESV vnico filio abſcondita præ timore manſit, vt Herodis imminentem perſequutionem euitaret. Hæc in colore candido ad Roſeum parum vergit, modicè eſt arenoſa, quia aquæ ablutione non eſt purgata, guſtanti glutinoſa non apparet, nec minùs aſpera. Extant quoque apud me ex hâc eadem argillâ, rotulares glebæ, in quibus effigies Crucifixi CHRISTI, & reſurgentis ſunt impreſſæ, nihil arenoſum habent. multis namque aquis, vt retulit Reuerendus ille Pater, ablui ſolet hæc argilla, quæ pars eſt petroſa, abijcitur, ſubtilior, vt lac alba, ſeruatur, ex quâ poſtmodum ſimul cum quibusuis alijs eius Regionis ſanctiſſimis petris, in puluerem ſubtiliſſimum redactis mixta, hoſce ſanctuarios parant: Et hæc de terris ipſis maiori qua potui breuitate dicta ſufficiant.





QVI ſucci concreti è Terræ matris viſceribus efloreſcentes, humore tamen ob rarefactionem, & attenuationem ſolubiles, non inſipidi, ſed qui ex exuſtâ terrâ à calido, & ſicco cum ſint paſſi, ſaporum formas euidentes habent, induſtria CALCEOLARIA in hoc ſcelectiſſimarum rerum naturalium Enchiridio non indiſtincto ordine ad proprias Claſſes ſint repoſiti; poſt terrarum tractationem pennicillo medico delineandi meritò veniunt, vt Sales, Nitra, Alumina, Sulphura, & Bitumina: qui autem ſucci ijs ſunt cognati, vt Vitriolum, Sandaraca, Auripigmentum, Chryſocolla, & ſimiles, cum magis prænarratis naturæ ſint metallicæ, & certè plus de eâ participent, dûm in propriâ ſectione corporum metallicorum fiet mentio, lubentiſſimè explicabuntur: Placet autem, vt condimenti aliquid ad menſam huius ſecundæ Sectionis apponatur, quò legentium animi magis,

magis, ac magis legendi auiditate, appetituque excitentur, nec non ab Ariſtarcheis animis, in alienis ſcriptis iudicandis, putridâ labeinfectis, Nomẽclator hic noſter vindicari poſſit, à Salibus tàm à natura generetis, quàm arte ſpagyricâ elaboratis exordiri: Quod ſanè ſucci genus (ſimplex præſertim, & crudum, reique cibariæ accommodatum) vt aliquid etiam (laconico tamen ſtillo) de huius viribus, & emolumentis dicatur, & ſi ab Ægyptijs Sacerdotibus (referente Valeriano noſtro) ob puritatem, & vitæ abſtinentiam, quas res in primis adamabant, vt cuiusuis nequitiei irritamentum, ſummo ſtudio reijceretur, & aduerſaretur, ita vt pane quoque inſulſo veſcerentur: cùm ob illius innatam caliditatem, acrimoniam, & mordacitatem, irritare libidinem, ſeminalemque vim expergefacere feratur. (vndè Venerem è Mari elemento ſalſo ortam fingunt Poëtæ, vt ſub hoc inuolucro ſalis vim genitabilem proponerent) & appetitum cum nutrimenti concinnitate prouocando, magis bibuli, & voraciores reddi poſſent, ac ob id ad ea exequenda præter voluntatem magis proni, quæ vitæ puritatem ſibi præſcriptam, & caſtitati deſtinatam inficere valerent: nihilominus (modo tamen immodicè non ſummatur, eſſet namqne venenum, vt tradit Sanctus Auguſtinus) vt Balſamum naturæ radicale ſummè expetendum venit: & hinc benè ſapientiſſimeque à celeberrimis Auctoribus literis promulgatam auream illam fuiſſe ſententiam crediderim: totis nempè corporibus nihil eſſe vtilius Sale, & Sole: in ijsque contineri omnia, non quæ ab illo excrementitio, ſed à viuifico Balſamo naturæ vniuerſali pendent, cùm vt notat ex Arabum ſtirpe Geber, in cœleſti hoc corpore, quod veluti Rex lumine, magnitudine, & pulchritudine quoſcumque alios Planetas præcellit, ac in eorundem meditullio, tamquàm in trono ſedens, omnes illuminat, virtutemque illis ad inferiora quæcumque diſponenda diſtribuit, omnes naturæ vires, quaſi in proprijs laribus, & fonte perenni reconditæ videantur: præ enim huius regia potentia in ſubiecta corpora elargita, germinant, & creſcunt Plan-

Hieroglyph. lib. 31.

De moribus Manich. lib. 2. cap. 8.

tæ

tæ, lapides, & mineralia ipſa ſuam ſuſcipiunt generationis formam, & ad incrementum perficiuntur, nihilque ſub hoc cœleſti globo videatur procreatum, quod Solis medio ad eius naturalem incrementi formam non reducatur: vndè malè à veteribus illis actum non eſt, qui proprio Elogio Solem ipſum Cor Cœli nuncuparunt: Quemadmodum enim in corpore humano Cor facultatis vitalis eſt Domicilium, vitæ principium, fons caloris, & viuifici Nectaris, arteriarum ſcaturigo, pulſus & reſpirationis primus auctor, quo vigente vigent omnia, & ſingulis membris, difflantibus ſpiritibus vitalibus, motus, & vigor impertitur, nec non illo languente, quæcumque langueſcunt, intereunte intereunt. Solis pariter vires ſi contemplabimur, Cor Cœli nuncupandum eſſe non immeritò dici poterit, cum tamquã omnium virtutum elementarium Dominus, in medio Planetarum Regiam ſedem habens, per vniuerſam naturam ſuos ſpargat, & infundat micantes radios: quod etiam de Sale ipſo rectè exprimi poteſt: quis enim tàm ſtolidæ erit mentis, craſſæq; Mineruæ, qui proprietates, qualitatesque, vt ita dicam, virtuales ipſius Salis ſpeculando, hoc vnum non atteſtabitur? Lege ſit illi hac ſancitum, Lucretium Clarum, ſublimem inquam illum Poëtam, à remediorum multitudine Panaceam nuncupaſſe, nec ineruditè: ſicuti namque Panaceæ nomen, & ſi multis plantis commune, quod neque facie inter ſe ſe, neque viribus ſimiles ſunt, magnæ tamen ad morbos commendationis exiſtant, & vt Plinius, omnium morborum remedium promittant, à πᾶν; & ἄκος: deducta etymologia, ideſt ab omni medella, ſeu remedio nuncupatæ, pariter Sali ipſi, quod multis polleat viribus, pro præſeruatione, & tutelâ corporum animantium, non immeritò Panaceæ nomen videtur attributum: ommittam breuitatis cauſsâ, ne rem hanc Theologicè tractare videar, quanti in Sacris literis, Salis nomen expendatur, & quid ſub huius ſymbolo denotetur. Extant, præ cæteris in Leuitico (vt innumera alia loca Sacræ Scripturæ ſubticeam) vbi de oblatione Sacrificiorum ſermo fit, hæc verba.

Lib.25.c.4.

Cap.2.

verba. *Quicquid obtuleris Sacrificij, Sale condies, nec auferes Sal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo; in omni oblatione offeres Sal;* habeat præterea ineruditum, Bœoticumque hoc genus hominum, Salis vſu ne dum corpora humana, ſed & bruta animalia, vt Boues, Pecudes, & alia ad cibum appetendum maximè prouocari, colliqueſcit namque Sal aſſumptus, ac in ventriculo ipſiusque ore imbibitur, & impingitur, poſtmodum partem hanc ſenſilem admodum, vt puta multis neruis refertam, eius acrimoniâ alterando, ad ſuctionis illud munus obeundum irritat, ac prolectat, cuius medio indigentiæ tempore pro animalis nutritione, & conſeruatione cibus, & potus exoptatur, omne ſtomacho inſuaue, inſuetumque, ſuaue, & nutritioni aptum faciens: innatâ etenim vi, tamquàm anima ſuperueniente, obſonijs gratiam, & voluptatem conciliat, vt indè à plerisque χαρίτη, ideſt gratia nuncupetur, quod pluribus interſitus, vt omnium condimentorum condimentum iucundiſſimum, guſtui ſapida reddat, & grata, neceſſitatem cibi in ſuauitatem conuertens. ex quo dicendum, nec præter rem, videtur, ſapores ipſos, vt ſenſum adficiant, ita Sale opus habere, vt colores lumine: Hoc corpora præſeruantur, & conſeruantur, diſſoluendi namque, & abſtergendi virtutem cum habeat, impuritates illas morbidas, ſiue à cibis, & compotationibus, ſeu à quauis aliâ cauſsâ prouenientes, quæ vt ſanitati nociuæ, humanam familiam non ſine moleſtiâ deturpare, ac perturbare ſunt aptæ, aufferre, & purificare valet, quod in dies de aquâ ſalinatiuâ pro tumoribus, & inflationibus etiam hydropicis abſumendis comprobatur. humiditatem naturalem, vt naturæ humanæ maximè conducibilis, coadiuuando, ac in propriâ ſimmetriâ ſeruando; quicquid enim ex Galeno in corporibus humidi excrementitij ineſt, id quodammodo abſtergendo, & deſſicando abſumit, & quod reliquum eſt ſolidæ ſubſtantiæ adſtrictione contrahit, adeò vt corpora ipſa cogat in ſeſe, ac condenſet, illa eadem à putredine incorrupta ſeruando, & tuendo: proinde qui humores putridi, ac corrupti in corpore exi-

Lib. 3. de aliment. facult. cap. 41. & 11. de ſimpl. medic. facul.

ſtunt huius vſu conſummuntur, & ſiccantur, ſubſtantiam naturalem partium, quibus erant impacti, depurando, ac in proprio ſtatu conſeruando: non tamen dixerim in febribus putridis conuenire, tùm quia calidus, (præcipua namque harum indicatio, ad hoc vt contraria contrarijs curantur, refrigeratio ipſa ratione febris, & exſiccatio ratione putredinis eſſe debet, quæ tamen ſiccitatis moderatum gradum non tranſcendat) tùm quod etiam exſiccando indurat viſcera, ac ita prohibitâ euentatione, tranſpiratione véve, caloris illius diuini, & cœleſtis, quem Prometheum à Cœlo furatum fingunt, vt hominem vita donaret, magis ac magis in viſceribus intenditur putredo ipſa, calori febrili, vt foci patella, fomitem putredinalem continuò ſubminiſtrãs: Quod autem Sal ipſe exſiccando induret viſcera, Senex ille venerandus, inter Coos admirandæ gloriæ, experimento ſumpto ab ijs, qui aquas ſalſas bibnnt, & quorum corpora quàm facillimè hac ratione indurantur, hoc nobis ſcriptum reliquit. Tantæ præterea virtutis eſt in abſtergendo, abluendo, ſiccando, & putrefactione remouendâ, vt nedum in corporibus viuentibus carnes putridas corrodat, purum ab impuro ob facultatẽ innatam depurando, quantum enim diſſoluit, tantum conſumit, ac ita putredinem generatam calore, & ſiccitate annichilat, præcipuè verò quando eſt exuſtus, tunc enim maximè reſiſtit putrefactioni, maiorque, & efficacior vis illi ineſt in deſſiccando, & in mundando, ac ad interiora penetrando: quinimo & conditurâ ſuâ, corpora & ipſa defuncta putredinis ſecura, à putreſcendi labe ligat, & adeò conſeruat, vt durabilia adſeruans aliquantulo tempore interitui reſiſtat, neque patiatur id quod mortuum eſt, penitus aboleri; Et vt Cheronenſis Plutarchi verbis vtar; *Quemadmodum anima, noſtrarum rerum diuiniſſima, defluere non ſinit molem animalis, ſed eam continet; ita Salis natura imitatur animæ opus, dum cadauera arripiens, id quod ad interitum vergebat, conſtringit, atque cohibet, partibus quandam inter ſe concinnitatem, amicitiam atque indens.* Hoc idem perbellè ſatis à Beato Hilario Pictauienſe eſt expreſſum, *Sal*

Lib. de aere, aquis, et locis

Lib. 5. sympo ſiacon qu. x.

In Mattheũ cap. 4.

(in-

inquiens) *est in se vno continens aquæ, & ignis elementum & hoc ex duobus est vnum; hic igitur in omnem vsum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus impertit. Salis natura eadem semper est, nec immutari vnquam potest:* Vnde mos apud Ægyptios esse consueuit, mortuos quò longissimo tempore durare possent, Sale condire. O' diuinum Homericum Balsamum, tanta dignatione meritò decorandum. Sed quid? non nè tàm intus assumptus, vt & ad exteriores corporis partes applicitus Sal ipse corporibus præsidium impendens, ventositates viscera animantiũ infestantes extenuat, & diuendit? maximè si puluerizatus, & coactus, calidusq; supra orificiũ vẽtriculi sacculi modò apponatur; ne ab ijs partes tentatæ, ad discrasiã, intemperamẽtũve aliquod reducantur? ac ita dolorosę, morbosæq; euadant? certè quidem. Vt & ventrem emollit, corporisq; superfluitates, eius acrimoniâ facultatem expultricem irritando educit, vt videre præ cæteris est de aquis illis Thermalibus, quas succus salsus naturaliter imbiberit: quod etiã expresse nobis significauit Galenus, qui salsum saporem lauare, & mundare scripsit, qua occasione aluum quoque deijcere notauit: & alibi, *Quæ saporem quemdam nitrosum, aut salsum habent, & incidere, & quoque eorum plurimum aluum deijcere* dixit, qua motus ratione, Conchularum Maris, cœterorumque Ostreorum succum planè tùm salsum esse, tùm ventrem soluendi vim obtinere, & si earum caro ventrem reprimat, nobis demonstrauit. Venenoso pariter resistit humori, vnde ex Auicenna cum melle, & vuis passis, aut adipe suillo mistus, sanat Antracem, ad puncturam Scorpionum, cum semine lini in modum emplastri compactus valet, vti etiam ex melle, & Hysopo emplastrum formatum, ad morsum Cornutæ prodest, & ad quamplurima alia, vt legere quoque est apud Dioscoridem: Galenus similiter modum edocens curandi Gangręnas, affectiones nimirum illas, quæ magnis inflammationibus superuenire solent, ob quas corrupto calore partis affectæ, mortificatio eiusdem partis sequitur, ita tamen vt hæc emoriatur, nondum autẽ

Lib. de oculis.

Lib. de attenuante vict. nat. cap. 3.

Lib. 3. de med. facul. cap. 15.

Lib. 2. trac. 2 cap. 616.

Lib. 5. c. 85.

Lib. 2. ad Glaucum cap. 9.

ſit emortua, (eſſet namque ſphacellus) ſi fortiora medicamina, præter eò loci annotata, applicare volumus, Sal, vt quid efficatioris virtutis, adijcere conſulit. Lubens in huius Balſami naturalis præexcellentiſſimis operationibus enumerandis acquieſcam, modò prius, (vt quid non ſine commemoratione prætereundum) mos ille abluendi infantes Sale, vbi primum in lucem prodierint, legentium oculis ſubijciatur. Galenus agens de ratione tuendæ valetudinis infantis, & cur Sale ſit hic inſpergendus, hæc habet: *Ergô recens hic natus infantulus, cuius corporis conſtitutio omni notâ vacat, primum quidem faſcijs deligetur, ſed corpori prius toti Sale modicè inſperſo, quo cutis eius denſior, ſolidiorq; ijs, quæ intus ſunt partibus reddatur; in vtero enim æquè cum reliquis mollis erat, cum nec durius vllum externum corpus inibi contigerit, aër nec vſquam illi frigidus inciderit, &c.* Auicennas quoq; *Feſtinandum* (inquit) *vt infantum corpuſcula perluantur aqua, in qua colliquatus ſit Sal, vt occaleſcat vmbilicus, atque item cutis, ita tamen vt non contingantur nares, aut os: cur verò ſic faciendum aſtruamus, ratio eſt, quoniam mox editum infantem ob nimiam teneritudinem omnia infeſtant, quo nomine ſemel, bisque Sale abluere perſalubre eſt, præſertim ſi extuberet ſordibus, & nimio plus ſeſe promat humectatio:* cuius rei, & Sanctus Hieronymus immemor non videtur, cum dicat, *Corpora dum adhuc vteri calorem tenent, & primo vagitu laborioſæ vitæ teſtantur exordia, ſolere ab obſtetricibus Sale contingi, vt ſicciora ſint, & reſtringantur:* Hæc breuiter de Salis emolumentis perſtringere placuit; quis plura, probatiſſimos perlegat auctores, qui diffuſiore calamo rem hanc diſertè admodum tractarunt. Cæterum quis ſuccus, ſalſæ qualitatis particeps concretus tamen, primo intuitu deſcribendus venit, non certè eſt ex aquâ maris, vel è fontibus, aut è cineribus compactus, ſed Sal ille eſt foſſilis, quadratæ figuræ, adeò pellucens, & Cryſtalli inſtar tranſparens, vt à Daciæ populis, qui nunc Valachi dicuntur, (quo loci huius maximus eſt prouentus,) Gemma, ob perſpicuitatem ab aqueo humore emanantem, vocetur, (& ſi hoc genus Salis alijs quo-

Lib. 1. de tuenda. ſan. c. 7

Prima primi

Ex comment. in Ezechielē cap. 16.

quoque ex regionibus ad nos transportari soleat) in substantiam hanc salsam concretus, quod aqua terram illam, quæ à calido, & sicco est admodum passa, ac ob id ignis vestigium in se retinuerit, per eiusdem terræ sinus lambens, reddita sit salsa, ex cuius exhalatione, & vaporatione, refrigerata, terræque illi aglutinata, corpus hoc fossitium, salsum, densum tamen, & veluti in lapidis substantiam sit generatum: non secus ac mare ipsum reddi salsum tradit summus ille Peripateticorum Coryphæus, quia Sol tenuiores aquæ partes extrahens, & in vapores effundens, crassiores veluti torret, atque adurit, quæ vnà cum crudioribus ipsius aquæ partibus permistæ salsedinem efficiunt; pro cuius probatione, aquæ per cineres colatæ exemplum affert: vti etiam videre datur in animantium corporibus, potabili humore ingesto ad nutriendum, salsam reddi, quæ in vesicam corriuauerit superfluitas, nec non sudores, qui ad cutem deriuant, salsuginosos apparere, cum ambo hæc excrementa aliud non sint, quàm ciborum superfluitates salsæ; quoniam in eas vrens calor agit, qui si fuerit excellens, plusculumque illæ sint excalefactæ, etiam amaræ euadunt. *lib.1.Meteo. cap.3.*

Sal hic, præterquàmquod & difficilius soluitur, ob substantiam magis compactam marinis, & lacustribus salibus, qui facilius liquantur, quòd rarioris, & tenerioris sint substantiæ: quia etiam cæteris adeò vehementius concretus est, vt latens humor in se totus compressus, iam quasi lapis indurauerit, igneæ actiuitati resistit, ita quod igni iniectus, nec crepitum mouet, nec dissilit, sed sua conspissatione, & duritie pertinax, vt ferrum ignescit, qualis apparet etiã Salis Agrigentini, & Tragusęi illa species, de qua Solinus, *Cap.x.* Plinius, & Isidorus; quod mirabile est, & contra naturam *Lib.37.c.7.* *L.14.c.6.&* *Lib.16.c.2.* ferè omnium Salium, qui ex eo præsertim, quod ab igne exiliunt, à saliendo nomen sortiti sunt, quamuis enim igneę naturæ sint, ex igne tamen refugiunt, & resultant, quod eâ de caussâ fieri censuit Philosophus, quia paucitas humoris contenti ab actiuitate caloris mox in spiritum conuertitur, vndè impetu quodam violento exiliens Salem dirumpit, *Proble. sect. 11.probl.26*

pit, & frangit, omne autem id, quod resistentiam aliquam habet, & celerrimè rumpitur, in schidias dissolui, & crepitum mouere solet: quod præsertim de Salibus illis intelligendum crediderim, qui digitis compressi, vt sunt marini, & id genus alij, quam facillimè frangi, & quasi in puluerem cogi possunt, nec in ijs duricies vlla densa, ac quasi lapidea redundat.

Sal & alter in glebas à naturâ constructus, ex Pannoniæ fodinis huius locupletibus admodum effossus: qui præ substantiâ solidâ, temporis aliquo progressu, sic naturâ dictante, adeò compactus ex humore condensato cernitur, vt lapidescere dicatur, nec non ob insignem luciditatem, quasi se veluti transparentem vndequaque demonstrat, non infimos, quinimo pares cum superiori gradus meritò habet: vnde Sal Gemma ob perspicuitatem, & hic est officinarum: Qui sanè ob facultates innatas, vt natura est omnium Salium, diuersis rebus pro animantium corporibus præseruandis accommodata, haud paucas medicamentorum compositiones, non tamquàm horum idea, & basis, sed vt quid coadiuuans, ingreditur, quæ pro varijs profligandis morbis corpora humana infestantibns, lege artis in dies à Seplasarijs fabrefiunt: pituitam namque vitream, & humores illos, qui ob eorumdem tenacitatem, viscididatemque non nisi difficillimè è corpore educi possunt, absque vllâ noxâ euacuat: cum agarico mixtus, confert vertigini; Pectus, & ventriculum ab excrementis immunem reddit, vt ommittam, doloribus ipsis leuandis esse aptum, qui etiam, mordicando intestina, mirabiliter cooperatur, indurata resoluendo, & superflua expellendo. Extat in nostro, manupropria, non sine labore, & industriâ, conscripto rerum singularium Antidotario, in dies longo vsu, & experientiâ ad varias ægritudines comprobatarum, compositio quędam efficax admodum ad dissipandam luem Gallicam, potissimum verò ad dolores illos remouendos, qui ob seuissimum hoc inquinamentum, miseros languentes die, noctuque atrocissimè infestant: in qua præter quædam alia ingredientia, maior

pars

pars dosis, & vis huius medicamenti, in sale hoc consistit. Ne verò, antequam vlterius progrediar, vllus relinquatur admirationi locus, quod dixerim, Salem ipsum natura solubilem, in duriciem lapideam, ac si à genere decidat, terminare: attendat obsecrò beneuolus Lector, quæ ex probatissimis auctoribus in re propositâ, non sine animi oblectamento, perlegi: extat Plinij auctoritas in sinu Capeo Arabiæ maris Oppidum Gierra turres habere ex salis quadratis mollibus. Nec non Carrhis Arabiæ Oppido muros, domosque, ex massis salis fieri aqua ferruminantes, alibi tradit: Isidorus etiam admirabilem hanc salis naturam hisce verbis descripsit: (inquiens) *Salis montes natiui sunt, in quibus ferro cæditur, vt lapis renascens in agris, tantæ alicubi duritiei, vt muros, domosque massis Salis faciant, sicut in Arabia.* Et Solinus: *Amantes* (dicit) *gens Aphricæ Salibus domos extruunt, quas, in modum cautium è montibus excitatas, ad vsum ædium cæmentitijs nectunt struibus, tantaque ibi huiusce venæ copia est, vt tecta faciant ex Salinis.* Sed veterum auctoritates, probatissimas tamen, ommittamus, nec sit præter rem, quò magis veritas eluceat, & recentiorum testificationes proponere: scribit Olaus Magnus, & hoc occulata fide attestatur, in Polonia montes profundissimos Salis, præsertim in Vielisca, & Bothna esse, in quorum specubus subterraneis altè, latèque excauatis, à laboratoribus nudis ob calorem, ferreis instrumentis opulentissimum Thesaurum Salis eruitur, veluti aurum, & argentum ex mineris inexhaustis: quæ res Martini Cromerij auctoritate comprobatur, qui in descriptione Poloniæ. *In minori Polonia* (dicit) *Salem, instar ingentium saxorum, adeò duritie lapidea solidum ferro exscindi, vt ne dum mola terratur ad hominum vsum, sed & ex illo domos, templa, & oppida ædificari.* at quò hæc nostra oratio præter institutum diffunditur? his ommissis ad reliquas Salium species describendas sermo hic noster vertatur.

Lib.6.c.28. *Lib.31.c.7.* *Lib.17.c.2.* *Cap.30.memorab.* *Lib.33.c.5.* *Lib.1.*

SAL fossilis ita pellucidus, vt Crystallum in nitore, & colore imitetur, ex Salis fodinis illis, quæ in Calabria extant,

eru-

erutus, quo loci Sal Gemma, vt superius annotati Sales, nuncupatur: adeò præcellentis dicitur hic Sal in re medicâ esse virtutis, vt audiam, medicos, qui artem summâ cum laude in regione illâ exercent, pro Sale Ammoniaco in huius defectu, vti.

SAL fossilis ex alpibus Oeniponticis: in cuius corporis compagine albedo lucens intuentium oculis se se offerens & si prædominari videatur, succum tamen inebriatum, ac si Amethystinam gemmam, in colore refert, naturaliter in eius concretione cognatione quadam sibi adiunxit.

SAL fossilis figurâ, & formâ, colore quinetiam flauo quo est infectus, frustum mali Cotonei, in partes diuisi, repræsentans, quod tamen sacharo sit conditum: Lucidus non admodum videtur hic Sal, cum quid opacitatis in concretione acquisierit. Carthagine, non sanè ex Vrbe totius Aphricæ celeberrimâ, à Didone Carchedonis Tirij filiâ, vt habetur in Eusobiano Chronico post Troianum bellum conditâ, postmodum tertio bello Punico à Scipione Æmiliano penitus euersa transmissus: Sed ex Vrbe illa, quam Asdrubal in Betica Hispaniæ regione condidit, & Carthago noua perpetuo epitheto dicitur; nec non à frutice illo Iunci aculeati modo aceruatim sponte suâ in eius agro prouenientis, qui Spartum ad differentiam Græcorum, & Latinorum quorundam, vt Hermolai, Cornarij, Dodonæi, & aliorum Spartij, Spartaria nuncupata.

SALIS fossilis flos, in fodinis Salis efflorescens, in colore candidissimus ad similitudinem lanuginis canescentis, qui cum tenuium sit partium, ideò tenuissimus, & leuissimus.

SAL ille hoc loci sit descriptus, qui & si præ viribus Ammoniaci nomen mereri posset, non tamen ex Cirenaica regione transportatum dixerim; quo loci sub arenis cum Luna noctibus in laminas concrescere, colligiq; affirmatur, Iam enim ad nos transferri desijt. nec minus illum delineare est in votis, (vt quid vulgatissimum) qui sub Armoniaci nomine in Seplasiariorum officinis venalis est: quique arte elaboratus hoc sæculo ex Siriacâ regione, nec non ex Germaniâ

maniâ candidus ſaporis acerrimi, & in glebas penè tranſlucentes formatus nigredine tamen quadam obductus ad nos tranſmittitur. Chymiſtis ad ſublimationem argenti viui, & ſolutiones metallorum inſeruiens. Sed hæc illa erit Salis ſpecies, quæ ex Sulphuratis Puteolani diſtrictus habetur, quò loci, vbi ignes ſubterranei flammas euomere ſolent, in illorum hiatuum faucibus, veluti per ſublimationem quamdam, materiâ minus terreſtri euaporante, hoc genus Salis reperiri ſolet. Cuius ſanè compactum corpus, & qualitates ex ſapore ſe ipſas manifeſtantes modò exactè contemplentur, non imparem concretionis formâ, & facultatibus, Sali naturali Ammoniaco dices. videtur namque, quo ad colorem, ſimili alumini, quod Schiſton vocatur, (& ſi reperiatur etiam ſulphureâ tincturâ in ſuperficie quandoque imbibitus,) fiſſilis ſecundum longitudinem inſtar lapidis ſpecularis ille eſt, vt veluti in cruſtas, ſiue laminas compactus videatur, quòd humor, vaporoſus pręſertim, à minerâ ſulphureâ eò loci eleuatus, depoſitis quoquomodo partibus terreſtrioribus, qui in corpore hoc naturali ſtruendo, in longum, & latum diſtributus, ſit ita denſatus, vt cruſtæ, ſeu laminæ emerſerint, ſuper quas alius atque alius humor, ex frequentatis exhalationibus cum ſit fuſus, in cruſtaceam formam corpus hoc concreuerit. non ſecus hac in dies annotatur, oculiſque ipſis intuetur, in veſica humanâ ob reiteratum decubitum alicuius materiæ excrementitiæ in partem illam à toto corpore deriuantis, lapides multis tunicis conſtructos, Cœparum inſtar ſæpe ſæpius generari: Vnde cum guſtanti leui acrimoniâ, & paucâ aſtrictione, nec non extergendi vi ſe inſignitum eſſe ſignificet, ad illa conferre iudicio meo poterit, quæ Sali Ammoniaco à Galeno attribuuntur. Cuius facultates vt aliquid etiam in gratiam pharmaca conficientium ex eodemmet auctore dicatur, hæ ſint annotatæ. Clariſſimus hic Medicus de virtutibus illorum pharmacorum agens, quę oculorum morbos ſanant, Salem hunc apoſtemata oculorum *Lib. de oculis cap. 5.*

V mor-

mundificare, & diſſoluere, notat: Et capite ſexto eiuſdem libri agens de potentijs medicinarum ad oculorum morbos ſpectantium, & ſuis effectibus, mundificatiuarum, & colatiuarum mentionem faciens, *Inter hæc quædam mundificant, & colant modicum,* (dicit) *& valere contra paruas puſtulas, ſicut cadmia, thus, cornu ceruinum, & caprinum, quædam verò nimium mundificant, quæ valent ad vngulas, ſcabies palpebrarum, pruritus, & craſſas puſtulas, vt Ærugo, Tragacanthum, & Sal Ammoniacus, quæ omnia pungunt, ſed cùm lauantur, eorum punctio minoratur:* Et alibi, *Ob vim extergentem cum leuiculâ acrimoniâ, & leuiſſimâ adſtrictione, quam habet, ocularibus miſceri facultatibus* dicit: *Ad pilorum in palpebris incrementum, ad pollinis læuorem redactum vti ſicco affirmat, vbi præ humorum acrimoniâ partim excidunt; partim verò nec creſcunt, nec aluntur, depaſtis namque his acrimonijs in bonum naturæ habitum pars reducitur:* deſcribens preterea emplaſtrum illud à Critone Anacetum, ideſt, inuictum nuncupatum, quod ex acribus pluribus medicamentis compoſitum ſit, inter acria illa Salem Ammoniacum enumerat: quem ſimiliter extrahere, & digerere inquit, dum ex Andromacho emplaſtrum viride Paſſionis proponens, notat, hoc medicamentum, quia Salem Ammoniacum prius aſſumpſit, magis quam ſuperiora extrahere, magisq; abſtergere.

Lib. 9. de ſim. pl. med. fac.

Lib. 3. de cōpoſ. med. per gen. cap. 12.

Lib. 2. de cōpoſ. med. per gen. cap. 2.

SAL, qui delineandus exhibetur, noſtroq; hoc ſœculo ſub nomine Salis Indi diuulgari ſolet, non certè ille dijudicandus eſt, quia à Paulo, & poſt ipſum ab Auicennâ Zuccharum Alhuzar nuncupatur, mannam eſſe, ſcribens, cadentem ſupra rem, quam vocant Alhoſor, ſimilem Sali, (à qua fortè ſimilitudine ſaccharum ab eo Sal Indus nominatur,) & quem ſummis laudibus extollit ad linguæ ſcabriciem, ariditatemque in febribus acutiſſimis: Scribens, *In ore tenendum Salem illum eſſe, qui ab Indiâ deportatur, colore Salis, & dulcedine mellis:* (Saccharum enim dulcedine innatâ naturæ humanæ proficuum: inter Salis ſpecies non dulcore, ſed acrimoniâ quadam linguam vellicantis, reponere,

Lib. 4. cap. de aſperitate linguæ.

Ce-

Cerutum Medicum à mente desistere dici posset,) Sed Sal ille describitur, qui à quadratâ basi incipiens in figuram pyramidalem non multum grandem, sed paruulam potius, & obtusam desinit, nec non colore ipso, & substantiâ Sali cõmuni nostro albo, cuius ad condiendos cibos quotidianus est vsus similis videtur: An verò cum Sale illo Indo à Mesue descripto, reipsâ conueniat, non crediderim; hunc enim melancholiam, & pituitam purgare, corpus à putredine conseruare, nec non ad curandam lepram proficuum esse, notat hic auctor, fortè Salem Ammoniacum inter Salium species, præpotentem admodum, exprimere intendens. Illum verò mitissimum esse, nec alios Sales qualitate insitâ præcellere, gustanti dignoscitur, quòd calor subterraneus non multum in illius concoctione sit elaboratus. Aliàs anceps eram, an Sal hic sub fossilibus collocandus foret, an vero arte esset in talem figuram constructus: nec id præter rem, cum in huius glebulæ basi, veluti sigillum quoddam, arte impressum, conspici detur, ac si characteres artificis signum exprimentes essent insculpti. Nihilominus exactiori diligentiâ hoc Sale perscrutato, cum veluti ex laminibus, siue crustis, ex exhalationibus subterraneis in vnum hoc corpus pro sui nutrimento, & incremento gradatim à minerâ salsâ euaporantibus sit compactus, quâ vnâ demissâ, altera remouenda mira structura se se offerat, & sic de singulis vsq; in totum figuræ acumen, hoc artis opus non esse, sed naturę dispendium iudicaui, ac ob id inter sales fossiles reponendum fore, in animum induxi meum.

SAL Sadomenus, non fossilis, sed vt ex Salium lacustrium genere ex Lacu Asphaltite Iudeæ transportatus, in quo Galeni, & Plinij testimonio nihil præter bitumen gigni- *L.4.de simpl. medic. facul. cap. 20.* tur, nullum corpus animalium recipit, neque plantam inesse conspicitur, vnde & mare mortuum dicitur (se hæc fu- *Lib.5. c.17.* sius dum bitumen Iudaicum considerabo.) Sal hic Naphticus dici etiam potest, desumptâ etymologiâ à Napta, quæ est bitumini species, cuius odorem retinet: in colore ex nigro rufessit, & gustanti maximâ palatum inficit ama-

ritudine, (ex bitumine namque admodum assato concrescit.) Quod si huius exactiorem desideras anatomeın, audias Galenum loquentem, dum saporem amarum corporibus temperie siccis inesse dicit, & quo maior in his redundat caliditas, eò maiorem percipi amaritudinem, deducto exemplo à bituminoso stagno, cuius Salis vim non modo plusquam cuiusuis alterius Salis exsiccatoriam esse scribit, sed & extenuare natam, quia scilicet plusquam alius exassatus est. *Omni enim Sali* (subiungens) *obscura quædam adstringendi vis inest, quâ eas quæ condiuntur carnes, constringit, densatq; potissimum vbi durus, & minimè fragilis extiterit. Talis est exactissimus quidem fossilis ferè omnis. Minus autem illo, marinus: Tùm, qui multis in locis aquis leuiter salsis arescentibus prouenit, tertium locum obtinet, abstergere, magisque adstringere, contrahereque potens: Proximas his vires habet Sodomiticus, æque atque marinus durus: cæterum ob admistam amaritudinem, facultatem valentius abstergentem, ac digerentem, quàm marinus possidet.*

Loc. cit.

SALIVM ὀνομασία, qui industriâ Calceolariâ elaborati, ad Medicorum vsum in Musæo asseruantur.

In hoc Salium genere, ne à Philosophicis dogmatibus recedere videar, lubens exordiar à Sale illo, vti ob admirandos effectus, quos præstat, ab Antiquis decantatos, nobiliori, qui ex carnibus Viperarum ignis medio assatis, paratur, & Sal Theriacalis nuncupatur, hoc nomine insignitus, non quòd Andromaceam Theriacam ingrediatur, Antidotum nimirum illud præstantissimum, quod Senex ille suspiciendus, ac omni laude dignissimus Andromachus Claudio Neroni Cæsari dicatum voluit: sed quia, vt altera Theriaca Viperinas carnes admixtas habeat, & morsibus serpentum succurrere possit, & si ex Galeni mente hoc modicè faciat, nec nisi longo post tempore remedium appareat, ex frequentato vsu sensim auxilium afferens: quò loci illos redarguere videtur, qui hoc Sale medicati, cum inter initia cele-

Lib. de Ther. ad Pisonem cap. 18.

cele-

celerem remedij ſenſum non habuiſſent, nec prorſus quidem ipſum conferre arbitrabantur, præſertim redactum in cinerem, vim medicam incendio amiſiſſe cenſentes. Hoc pro corollario, vt Antidoto parem facultatem non habere, affirmat, ſic omnem ipſius vim aboleri penitus negat: non deſunt tamen homines noſtris temporibus, qui Salibus hiſce innixi contra omnis generis venena, eorumdemque noxas, nil horum maliciam, ac nocendi vim veriti, vitam absque vllo mortis periculo expoſcunt, hac ſpe confiſi, Sales hoſce à venenis grauiſſimis, morbis etiam malignis, ac contagioſis corpora nedum præſeruare, ſed & liberare valere: quorum etiam vſum Antiquis illis ante Galeni tempus, qui tamen craſſo potius modo illos præparaſſe legitur, familiarem admodum ad innumeros profligandos morbos, cutaneos potiſſimum extitiſſe ex eorum ſcriptis habetur. horum tamen præparandorum ratio multò perpolitior, & à Galeno ipſo, quàm antiquitus eſſe conſueuerit, ętate ſua fuit excogitata, nec non noſtro hoc ſœculo à Cl. Viris, & in arte medicâ conſumatiſſimis Athletis (inter quos multiplici nomine Ioſepho Quercetano palma meritò videtur attribuenda) eſt inuentata. is enim in ſuâ Pharmacopœâ dogmaticorum reſtitutâ, quæ ad Sales hos præparandos lege artis exequenda veniant, ingenioſiſſimè, & diſertiſſimè admodum, dogmaticiſque innixus rationibus deſcribere conatur: quo loci etiam tres Viperarum confectiones Theriacales in corporis humani emolumentum doctiſſimè exponit, quarum primam confectionem Viperinam aromaticam, ſecundam confectionem Viperinam Saccharinam, tertiam confectionem Viperinam Iuniperinam nuncupat. Qui verò, diſtincto magis ordine, laudatiſſimi, ſalubreſque effectu ex horum Salium vſu redundent, non piget ex Aëtij, & Galeni ſcriptis referre, vt recentiores, & inter hos Quercetanum breuitatis cauſsâ, ommittam. Aëtius hæc notat: *Propriè autem in affectionibus cutis curandis Sales,* (de Theriacalibus loquens) *commendantur, cuius generis ſunt Leuce, Lepra, impentigo agreſtis, elephantiaſis, ſcabies agreſtis, & raritas,* ac

ibid.cap.19.

Tetrab.4.ſer m.1.cap.97.

ac defluuium capillorum, huiusmodi enim cutis vitia confestim delent, & acria recrementa subter cutem redundantia optimè discutiunt. Plerisque enim ex eorum esu sudor prolicitur, atque ita per exudationem corrupta substantia euacuatur, adeout quidam in principio pediculos excluserint intra quattuordecim ad summum dies, post hos enim nullus in corpore pediculus apparet. Quidam verò pro pediculis sputa pituitosa reiectant, à Salium reiectione initium facientes, deinde paulò post etiam sputu repurgata sistuntur: quæ singula ex Galeno, cuius μέμνηται esse illius scripta atteſtantur, translata dices. hæc enim libro de Theriaca ad Pisonem de Salibus hisce memoriȩ mandauit. *Præcipuum verò Sal iste habet, quod morbos cutim infestantes curat, albam dico vitiliginem, lepram, impentiginem, quam feram vocant, & demum omnia sub cute posita excrementa resoluit. Quamobrem magna pars eorum, qui Salem hunc comedunt, plusquam consueuerunt, sudantes putridam materiam eijciunt, & cum eâ pediculos etiam appellatos quosdam emittunt, qui ex putri materiâ ortum ducentes nomen sibi φθεῖρες apud Græcos acquisiuere. Dentes præterea Sal hic optimè purgat, & ipsos à putredine seruat, nec eos erodi permittit, membra laxa densat, illucque descendentem fluorem supprimit.* Hæc Galenus in fine capitis.

Cap. 18.

Præceptiones Medicæ ex Aëtij mente Salibus Theriacis attributæ.

I. Licet tùm in prandio, tùm in cœna eis vti, cum quibuscumque edulijs eos assumere velis, neque vltrà ad eorũ acceptionem prouocare oportet tanta enim ipsis insita suauitas est, vt magis voluptatis gratia eos confectos quis dicere posset.

II. Licet vsque ad tria cochlearia per diem ex eis sumere, maximè si cibus in ventre sit probè concoctus, qui enim eos accipiunt, melius concoquunt, & cibi appetiores fiunt, floridius etiam corpus habent, & sensus omnes vegetiores.

III. Suffusiones oculorum incipientes, & nondum congelatas, egregiè dissoluunt, neq; planè suffusionem incurret, qui eos quotidie accipiet.

IV. Purgationes Lunares propter obturationem aliquam, aut ſanguinis coactionem ſuppreſſas cient. Largum, & impetuoſum earumdem defluxum ſiſtunt.

V. Præſumpti omnes venenorum, & virus iaculantium beſtiarum inſidias euincunt. infectis ex horum vſu periculum euitare datur.

VI. Præſtat & peſtilenti conſtitutione inſtante ad auxiliare hoc, & mali depulſorium pharmacum confugere. præſertim ſi ei Myricæ herbam admiſcueris.

VII. Morborum omninm Medici Sales exiſtunt, maxime tamen eorum, qui in renibus conſiſtunt, lapides enim in eis atterunt, & planè marcidos renes reſtituunt.

VIII. Vertigini, & dolori capitis inueterato, morboque comiciali nullâ aliâ conſimilis medellâ exhiberi poteſt, ſi quis eos per integrum annum ex ordine largè ſumat.

IX. Morbo Regio correptis, Colicis, Spleneticis, Hydropicis, ac caninâ fame laborantibus ſubueniunt, nec non contra ambientis frigidi moleſtias humana corpora infeſtantes, comeſti faciunt.

X. Rigores circuitu repetentes, diuturnos cohibent, & tuſſes humectas reſſicant.

XI. Tabidos ad bonam corporis habitudinem mirabiliter reducunt, paulatim edulijs adſperſi.

XII. Exolutos à languore perfectè reuiuiſcere faciunt, ſcio namque, (addit Aëtius) plurimos membris reſolutos per ipſos ſanatos.

XIII. Ad Podagram maximè incipientem, & omninò ad omnes articulari morbo affectos, vnicum hoc edulium conſtructum ſcias.

XIV. Quartanis diuturnis, & atrabilarijs affectibus omnibus conducunt: enecant omne lumbricorum genus. Hæ ſunt virtutes ex Aëtij mente ſalibus Viperinis meritiſſimò attributæ, quas (ne verbo quidem Auctoris commutato) ſub præceptionibus hiſce medicis conſtituere placuit, vt Viri illi, qui medicam artem exercent, tot tantorumque mira-

mirabilium effectuum desiderio accensi, illorum vsum, qui iam quasi ex hominum memoriâ euanuisse videtur, propalam cuiuis faciant, ac ad praxim reducant. benè, benè enim illis erit, qui aliquo morbo correpti quantumuis deploratissimo, salibus hisce vtentur.

SAL Coraliorum rubeorum Chimicâ industriâ eximiè preparatus, quo si quis tempore pestis vti voluerit, non nisi successus fœlicissimos videbit: eaque est in hoc Sale vis, & natura, vt sanguinem in vniuerso corpore mundificando, & renouando; quicumque morbi, & affectiones à sanguine corrupto ortum ducentes huius vsu remoueantur, & corpori sanitatis vigor restituatur. ad quascumque muliebres fluxiones immodicas, & ventris fluxus sistendos mirabiliter iuuat. Sanguinem reiectantibus cum aquâ portulacæ exhibitus summũ, & peculiare est remedium. putredines sistit, cor, & spiritus vitales roborat: vt non inconcinnè ex hoc dici possit, sicuti Coralij Frutex in imo maris generationis primordia habet, mirabiliter crescit, ita etiam mirabilia ex hoc frutice prouenire arcana, & mysteria.

SAL ex craneo humano per calcinationem in cinerem prius redacto, postmodum aquâ Peoniæ lege artis imbibito, tandem in salsuginosam materiam extractus. Epilepsiæ præsentaneum remedium, cui pariter summa inest facultas plures alios morbos defugandi, vt vertiginem, scotomiam, & similes, qui præcipuè caput ipsum infestare solent.

SAL ex radice Ononidis paratus, remedium efficax ad vrinas remorantes mouendas, qui etiam cum aliquo liquore diuretico exhibitus calculos, renum potissimum peregregiè mouere, dissipare, & absumere valet.

SAL ex Abscinthij comâ artè extractus, ad præseruandam sanitatem admodum accommodatus, vt potè qui materias excrementitias in corpore redundantes dissipare, ac absumere valeat, membris omnibus, naturalibus potissimum innatum calorem seruando, ac eumdem fouendo. Febribus omnibus putridis præcipuè auxilio est: Pestis vnicum remedium esse cum aliquâ aquâ cordiali bibitus, vsu, & experientiâ est comprobatum.

SAL

Sal ex ſuccino albo, & odorato non ſine chymica induſtria, & labore confectus, efficaciſſimum diureticum, tùm ad vrinas ſuppreſſas ciendas, tùm etiam ad materias illas tophoſas minuendas, & expellendas, quæ ob decubitum ſucci craſſi, ac glutinoſi in renibus, præ horum ignea caliditate, tenuioribus humoris partibus diſſolutis, & craſſioribus relictis, ſæpe ſæpius concreſcere ſolent. Addam hoc vnum etiam, ſalem hunc cum aqua e lambico vitreo Balneo Mariæ extracta ex floribus Arantiorum, aut Mali citri, intus aſſumptum roborandæ facultati vitali, & quæ pariter eſſet quaſi deperdita, mirificè prodeſſe.

Sal innata qualitate, & ſi in minima quantitate exhibitus, ſine vlla moleſtia aluum ſubducens. Hoc fœliciſſimè in dies vtor, præceteris autem vnicum eſſe remedium, & ad emolliendum abſque vlla noxa puerorum ventrem, nec non ad compeſcendam eorumdem pertinaciam, quoduis medicamenti genus reſpuentium, cum ori ſit gratiſſimus, quotidiana à me comprobatur experientia. Qui ſanè & ſi vt quid mirum, & ſingulare in ſecretis apud me extaret, nihilominus Calceolario compatri cariſſimo, pro ſalute publica tutanda, conferre placuit.

Sal ex quinta eſſentia aromatica Cl. Matthioli elaboratus: eaſdemmet qui in re medica præſtat facultates, quibus, & liquor ille aromaticus ab Auctore inſignitur: adeò vt amiſſam loquellam ſub lingua detentus reſtituere valeat, intus aſſumptus morbo comitiali correptis mirificè conferat, nec non humores ſuperfluos in corpore extuberantes eius vſu abſumere potens ſit. Quis plura deſiderat, legat eiuſdem auctoris commentaria in Dioſcoridem. Lib. 5. cap. 7

Sal ex Baccis Iuniperi, efficax remedium, vt ille ex ſuccino paratus, pro comminuendo nimirum calculo, & ducendis vrinis remorantibus, quo etiam ſtatim ante Decocti ex ligno, & ſalſa, ex lege artis præparati, ſingulo mane ex libitionem pro prouocando ſudore in peſtifera illa hac lue Gallica infectis, non ſine euidenti beneficio vti ſolet.

Salem, Alkali vocatum, conſiſtentiæ prædura, coloris cine-

rei, aliqua nigredine obducti, in factitiorum salium classe CALCEOLARIO reponere placuit; vtpote qui, & si eius ope non sit elaboratus, ex planta tamen illa fructitante, & salsuginosa cremata paretur; quam Mauritani Kalim, & Alkalim vocant; vnde Salkali ab ijsdem est dictus: vel vt alij, ex illa fusa, aut ex eiusdem decocto confici soleat: Chymistis, pro suis explorandis amentijs, aptus. Hyalurgis in vsu, pro vitro conflando: nec non & nostris, propter suas, quas agit in re medica, partes; ob vires dessicantes, & abstersiuas potissimum, quibus polet; Notat ingenij excelsi admirandus ille Scaliger, Cardani opinionem de hoc Sale redarguens; *In maritimis Galliæ Narbonensis fruticem reperiri, quem Arabes Kali, nos sodam dicimus, (& hæc erit illa planta, quam Serapio Vsnem vocat) quo trito, & presso, maritimæ illius regionis incolæ id efficiunt, quod Salicornum dicunt, alij sodam, nonnulli Alumen Catini, à Peluis facie in quam distillat succus. Quemadmodum nominant Alumen Zuccarinum à metæ Zuccarinæ fastigiata forma, in quam solidatur materia ex Alumine Rocchæ, oui albumine, & aqua rosacea.* Cl. Matthiolus rei Herbariæ solertissimus perscrutator, ex hac planta duo parari innuere videtur, cineres nimirum fabris vitriarijs, ad vitrum conficiendum inseruientes; nec non ex eiusdem decocto Salem, Alkali à Mauritanis vocatum. Amatus Lusitanus inter medicos sui temporis maximi nominis, ambigit, Salem hunc ex Kali planta Arabum parari hoc sœculo. Ex eius namque scriptis colligere licet, omnem cinerem, qui ex Syria aduehitur, ad conficiendum saponem, & vitrum, ex herba Anthyllide combusta fieri; hodieq; multos ignorare cinerem istum Alkali esse: omnes istas herbas abstergendi vires habere, ac stigmata, & maculas faciei delere, quod ex istis, dum vruntur, liquatur, & tanquam plumbum fluit, cum refrigeratum est, concrescit, & ad instar cineris conglobati videtur; quem etiam Alumen Catinum vocant, ex quo vitra conficiuntur. Hos si quis, an veri sint, experiri voluerit, in ignem conijciat, quod si eliquantur, ac ebulliant, verum Kali esse dicet, sin minus è contra.

Excerc. 104 disp. 18.

Com. in lib. 2 Diosc. c. 112

Enarr. 150. in lib. 3. Dioscor.

Ex

Ex horum cinerum lixiuio Sal Alkali conficitur, & ex vitri materia fluit, & quæ cogitur, axungia vitri hodie nuncupatur; hæc præstantissimus Medicus Amatus. Ex quorum Auctorum dictis quàm facillimè elici potest, non secus ac aurum lapide Lydio experitur, ita Kali plantæ legitimos natales igne dijudicari. Habeas, benigne Lector, Salium varias species hoc loci delineatas, quas & natura dat, & ingenia humana non sine industria excogitarunt; ac eorumdem facultates; quæ, & si paucæ; modò tamen candidamente, vt spero, perlegantur, non nisi periucundi aliquid condimenti animo, & corpori afferre poterunt: quod si quis Sales alios, modò tamen in ijs præparandis ars ipsa suo valeat fungi munere, præ manibus habere exoptat, CALCEOLARIVM non diminutum, & parcum, sed in illis elaborandis semper expeditum, re ipsa dignoscet. Interim differenda non videtur consideratio Nitri, & huius species rimandæ veniunt, quæ diuersis loculis in Musæo propè Sales seruantur. Hoc etenim succi genus, vt Sali sanè cognatum, non multum ab huius natura distat: illud namque si ad gustus sensorium transire permittas, non nisi intensione inter se differre iudicabis. Quod nobis expressè significauit Galenus, inquiens. *Saporem salsum, aut nitroso esse imbecilliorem, aut adstrictionis quoque assumere aliquid, amarumque ex nitrosi prouenire intensione; ambigit enim sapor iste inter salsum, & amarum, estque amaro remissior, & salso intensior.* Hoc idem ex Platone habetur, dum liquorum, & inter hos Salium, & nitri generationem, ac eorumdem naturam perscrutatur: nec non ex Isidori verbis colligitur: dicentis, *Nitrum à loco sumpsit vocabulum. Nascitur enim in Oppido, vel regione Ægypti Nitria, ex quo & medicinæ fiunt, & sordes corporum vbicumque lauantur. Huius natura non multum à Sale distat, habet enim virtutem Salis, & similiter oritur canescentibus littoribus siccitate, cuius spuma Aphronitrum nuncupatur. Colligitur autem in Asia, in speluncis distillans, dehinc Solis ardore siccatur. optimum putatur, si minimè sit ponderosum, & maximè friabile, colore penè purpureo.* Qui verò exactum

Lib. 1. de med. facult. cap. 36.

Lib. 2. in Timæo.

Lib. 16. c. 2.

Lib. 5. c. 89. magis Nitri naturam, eius vires, & quantum in re medica possit, scire appetit: ex Dioscoride habeat: virtutem huic inesse dissolutiuam, attractiuam, abstersiuam, & humoris superflui consumptiuam; ac proinde pinguedinem extenuare, si ore sit acceptum: saniem ventriculi, & intestinorum, ex apostemate procedentem, mundificare: illitum pediculos capitis, & saniem detergere: aurium vermes interficere, nec non eorum saniem peregregiè extergere: intestinorum tormina sedare, si tritum cum Cymino in hydromelite; vel aliquo ex his, quæ inflationes possunt discutere, bibatur: quod nos etiam felicissimo euentu colico dolore correptis, cum Iulepe violaceo, & aqua stillatitia ex floribus Anthemidis, seu Chamæmeli græcorum, multoties exhibentes sumus experti: Nitrum pariter in puluerem redactum, & cum melle linimenti modò compactum faciem clarificare, & decorare, mulieres illæ amplè testari possunt, quæ pro alliciendis hominibus ad gratiam, vt venustiores appareant, nil aliud in animis habent, quam comesticis auxilijs faciem extergendo illam splendidam magis, & pictam habere: vicia cutis, & oculorum cicatrices, vlcera illa albidum oculi circulum infestantia, quæ Græci Argemata dicunt, abolere; venenum mortificare, & excludere, ac ad multa alia mala dissipanda conferre, quæ humana corpora infestare solent, ex eodem Anazarbeo, Auicenna, & Plinio nostro, (vt quamplurimos alios ex Arabum, & Græcorum stirpe non enumerem Auctores) cuiuis legenti patebit: non videtur tamen silentio prætereunda, quæ à Galeno de hoc ipso scriptis sunt tradita. Qui & si varijs in locis facultatem habere exsiccandi, aperiendi, digerendi, & detergendi meminerit, specialiter tamen hæc habet: *Nitrum dictum est supra in medio esse Aphronitri, & Salis virium: cæterum vstum propius ad Aphronitrum accedit, vtpote ex vstione tenuius redditum: dessiccat itaque, ac digerit, & si intra corpus sumatur, secat, & extenuat crassos, lentosque succos, potentius multò, quàm Sal: Aphronitrum verò, nisi grauis vrgeat necessitas, deuorandum non est, nimirum inimicum stomacho; quandoquidem plus etiam nitro incidit.*

[Margin notes: Loc. cit. / Lib. 2. tract. 2. cap. 84. / Lib. 31. c. 10 — beside "ex eodem Anazarbeo, Auicenna, & Plinio"; Lib. 9. de simpl. medic. facult. — beside "specialiter tamen hæc habet"]

incidit. Sanè ad fungos suffocantes Rusticus quidam vti eo assolet, & semper profuisse probatum est: cæterum Nitro vsto simul, & non vsto, & multo magis eius spuma in talibus vti consueuimus: hactenus Galenus. Quibus verbis adductus, non possum, (pace tanti Viri dixerim) non nisi diminutæ memoriæ auctorem illum summè suspiciendum redarguere (quem etiam obseruantiæ ergô nominare non debeo) hic etenim in doctissimis suis scriptis de Nitro agens, ex Isidori mente hæc profert. *Nitrum ipsum, quod haud dubiè ad Salem spectat, venenum est; adeò enim obstruendorum meatuum vim habet, vt plurimum lædat viscera, quin in Leonum, Vrsorumvè ora sparsum tantam vim habet, vt obstructis vitalibus motibus, mordere nequeant;* Hæc auctor ille, diligentissimus rerum naturalium perscrutator. Quæ Isidori verba si exactius sub examinis prælo exposuisset, certè Hispalensem Episcopum non Nitri, sed Chalcanthi naturam, & eiusdem mores exprimere voluisse fateretur, toto namque illo capite ne verbum quidem de Nitro proferens, Calcanthi Etymon, & vires tractans, adeò constrictæ virtutis esse dicit, vt in Leonum, & Vrsorum ora sparsum tantam vim habeat ad stringendum, vt non valeant mordere: & hoc ex Isidori verbis absque fuco, & fraude elicitum: quod etiam gustus sensorio quàm facillimè dignosci licet: Nitrum namque amarum est leuicula acrimonia præditum: Chalcanthum verò austerum; ratione cuius innatæ qualitatis in illo vim valenter astringendi esse gustanti apparet, & ex Galeno liquet. Asclepiadei enim Metrodori opinionem redarguens, quod non omnia adstringentia refrigerent, Chalcanthum, vt Chalcitim, & Misym inter valenter astringentia reponit, quæ tantam assecuta sunt caliditatem, vt nos etiam exurant. Et alibi: *Chalcanthum, vt Chalcitim, Misym, Sorim, Æris squamam cùm simul astringant, & mordicent, secundum vtrasq; qualitates in quoduis admotorum corporum actionem exerere notat.* Auicennas similiter, exsiccatiuum, induratiuum, inspissatiuumquè corporis esse, & in eo constrictionem, adustionemquè existere, scribit: hoc idem experientia ipsa in dies com-

Lib. Originū 16. cap. 12

Lib. 1. de simpl. medi. fac. cap. 33.

Lib. 4. de simpl. med. fac. cap. 7.

Lib. 2. tract. 2. cap. 166

comprobatur: ſi intus namque plus iuſtò aſſumatur, viſcera ita conſtringit, & exurit, vt quidquid humidi radicalis in ijs extat, illud omne exurendo, abſumat; illa eadem proprio innato calore deſtituendo, & viuifici nectaris conſumptiuum imprimendo. Si verò debita quantitate intra corpus exhibeatur, immodicas ſanguinis fluxiones à quauis corporis parte, vti à riuulo quodam deriuantes, mirificè cohibet: acerbo ſapore, quo eſt præditum, linguæ admotum, manifeſtè hæc contrahitur; eamdemque ſiccari, aſperarique contingit; plus certè, quàm ſi fructus præ immaturitate auſteros deguſtaueris: dentes exaſperat, & aſtringit: Sed, quid? non ne Methodicorum Princeps Galenus de illis medicamentis ad curationem vſurpandis agens, quæ noxiam qualitatem cum ea, quæ conuenit, admixtam non habent, Chalcanthum inter præcipua medicamenta adſtringentia, & quæ, deuorata, noxia ſunt, ſicut Miſym, Sory, Chalcitis, Diphryges, Æs vſtum, & ſquama Æris, & Flos, reponit? vt ex ijs clarè patere poſſit, Chalcanthum obſtruendis vitalibus meatibus multò magis poſſe, Nitro ipſo: ac ob id rectè auctor ille feciſſet, ſi Nitri loco, Chalcanthum, cum Iſidoro, dixiſſet, inſigni illa vi adſtrictoria eſſe dotatum. Interim Nitri ſingulas ſpecies recenſeamus.

Lib.13. Meth. cap.20.

Nitrum natiuum aliorum foſſilium modo in terra repertum, durum, & ſpiſſum, vt lapidi non abs re aſſimilari poſſit. Tincar eſt Arabum, ex quo Chryſocolla Græcorum, Borax eorumdem Arabum, Venetijs conficitur.

Nitrum è terra efflorescens, quod tamen in ignem non exilit, ſed bullas attollit, vt Alumen, molle eſt, & laxum, ac in colore candidum, & in ſubſtantia ſpumæ ſimillimum videtur.

Nitrum ſatis denſum, ac durum adſtringentis facultatis non immune, vt meritò aluminoſo ſucco infectum dices. ex Puteolis, non longè à lacu Agnano.

Lib.5.c.89

Nitrum, cui color eſt roſeus, cæteris Nitri ſpeciebus, Dioſcoride ſic acclamante, præferendum, ex Alexandria Ægypti; vnde Nitrum Alexandrinum, ex quo pillulæ illæ conficiun-

conficiuntur, quæ ſub nomine Alexandri, de Nitro diuulgantur, & pro morbo Gallico effrenando, nec non ad antiquatum capitis dolorem, vt & ad quamplurima alia mala diſſipanda ſunt in vſu.

Nitrum & aliud colore roſeo totum refertum, quod ager Neapolitanus profert.

Nitrum in colore flaueſcens, vt auripigmentum imitari dices, cuius prouentus in agro Puteolano habetur.

Nitrum ſatis lucidum. ex Antro quodam diſtrictus Veronenſis, non longè Villula, Calauena vocata, inſtar ſtriarum collectum; quod eò loci pendens, temporis tractu in talem formam ſit concretum, & denſatum.

Nitrum candidiſſimum, & perſpicuum, vt diaphanum videatur: non leui artificio ex terra, ſucci ſalſi, & nitroſi grauida, extractum. Salnitrum nunc temporis, vocatur; ac ſi dicas arte concretum ex ſale, & nitro, ex hoc cum Sulphuris, & carbonis portione puluis ille mirabilis conficitur, quo ad tormenta bellica vtuntur: vtinam incognitus, non enim tot, tantæquè hominum funeſtæ ſtrages, hodierna luce ſequerentur. An verò hoc Salis nitri genus, & ſi diuerſum ab Antiquorum nitro (garriant alij quicquid vellint) fuerit ſub hoc nomine antiquis cognitum, locus ille Platonis in Timæo, non nihil ſuſpicionis in animo facere videtur: cùm dicat, *Ex terra fuſili lapidem fieri, colore nigrum, & ſimiliter ex commixtione quadam, & humoris priuatione, de tenuioribus terræ partibus fieri nitrum, & Salem.* pariter Plinius noſter capite proprio de nitro, ad finem, de Sale nitro mentionem facit, dicens, *Salem Nitrum Sulphuri concoctum in lapidem verti.* Tu, benigne Lector, loca hæc exactè conſidera; quod ſi quæ remanet dubitandi anſa, cùm non omnia poſſimus omnes, & plus poſſit, & plurium induſtria, vt eſt in adagio apud Homerum, conſiderata enucleabis. Interim Alumina, ac eorumdem multiplices ſpecies, quæ in CALCEOLARII aluminoſo horreolo pereleganter ſeruantur, perſcrutemur, hoc enim ſucci natiui genus, à ſuccis illis concretis, qui tamen humore ſoluuntur, non venit ſegre-

Lib. 31. c. 10

Iliados. ιc.

gre-

gregandum quinimmo inter illos enumerandum: cuius substantiam, & proprium temperamentum, (generaliter tamen loquendo) modo scire appetas, gustu ipso, cuius munus est, ex Aristotele, sapores dijudicare; & ex Galeno, vt febres tactu, ita sapores gustu sentiuntur: palàm fiet, acidum namque, & vehementer adstringens, experitare lingua, vt instrumento saporis, qui cum sit rei proprietas, solo gustu, vt eius obiecto, perceptibilis, quam facillimè tibi gustanti, sensu discernere dabitur. Vnde Galenus alumen ἀπὸ τῆ στύφειν hoc est ab astringendo στυπτηρίν à Græcorum schola nuncupatum tradit. Quam sanè qualitatem adstringentem communem esse tàm acido, siue acerbo, quàm austero, succis, ex eodem Galeno liquet, quod etiam ab eodemmet auctore confirmatur dicente. *At quod nos adstringens vocitamus haud temere à Theophrasto dictum reperias. videtur autem idem significare, quod austerum; aut certè commune est genus tùm huius, tùm etiam acerbi.* Acidam verò illam facultatem, quæ huius succi concreti peculiaris, & præcipua est, à succo acerbo, quem Auicennas, & reliqui Arabes Ponticum nominant, per terræ sinus lambente, vt à primo principio, & veluti genitore, suscipit. (acidum namque ex acerbitate per humiditatis acquisitionem generari, clarè nos docuit Galenus, dùm per acerbi saporis exolutionem, nasci austerum saporem, acidum, dulcem, & pinguem, asserit.) Quod etiam exemplo ex fructibus desumpto, absque vlla controuersia comprobari potest. Etenim, detractis prius ab arbore floribus, vt primitijs, fructus formam gradatim acquirentes, initio cum sint lignosi, sicci quoque sunt, simulquè acerbi; verum non ita primum humoris copia affluit, vt indè aciditas in illis percipitur, quam postmodum lento gradu ammittunt, vsquequò ad perfectam maturitatem deuenerint. Alumen præterea hoc peculiáre habet, vt non ex dissimilibus, sed ex eiusdem generis partibus constet, adeò vt vnaquæque pars aluminis sit alumen. Non secus ac vnaquæque pars Rubricæ est Rubrica, vt in superioribus, dum terras ipsas tractaremus, est demonstratum:

Lib.3.Etich. c.10.
6.Epid.p.1. com.29.
Lib.6.de cõp. med.per gen. cap.3.& l.9 de simpl.medic.facult.
Lib.1.de ali. fac.cap.1.
Lib.1.de simpl.med.fac. cap.37.
2.cau.tra.1. cap.3.
lib.4.de simpl.med.fac. cap.8.

Et

Et vnaquæque auri pars eſt aurum, quod ſimiliter de ſuccis alijs concretis, de terræ ſpeciebus, de metallis pariter, ac quibuſdam lapidibus (non omnibus) videre eſt, dantur namque plurimi lapides, qui non ex ſingulis, ſed ex duabus, pluribusvè partibus conſtant, vt ſunt illi, qui maculis varijs ſunt effigiati; qui venis diſtincti ſunt, & qui varietate colorum, varias rerum imagines repræſentant; vtpote, quod in horum concretione varij ſucci in colore diuerſi ſimul coiuerint. Hîc ſit, laconico tamen ſtilo, delineatus Aluminis prouentus; & eiuſdem etymon: quos autem vſus & in re medica, nec non ad alia opera obeunda præſtet, breuiſſimè exponamus. In medicina vim habet adſtringendi, vt ex ſapore elicitur. Tertiò ordine exſiccare, & non vrere, notat Galenus, & quoad qualitates, tertij ordinis ob id eſſe, quia vehementer aſtringit: omnes aluminis differentias vlcera ſatis exſiccare generosè aſtringentes, idem auctor affirmat. Varia cutis vitia curare, & emendare legere eſt apud Dioſcoridem, & Auicennam: quæ ſingula, ne in longum protrahatur ſermo noſter, medicinam exercentibus legenda, contemplanda, ac ad actum practicum reducenda relinquamus. Aurifices alumine purgant aurum: Infectores in aqua coquunt lanas, in qua reſolutum fuerit alumen, nec non etiam pannos, quò fit vt & facilius accipiant, & diutius retineant colores. Sed cum inficiendis claro colore lanis candidum, liquidumquè vtiliſſimum ſit, contra fuſcis, aut obſcuris nigrum, vt Plinius ſcribit; hiſce temporibus infectores, quia liquido carent, fuſcis, aut obſcuris lanis, & pannis ſemper candidum præferunt. Cæterum quæ virtus, præter enumeratas facultates, in hac aluminoſo ſucco concreto, miraculo inſit, vt quid commemoratione dignum, hoc loci recenſere non pigebit: tantam vim in alumine aduerſus ignem reperiri eſt adnotatum in Quincti Claudij annalibus, referente Rodigino, vt, illita alumine materia ſuccendi non poſſit. quod eſſe verum, à Sylla in Archelaum bellante, comprobatum eſt. Hoc idem ab Aulo Gellio refertur; cuius verba hæc ſunt.

Lib.5.de ſimpl.med.fac. cap.27.

Lib.4. d cōp. med.per gen. cap.6. lib.5.cap.82 lib.2.trac.2. cap.68.

Lib.35.c.15

Lib.10.c.10

Lib.15. noc. Attic.cap.1

sunt. *Cum oppugnaret L. Sylla in terra Attica Piræum: & contrà Archelaus Regis Mithridati Præfectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia structam, cùm ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quisse, quod ab Archelao alumine oblita fuisset, verba Quadrigarij ex eo libro hæc sunt: Tum Sylla conatus est, & tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrem vnam, quam ille interposuit, ligneam incenderet: Venit, accessit, ligna suddidit, submouit græcos, ignem admouit, satis sunt diu conati, nunquam quiuerunt incendere, ita Archelaus omnem materiam obliniuerat alumine: quod Sylla, atque milites mirabantur, & postquàm non succendit, reduxit copias.* Hæc ex Aulo Gellio. Legitur etiam, alumen, non solum non admittere ignem, sed etiam eumdem accensum extinguere, immo ipsum esse solum ferè necessarium ad ignem quemdam extinguendum. Strabo hoc perbellè exprimit de Naphthę natura, quæ est bituminis species, agens; postquam de arido Bitumine disseruit. Hæc verba de liquido habet. *At liquidum, quod Naphtham vocant, admirabilem quamdam naturam habet. Nam igni admotum eum corripit, & si corpus eo illitum, igni admoueris, deflagrat, nec aqua vllo pacto extingui potest, sed magis ardet, nisi valde multum superinfunderis: cœno, & aceto, & alumine, & visco oppressum extinguitur. vnde Alexandrum tradunt, experientiæ gratia, puero cuidam in balneo Naphtham inspersisse, ac lucernam admouisse, vt propè puer totus deflagraret, nisi circunstantes multa aqua flammas eiicissent, ac puerum seruassent.* Non me latet, quamplurima alia naturæ miraculo reperiri, quæ vim ignis superant. Larix inter arbores, referente Isidoro, cui etiam Cælius Rodiginus in suis lectionibus antiquis subscribit. *Non solum ex succi amaritate vehementi* (ne desistam ab auctoris verbis) *à carie, tineaque non læditur, verum nec flammam recipit, nec ardet per se, nisi vt saxum in fornacem ad incoquendam calcem, lignis vtatur alijs: nec flammam ideo sic quoque recipit, nec carbonem remittit, sed spacio longiore vix comburitur, quod sit minima ignis, & aêris temperatura. Cognitum id summa Cæsaris admiratione apud Larignum Oppidum, in Padi præripijs situm, ex arboris copia*

Lib. 16. Geograph.

Lib. 17. c. 7
Lib. 10. c. 10

pia nuncupatum, quando ignibus obuallata Turris superfuit citra nocumentum. Hæc Rodiginus. Extat & apud Plinium Alexandrum Cornelium, arborem Conem appellare, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferente, quæ nec aqua, nec igni potest corrumpi. Legitur & apud Varronem, quod pariter à Pierio Valeriano in suis Hieroglyphicis refertur. Familias quasdam in agro Faliscorum reperiri, Harpinos vocatos, solitos medicamento quodam plantas pedum tingere; atque ita per ambustam igni struem ambulantes, non adurebantur. Et ob id S. C. militiæ, omniumque aliorum munerum vacationem habuisse: Recitat pariter Strabo; Castabalis esse Dianæ Persicæ fanum, vbi dicunt Sacras mulieres illæsas nudis pedibus super prunas ingredi: non desunt & alia plurima, breuitatis causa à me ommissa, quæ innata vi igni resistunt, vt Amianthus lapis, & alia, quorum hoc nostro in opere, prout occasio sese offeret, fiet mentio. Tu interim Aluminum species, quæ apud Calceolarium extant, attende.

Lib. 13. c. 22 *Lib. 16. cap. de Salamandra.* *Lib. 12. Geograph.*

Alumen liquidum natiuum, non tamen fluidum, assumi namque in pillulis conformatum potest, teste Plinio, contra lienis vitia, pellendumq; pruritum, ac per vrinam sanguinem. In colore candido, & limpido, quod flauescit, vndequaque succosum, purum, ac sine labe est, nec minus tangentium manus inficit: linguam non tantum astringens, vt Sal, sed dentes quoque obtusos ad huius differentiam, reddens.

Lib. 35. c. 15

Alumen liquidum veluti lutum quoddam satis candidum, in glebas eiusdem coloris, maculis quibusdam conspersas præ vetustate compactum. ex Ilua Insula.

Alumen liquidum, cui color luteus est, manibus tractum, ita mollescens, vt quasi fluere videatur. Ex eadem Insula.

Alumen liquidum crassæ substantiæ, in colore flauum, cui sapor adeò acutus, & astringens inest, vt linguam inficere valeat. Ex foro Vulcanio, non longè à Puteolo.

Alumen concretum, glebosi, & natiui aluminis flos, calculorum expers, graue olens, & sapore perquàm astringenti,

instar glebarum, asserumvè compressum, ac in partes quod scindi potest: qua ratione à Græcis σχιςὴ. à Latinis Alumen scissile: & à Serapione Iamenum nuncupatur. Ex humore, qui fluxerit in longum, & latum, densato, super quem alius, atque alius cum sit fusus, in similem figuram concretum hoc sit formatum: crustas namque hac ratione fieri, patet.

Aluminis concretio candida admodum, sigillatim in capillamenta quædam canescentia efflorescens, ac dehiscens, quòd humor huius succi parens, non in longum, & latum, vt in superiori, sed strictissime, & singulatim in illo figurando fluxerit, & effloruerit. τριχίτης est Græcorum. Latine dici potest Alumen capillare.

Alumen in colore albo, nonnihil palloris, cum quadam pinguedine præseferens, instar globulorum, humore in globum quasi quemdam collecto, & spissato, ex terra aluminosa in formam rotundam, vt bullis turgens videatur, sponte resudans, non autem arte elaboratum, manuvè confictum. Alumen rotundum Antiquorũ. ςρογγύλη Græcorum. sub alumine Strongyli à Plinio descriptum. *Loc. cit.*

Aluminosa terra albi coloris, in globulos huic similes, natura sic dictante, efformata, in qua alumen scissile instar lanuginis effloruisse conspicitur. ex Leucogæis collibus.

Alumen in crustas latas suapte natura conglobatum, quod terræ alumini scissili, haud absimili adhæret, vt meritò alumen scissile nuncupare liceat, & πλακῖτιν Græcorum. ex eisdem collibus.

Alumen solidum, violaceum, quod spirat colorem, ob lateris formam, quam refert πλινθίτης Græcorum erit. Ex Ilua Insula.

Alumen proprij coloris, cui Sulphur aureo colore nitens, in natalibus mixtum cernitur. Ex Monte Puteolano.

Alumen scissile, cui Mysi, in proprio colore flauescens, adnatum cernitur. Ex Monte eodem.

Alumen scissile Melantheria proprio colore luteo gaudens, in ortu imbibitum, quod sanè dum vritur, Sulphur olet. Ex

Boemiæ

Boëmiæ fodinis.

Aluminis rotundi vena, in albo pallefcens, quæ in fuperficie montis Puteolani reperitur.

Alumen factitium pellucidum, ex præduro lapide aluminofo candicante, fornacum ope vfto, poftmodum pluribus diebus irrigato, in agro Romano propè Tolfam elaboratum: ac à fæcibus defecatum, in ligneis receptaculis ad fimilitudinem cryftalli angulofi nucis craffitudine concretum. Alumen Rupeum Cordi. Alumen Rocchæ officinarum. Alumen glaciale Chymicorum; quia inftar glaciei fit coagulatum.

Alumen factitium ex præduro lapide fubrubro, eademmet lege, & eodem loco confectum, quod tamen colorem rubrum in fe continet, nec non faporis eft magis acris, quàm candidum.

Alumen factitium candidi coloris, nucis noftratis craffitudine, in quadrangulam figuram adeò concinne effigiatum, vt meritò fculptum nuncupari poffit.

Alumen factitium ex alumine Rupeo candido, ouorum albumine, & aqua rofacea paratum, ac in congeriem, ftruemvè, in acutum definentem, formatum. mulieribus ad dealbandam faciem in vfu; vt Alumen plumæ, & Alumen fcaliolum.

Alumina ad propria loca dimittamus, & fucci illud genus concretum difquiramus, quod oleo facilius, quàm alio quouis liquore foluitur; cuius natales, cum ex pingui quadam terræ fubftantia (ceu adeps quidam in eius venis validè, & firmè concoctus) habeat, pinguitudinem terræ effe dicimus, quam vis caloris ex ipfa expreffit : Sulphurisquè nomine donamus: quafi (ex Ifidoro) folum vrens: πῦρ enim græcis ignis eft, quòd in in illius compofitione, cum præter pinguem exhalationem, multum igneæ, aëreæquè naturæ in fe conceperit, ideò natura calidum, & ficcum, in fpiritum, fiue nebulam, facilè attollatur, & fublimè fiat, nec non flammæ fufcipiendæ aptum, exurensquè fit, vnde Galenus, Sulphur tanta caliditate præditum effe, fcribit, vt vlcus

Lib. 16. c. 1

Lib. 5. de comp. med. per gen. c. 2.

vlcus exurendò faciat, quibus diutius adhærerit. Harum præterea qualitatum medio, tantam videtur habere cum igne cognationem, vt non modo flammæ, sed & prunis ipsis admotum, statim ignem concipiat, & ardeat; nec vnquam accensum extinguatur, vsquequò pinguis, & oleosa eius substantia igni absumatur, totumquè in fumositatem degeneret. θεῖον à Græcis appellatur, etymologia desumpta, fortasse, quia res diuina iudicaretur, cùm ad domos expiandas, vt quid in natura potentissimum, suffiri solitum venit; vnde Persius ad Mærinum scribens, eiquè modum edocens, quo Iuppiter veniat præcandus, asserens, impunitatem scelerum, non esse argumentum diuinæ gratiæ. Sulphur sacrum hisce carminibus vocat.

Satyra 2.

Ignouisse putas: quia cum tonat, ocyus Ilex
Sulphure discutitur sacro, quàm tuq; , domusquè.

Quem sanè morem, Sulphure expiandi domos, ex Magicæ artis professoribus erutum crediderim, sicuti namque (referente Rodigino) naturalium virtutum adminiculo, ex mutua earum, & opportuna applicatione Magiam exercentes, opera ædere extra omnem admirationis captum consueuere, per mutuam cognationem, quæ disiuncta erant, in vnum conducentes; sic vice versa propter repugnantiam repellebant: vnde mos apud quosdam inualuit, Sulphure, atque Asphalto, & aqua marina loca aspergere, quòd expurgandi vim obtineat Sulphur, propter odoris planè acumen, aqua verò marina propter igneam portionem. Hæc antiquarum lectionum non minus disertissimus, quàm accuratissimus perscrutator Rodiginus. Sulphure quoque, vti etiam Sale, fieri coronas notat Strabo, quæ fortasse pertinent ad illas, quæ ex Platone, in fatidicis sunt incantationes; huiuscemodi coronas, ait Artemidorus, esse natura graues, & habere nihil iucundi, idest somniantibus nihil significare, quo lætari possint, eò quod grauantur à quibusdam supereminentibus. Sed de ijs satis: vti etiam ab instituto nostro alienum, lubens ommitto, quæ de Sulphure à Chimistis prædicantur. Nihil aliud magis in conficiendo au-

Lib. 5. lect. antiq. c. 12

Lib. 12. Geograph
In Eratylo. lib. 1. de som. interpr. c. 79

do au-

do aurum ex non auro, quàm hoc commendantes, & inter mineralia ſummam præſtantiam obtinere dicentes; cùm exiſtiment eſſe metallorum principium, ſplendorem, & colorem ijs afferre; &, tamquam cauſa in generatione apprimè agens, ſit ſemen maſculi, ad argentum viuum ſuum Proteum (quod fœminæ vices gerere aſſerunt) coagulandum. Quicquid de hac re ſit, ipſi videant: caueant miſerculi hi homunculi, ne in ſuis chimæris intumeſcentes, ſublimationibus intenti, fumi inſtar ab igne erumpentis, quæ vident non poſſint accipere; & ſi accepta, non retinere valeant; & cum aliquid eſſe putent, in nihilum omnia reſoluantur, ac ita fortunæ bona, & quæ facultates animales in cerebro vigent, ſimul cum Sulphure in fumoſitates exhalent. Cæterum quas opes in re medica diſtribuat: ſuccintè habeas. *Loc. cit.* Notat Iſidorus, Sulphuris tantam eſſe vim, vt morbos comitiales depræhendat nitore ſuo (alij nidore) cuius flamma ſi directè ad vultum hominis repercutiat, dirum, & horribilem pallorem in oculis aſpicientium generare ad ſimilitudinem defunctorum: vnde, & apud Plinium de Sulphure hæc verba extant. *Lib. 35. c. 15* *Luſit & Anaxilaus eo candens in calice nouo, prunaquè ſubdita circumferens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente conuiuijs.* Huic ſimiliter virtutem ineſſe diſſoluendi, conſumendi, attrahendi, acuendi, attenuandi, & recuperandi, non modò ex Galeno varijs in locis. Sed exactè magis in libris de ſimpl. medicamentorum facultatibus. *Lib. 9. cap. propr.* Verum etiam ex Dioſcoride, & inter Arabes ex Auicenna habetur; *Lib. 5. c. 83* qui ſinguli calidum, & ſiccum, in quarto gradu, atque eſſentiæ tenuis conſtituunt. *Lib. 2. tract. 2. cap. 612* tuſſim prohibere, Epilepticos iuuare, quia vi abſtergendi pollet, pruritus cum nitro purgare, & ſedare. quia extrahendi vi præditum, venenis obuiam eſſe, & mederi ictibus Scorpionis marini, Turturis, & Draconis. Lethargicos ſuffitu excitare, articulari morbo detentis, podagricis, & paralyticis præſto eſſe; modò tamen opportuno tempore, & congrua norma vſurpetur, affirmant. Ad quæ exequenda, viuum, cuius color luteus reſplendeat, quod transluci-

dum

dum ſit, nec in duritie lapideſcat, cæteris quibuſcumque alijs anteponendum, & eligendum venit. Quæ ſingula penes CALCEOLARIVM cuſtodiri ſcias, & deſcripta hoc loco habeas.

Sulphur natiuum auro in colore non poſtremum, purum, ac ſincerum, & in glebæ morem conuolutum; cui ſapor eſt ſub pinguis, ſed iniucundus, odor adeò grauis; vt vſtus nares feriat, ſimilisquè videatur euaporationibus illis, à locis fulmine ictis, eleuatis. Vt & ſunt cætera alia Sulphurum genera. Rarum, & leue eſt, quod aëream humiditatem, & pinguedinem vſtibilem à natura habeat. Hoc ſanè, Viuum à Dioſcoride dicitur, quod vnum vſui competit Medico: ἄπυρος eſt Græcorum, ac ſi dicas, vt notat Celſus, Sulphur ignem non expertum. Non enim hoc genus Sulphuris vllo egèt ignis adminiculo ad ſuperflua ſeparanda. Quia purum, & omni immunditia vacuum in terræ viſceribus concreſcit. Ex Boëmia.

Lib. 5. c. 83

Sulphur Viuum. ex Peruanæ Prouinciæ fodinis aureis erutum, ac in Muſæum CALCEOLARIVM tranſportatum, inter præſtantiſſima Sulphuris genera cenſendum; quod in colore fuluo aurum puriſſimum æquare videtur, ac ita pellucidum eſt, vt vitrum æmulari dicas. Ex huius maſſa, quæ veluti Vermiculis, in vnum conglobatis, inſtar Alcyonij tertij à Dioſcoride deſcripti, tota non ſine ſpectantium admiratione viſitur, nullus odor ſulphureus ſpontè ſpirat: quod ſi illius puſilla portio lucernæ admoueatur, fumus ſtatim viridis; odorem ſummè ſulphureum eructans, nares ferit.

Lib. 5. c. 94

Sulphur foſſile tàm in ſuperficie, quàm parte interna nigricante colore dotatum, minimè translucidum. Operarijs illis inſeruiens, qui à fouendis aqua calida veſtibus, & ijs purgandis ex Plauto in Aul: Fullones dicuntur; quod Sulphuris genus intellexiſſe crediderim Plinium: cum, poſt viui enumerationem, inquit. *Alterum genus appellant Glebam Fullonum, tantum officinis familiare*. vt pote quod inſtar Glebæ ex natiuo ſolo effodiatur; & Fullonibus in vſu ſit.

Lib. 35. c. 15

Sulphur

Sulphur foſſile cinerei coloris, non nitens, Fullonico vſui & hoc accommodatum.

Sulphur foſſile eleſtro ſanè vt videatur in colore ſimile, cum tamen pallidius magis ſit, & ad viridem colorem vergat, vt Sulphuris viridis nomen mereatur.

Sulphur foſſile impurum, quod terra ſit infectum, forma veluti pumicoſum, gleboſumvè apparens, in quo tamen tenues ſcintillæ aureo colore lucentes, ad Solem emicant. Ex Puteolano.

Sulphur foſſile in proprio colore denſum, lapidi innatum, vt iure lapidoſum vocari poſſit. Ex eodem loco.

Sulphur foſſile cinerei coloris, ſatis denſum terra fortè atramentoſa infectum, linguæ namque admotum, neſcio quid acerbi ſaporis ſpirat: in quo tamen partes aliquæ luteum colorem exprimentes, à natura impreſſæ viſuntur.

Sulphur foſſile in candido cinereum; fortaſſe quia in excoctione maiorem exceperit aduſtionem, quàm par eſſet, ex planicie Sulphurea, inter Puteolos, & Neapolim.

Sulphur natiuum ſolidum ob luteum colorem modicè nitentem, Apyro haud abſimile. Ex Puteolano.

Sulphur foſſile, candidum quod reddit colorem, fortaſſe quia, vt ex guſtu percipitur, Aluminis quidpiam admiſtum habeat. Ex eodem loco.

Sulphur foſſile, in quo color rufus, & ita pellucens conſpicitur, vt argentum rude rufum eſſe dicatur: Ex Boëmiæ fodinis.

Sulphurea terra Neapolitana, ex qua Sulphur ex coctione extrahitur.

Sulphureus lapis colore nigro, & rubro infectus; quem ſi Sulphuris parentem vocites, metallicis operarijs aſſenties.

Sulphur non viuum, ſed πεπυρωμένον Græcorum, quòd ignem ſit expertum, oleo namque incoctum igne perficitur, referente Plinio. Lanis molliciem, & candorem afferre tradens; *Loc. cit.* cui pariter Egulæ nomen tribuit.

Sulphur ignem expertum, magis virens, quam ſuperius notatum, teres cui eſt figura, quod in fiſtulas harundineas tran-

Corolarij lib. 5.cap.919

ſcolatum creſcat in hanc formam: ad Ellychnia conficienda maximè vſurpatum. Cauton quorundam. Ex Hermolao.

Sulphur factitium forma rotundum, quod guttatim per foramina ollarum diſtillans in hanc formam concreſcit.

Sulphur factitium, ex Sulphure, & ſquamma ferri ſimul miſtis, ac in vrceos transfuſis, arte elaboratum. Sulphur Caballinum officinarum, quia equorum ſcabies hoc ſanetur.

Sulphur cum argento viuo arte Chymica ſublimatum, ac in pigmentum rubicundiſſimum tranſmutatum. Cinabrium officinarum.

Eſt, vt alter ſuccus pinguis, naturali cognatione, cum Sulphure iunctus, ſub hac claſſe deſcribatur, quem Latini Bitumen, Græci ἄσφαλτον nominant, non adulteratus, ſed vt vt ex Aſphaltite Iudeę Lacu expiſcatus, inter ſuccos bituminoſos in Muſæo reconditur; quod ob præſtantiam, & bonitatem ponderoſum eſt, ac validum, vt tetrum dices, odorem vibrat: vndè Lucretius.

Lib. 6.

Nonne vides etiam terra quoq; Sulfur in ipſa
Gignier? & tetro concreſcere odore Bitumen?

In colore nigro purpuraſcens ſplendet; ob familiariſſimam cum igne ſubſtantiam facilè hunc concipit, atque ex interuallo trahit; quòd huius tota temperatio præter pinguem materiam, ex qualitate aërea, nec non ignea participet. Et quamuis ex Sulphuris proſapia, ob ſucci ſympatiam, eſſe videatur; non tamen illius ſubſtantia naturæ viuentium adeò aduerſa, & pernicioſa eſt, vt Sulphurea ipſa, cùm plantæ quædam (ſic Plinio noſtro dictante) vt Fraxinus, iuxta fontem igneum Bituminis vireant; vti etiã quàmplurimis alijs in locis vita ad ſuum tempus, abſque pernicie frui conſtet; quod ſecus euenire in Sulphureis locis videmus, in quibus halitus Sulphurei omnibus viuentibus deleterij admodum, pernicioſiquè ſunt. Poſtquam autem in Iudaicum hoc Bitumen incidit ſermo, placet quæ de eo à probatis auctoribus ſunt literis tradita, breuiter enarrare, vti etiam,

Loc. cit.

cum

cum admiratione non careat, aliquid de Lacu ipſo Aſphaltite his ſcriptis tradere. De Bitumine apud Solinum hæc extant verba. *Bitum, ſeu Bitumen eſt in Iudæa, quod Aſphaltes gignit Lacus, adeò lentum, mollitie glutinoſa, vt à ſe nequeat ſeparari: enimuerò ſi abrumpere partem vellis, vniuerſitas ſequetur; ſcindiquè non poteſt, quoniam in quantum ducatur, extenditur; ſed vbi admota fuerit, cruore illo* (menſtrualem ſanguinem intelligit hic auctor, toto namque illo capite de menſtruis ferè tractat) *polluta fila diſcerpitur ſponte, & applicata tabe deducitur, paulò ante corpus vnum, pingue de tenacitate connexa contagione partitione repentina: Habet planè illud ſalutare ſolum in ſe, quod auertit Sydus Helenæ pernicioſiſſimum nauigantibus.* Hæc Solinus. Vitruuius pariter conterraneus noſter, de aquis calidis agens, & quas habeant vires à diuerſis metallis prodeuntes, nec non Lacuum naturam exprimens. *Sub Babylone*, inquit, *Lacus ampliſſima magnitudine Aſphaltites appellatur, habet ſupranatans Bitumen liquidum, quo, & latere teſtaceo ſtructo muro Semiramis Regina circumdedit Babylonem*, (Naphtham intelligendam crediderim: non Bitumen illud ſolidum, & compactum, de quo ſupra) Ex Iſidoro etiam habetur; *Bitumen terram eſſe glutinoſam, quæ iuxta Lacum Aſphaltitem in Iudæa reperitur, cuius natura eſt ardens, & igni cognata, vt nec aqua, nec ferro rumpatur, niſi ſolis muliebribus inquinamentis.* Nihilominus Strabo, ex Poſſidonio refert. *Huius Lacus accolas magicos homines eſſe, incantationes quaſdam facere, & lotia, & alios huiuſmodi fœtidos humores inſpergere, quibus Bitumen coagulatur, poſtea inciditur.* Cui & Ioſephus adſtipulari videtur. Dum Bitumen hoc, lotio aſperſum, ſecari ſolere aſſerit: quis plura? legat & Plinium. Quod ſi Lacus huius Bituminoſi, ſuccinctam tamen, habere deſideras deſcriptionem: ſcias Lacum eſſe Iudææ in Pentapoli, vt ex hiſtoricis colligitur: cuius locus ex conuerſione Vallis illius, in qua erant Sodoma, & Gomorrha, & tres aliæ Vrbes, quæ propter nefandam populi luxuriam cœlitus exuſtæ fuerunt (vno Loth Dei ſeruo erepto) in Lacum hunc conuerſus eſt. Idem & mare

Memorab. cap. 3.

Lib. 8. c. 3

Lib. 16. c. 2

Lib. 16. Geograph.

Lib. 4. de Bello Iud.

Loc. cit.

mortuum ex Isidoro vocatur. Cuius rei rationem hisce verbis affert. *Quod nihil gignit viuum, nil recipit ex genere viuentium. Nam neque pisces habet, neque assuetas aquis, & lætas mergendi vsu patitur aues; sed & quæcumque viuentia mergenda tentaueris, quacumque arte demersa, statim resiliunt, & quamuis vehementer illisa, statim excutiuntur. Sed neque ventis mouetur, resistente Bitumine turbinibus, quo aqua omnis stagnatur, neque nauigationis patiens est, quia omnia vita carentia in profundum merguntur, neque materiam vllam sustinet, nisi quæ Bitumine illustratur. Lucernam accensam ferunt supernatare, extincto lumine demergi:* Hæc ille. Cui etiam Plinius subscribit. Hunc pariter Lacum, Aristotelē intelligere voluisse puto; dum in Meteoris rationem adferens, cur dentur quidam Lacus, qui nullos pisces habent. *In Palestina*, dicit, *Lacum esse vehementis amaritudinis, atque salsedinis, in quo nullus extat piscis, quòd ibi nullum sit subtile alimentum:* Non enim (vt ex historicis constat) vllus alius Lacus in Palestina est, cui hoc proprium sit, præter Asphaltitem. Sed Iosephi testimonio finis imponatur naturæ, & admirandis huius Lacus, neminem enim inueni, qui politiori calamo, præter hunc auctorem, rem hanc descripserit: Cuius verba ad literam hic annotare placuit. *Commemoratione autem dignum puto, Asphaltitis quoque naturam exponere Lacus. Is enim salsus quidem, & sterilis est, nimia verò leuitate, etiam quæ grauissima sunt, in eum iacta fluitant, demergi autem quis in profundum nec de industria facile potest. Denique Vespasianus, qui eius visendi causa illuc venerat, iussit quosdam natandi inscios, vinctis post terga manibus, in altum proijci: & euenit omnibus, tanquam vi spiritus sursum repulsos desuper fluitare. Ad hæc mirabilis est coloris mutatio, quæ ter in singulos dies superficiem vertit, & Solis radijs variata resplendet. Multis autem locis vomit nigras Bituminis glebas, quæ super vndam & habitu, & magnitudine tauris sine capitibus assimiles natant. Ad eas autem cùm Lacus exercitatores accesserint, nacti quod aggestum est, ad naues trahunt: & quia lentum est, repletas eas abrumpere nequeunt: sed quasi religata scapha, pendet à cumulo donec*

Lib.13.c.19

Lib.5.cap.6

Lib.2.cap.3

Lib.5.de Bello Iud.c.5.

donec menstruo mulieris, atque vrina soluatur. Est autem vtile non modo ad compagines nauium, sed ad corporum etiam curationem multis remedijs admiscetur. Hæc de Lacu Asphaltite habeas, quod si plus iusto prolixior fuerim, id vnum rerum varietati attribuendum scias; quæ animos hominum, ob oblectamentum, quod ex illa percipitur, ad varia tàm dicenda, quàm scribenda allicit. Tu interim Galenum, & probatos alios auctores, de hoc ipso Bitumine scribentes audias, & finis esto. *Optimum verò* (dicit Galenus) *Bitumen in mari, quod mortuum vocant prouenit. Est autem id Stagnum in caua Syria. Cæterum medicaminis ipsius vis est, tùm resiccatoria, tùm excalefactoria in secundo ordine. Meritò itaque vtuntur & ad glutinationes vulnerum cruentorum, & ad alia omnia quæ exsiccari debent, cum modica excalefactione.* Hoc idem ex Dioscoride habetur. Cuius etiam vires nobis significauit Auicennas, cùm dicat. *Virtutem eius esse propinquam virtuti picis, & ipsum confortare membra. Sanguinem congelatum in ventre liquefacere quando bibitur.* Vulnera colligare, neruosque conglutinare, & ad pleraque alia conferre notat, cuiuis breuitatis causa legenda relinquens. Quanti etiàm ob incorruptam eius vim, & aquis contumacem, Bitumen ipsum valeat, in conseruandis lignis, & à tineis, tenedineue, atque alijs vitijs præseruandis, qui naues agunt præcipuè hoc attestari possunt: in dies namque experiuntur, illud non permittere, humorem noxium ligna combibere, neque aërem penetrare: Hoc vnum superaddere iuuabit; Bitumen quandoque in Sacris Literis charitatem designare. Id quod elegantissimè de more tradidit Benedictus Perrerius, eruditus Societatis IESV Theologus, loquens allegoricè de Arca Noe. *Hæc ligna* (inquit) *intrinsecus, & extrinsecus Bitumine liniuntur. Vult enim te, Architectus Ecclesiæ CHRISTVS, non esse talem, quales sunt multi, qui deforis apparent hominibus iusti, intùs autem sunt sepulchra mortuorum: sed vult te corpore Sanctum esse exterius, & corde intrinsecus purum, cautumque, vndique & castitatis, atque innocentiæ munitum: hoc enim est intrinsecus, & extrinsecus Bitumine*

Lib.11.de simpl. medi. facult.

Lib.1.c.88

Lib.2.tract. 2.cap.114.

Lib.10.com in Gen.n.88

Allegoricè quid Bitumē

mine eſſe oblitum. Vel ſignificatur in compage vnitatis tolerantia charitatis, ne ſcandalis Eccleſiam tentantibus, ſiue ab ijs, qui intus, ſiue alijs, qui foris ſunt, cedat fraterna iunctura, & ſoluatur vinculum pacis. Eſt enim Bitumen feruentiſſimum gluten, ſignificans dilectionis ardorem in magna fortitudine ad tenendam ſocietatem ſpiritalem. Hæc Perrerius.

Bitumen & illud, & ſi vulgare, hic annotatum ſit, quod ex Apollonia Cypri, quam vulgus hominum Valonam vocant, ad nos tunc temporis tranſportatur, nigrum eſt, exili quadam amaritudine guſtatum commouens; cui in re medica non deſunt vires, de quibus Plinius: nec non picandis na-
Lib.24.c.7 uibus pineæ pici commiſtum, eſt aptum. πιττάσφαλτος à Græ-
Lib.1.c.85 cis nominatur. Ab odore picis, & Bituminis quem naturaliter olet, vt rectè ſentit Dioſcorides. Non quod, vt ſcri-
Loc.cit. bit Plinius (neſcio quem ſequutus) ex vtraque naturali-
Lib.35.c.15. ter conſtet: inquiens. *Eſt & Piſſaſphaltos miſta Bitumine Pice naturaliter, ex Apolloniatarum agro.* Hanc ſanè Bituminis ſpeciem, quippe quæ multis in locis è montibus deuoluta, fluitat in oſtijs fluuiorum, propriè Mumiam eſſe
cap. 283. Serapionis, non eſt, vt quis dubitet. Etſi & hic Auctor compoſitionem illam ſub hoc nomine conſtituere videatur, qua mortuorum corpora antiquitus condiri ſolebant, ne in ſepulchris putreſcerent. Poſtquam autem in hanc rem incidit ſermo. Duplicem in hoc condimento parando, inuenio ſeruatum fuiſſe ordinem: Vnum quidem magis communem, qui ex Pice, & Bitumine conſtabat, vnde Piſſaſphaltos dicta: qua infimæ claſſis homines corpora aduerſus
Lib.16.Geograph. corruptionem munire conſueuiſſe tradit Strabo. Alter verò (& hic nobilior erat) ex Myrrha, Croco, & Aloè, atque etiam Balſamo conficiebatur, res ſanè longè vtilior, atque præcioſior ſuperiore. Nobilibus tantummodo in vſu, quorum effodere corpora, capitale erat. Mumiam Sepulchrorum Arabes, Syri, & Ægyptij vocabant. Et hęc potiſſimum ob vim miſturæ, tàm in potu exhibita, quàm extrinſecus admota aduerſus affectiones corporis frigidas, ad capitis dolorem inueteratum, & vertiginem, ſummè laudatur,

ruptis, & ex alto contusis mirificè prodesse, qui artem medicam exercent, attestari possunt, vt & sanguinem sistere reipsa comprobatur. Etsi non desint Viri, in re medica tractanda maximi nominis, qui hoc genus condimenti, vt humano generi plurimũ abominandum, & vt detestabile, ab officinis arcendum, & potionibus omninò interdicendum esse censeant, cuius vice Bitumine Iudaico, cùm omnia alia Bitumina eiusdem generis excellat, modò sincerum, nec vlli rei permistum haberi possit, vtendum consulunt. In cuius defectu picem siccam in vsu esse posse, dicunt, cum substantiæ similitudine inter se non discrepent, nec non eisdem in siccando, & calefaciendo insigniatur viribus, & ad glutinanda vulnera potens sit, æquè ac Bitumen Iudaicum. Aut liquore illo, quod Petreolum vocatur, ex Siculo agro, & tunc temporis ex monte Gibbo districtus Mutinensis transportatum: nihilominus experientia ipsa, quæ rerum est magistra, & qua singula, vt aurum igne, explorantur, comprobatur, Mumiam ipsam, absque vlla humani generis noxa intus assumptam, ad ea adprimè valere, quæ superius sunt annotata. Et hæc obiter, cum & plurima alia à veris medicis dogmatibus haud aliena in re proposita, deduci possent.

uccis Bituminosis iam prænarratis, illud Bituminis genus connectam, vt Musæi ordini incœpto insistam, quod Asphalthi veluti flos esse videtur, & Naphtham Babyloniæ populi vocant. Pingue, & olei instar fluidum est. Sulphur validissimè olet, & subacris est saporis, in colore nigricante rufescere quodammodo videtur: cuius uis admirabilis, quia plus in ea est ignis, quàm in Sulphure, & Bitumine, plus etiam ijs adeò ignis est rapax, vt ex spacio protinus flammam in illam transiliat, quod facillimè comprobari potest ex Plinio nostro in naturali historia, quo loci inuentum Medeæ insignis incantatricis narrat: quæ vsu huius Bituminis pellicem Creontis filiam, postquam ad aras sacrificatura accesserat, cremauit, corona igne correpta (& si radicis cuiusdam vi à Lib.2.c.105

Circe

Circe doctam, incendium id creasse Diodorus dicat) vndè Naphtham, Medeæ oleum Græci appellant: & fortasse hoc erit illud celebratum Medeæ pharmacum, quod ignibus admotum inardescebat: constabat autem (referente Rodigino ex Plinij mente) ex Sulphure, & Asphaltho humectiore, quod Naphtha est) Cuius etiam exurentes vires, vt habetur ex Dione in Pompeio. Malo infortunio, Luculli milites Trigonocerta obsidentis, experti fuere. *Barbari namque* (sic scribit hic Auctor) *eum grauibus incommodis affecere, non solum coniectis telis, sed etiam Naphtha, quam tormentis quibusdam emittebant*; subdens, *Naphtham ex genere Bituminis esse, vsque adeò ardentem, vt omnia, quibus adhærescit, prorsus exurat. Nec vlla re humida prorsus extinguatur*. Huic eidem infortunio obnoxij fuere Seueri Imperatoris milites in Atræ obsidione, vt ex Ioanne Xiphilino è Dione in Seuero colligi datur: quo loci ob quamplurima damna à Barbaro equitatu Arabum, & Atrenis longissimè iaculantibus, Seuerianis data. Naphtham iniecisse in eos dicit, qua machinæ, militesq; omnes, quos attigit, conflagrauerunt: Alexandri illius Magni experimentum, puero illi in balneo existenti paratum, ne eumdem lapidem reiteratis vicibus reuoluere videar, silentio preteribo, cum iam de eo in aluminum tractatione facta sit mentio: hoc vno contentus, tantam in hoc Bitumine naturaliter insitam esse potentiam, vt Plutarchus in Symposiacis, agens de his, qui fascinare dicuntur. Perbellè illis aptare posse, dixerit, qui in re amatoria ex mutuis obtutibus valdè adficiuntur, cũ formosorum corporum adspectus, non secus ac Naphtha, quæ ex interuallo ignem ad se rapit, etiam à longinquo respicientium ignem in animis amore captorum accendat. Sed difusè satis de Naphtha. Modò Bitumen illud sub examine ponatur, quod Succinum dicitur. Sic à nonnullis nuncupatum; quod ex succo concrescat, non quidem arborum, vt hi putarunt: cùm in Pomeriana, & Prussia (teste Munstero) à mari nullæ stent arbores resinam stillantes, vbi plurimum legitur Succinum: Non Sophoclis concretæ lacrymæ Melagrium Auium, Melegrium deflentiũ: Non Lyncis, seu Langig

Lect. antiq. lib. 15. c. 13.

Lib. 35.

Lib. 5. qu. 7.

Succini consideratio.

Lib. 3. c. 483.

bestiæ

beſtiæ glaciata vrina, vnde ipſi Lyncurium appellant. Non Dionyſij, & Euripidis lacryma Populi arboris condenſata. Nec Plinij Pineæ arboris ſuccus: cui aſſentiri videtur Olaus Magnus natione Gothus in eius hiſtoria rerum Septentrionalium hæc ſcribens. *Abietes, ſeu Pineæ arbores natura ſua reſinoſæ, excelſa proceritate ſiue ſuper littora maris, ſiue ſuper riuos, vel alias Syluarum decliuitates creſcentes, ſuccinum ſudant, maximè dum maturis frugibus, Solis feruor torrentibus ipſis Iunio, Julioq; menſibus incendioſior, Cancri, atque Leonis tetigerit metas, tùm iſtæ arbores æſtu valido fiſſis corticibus, ſuccinum ſui liquoris in ſubiectos latices, fluuiosq: indurandum emittunt, ſicque ſtillando quodcumq; obiectum corpus ſui tenacitate, tamquàm glutinum inuoluit, quo fit, vt Ranæ, Mures, Culices, Muſcæ, Ariſtæ, Legumina, & his ſimilia, à reſinoſo hoc viſco rapta inuoluantur, ac indurentur, &c.* Quod etiam videtur comprobatum à Sancto Baſilio, cum dicat. *Succinum, ſeu Electrum plantarum ſuccum eſſe in lapidis naturam concretum.* Nihilominus fabulentur Poëtæ quidquid vellint, machinentur & alij de huius origine, quæ illorum ſint votui: magis mihi arridere videtur Georgij Agricolæ opinio, qua difusè ſatis, & doctè ſignificatur: Succinum terræ ſuccum pinguem, ſudoremq; eſſe, non quoduis aliud (ardet namque) & illum bituminoſum potius, quàm ſulphureum, vi caloris terreni, ex pinguibus terris expreſſum, qui poſtmodum per meatus ſubterraneos, & terræ venas, aquarum medio, quæ has lambendo madefaciunt, in mare feruens adhuc, deuolutus, hinc illinc à fluctuum impetu tamdiu agitatur, & concutitur, quoad maris frigiditate concreſcat, & eiuſdem ſalſedine alteretur: ἤλεκτρος à Græcis dicitur, quoniam digitis, & fortè melius panno rudi, aut alia quappiam re dura attritum, accepta caloris anima (tamquā Magnes ferrum) ſic & ipſum ſpecifica ſua virtute attrahit, allicitq; ad ſe paleas, plumas, folia, omniaquè leuia, ocimo dempto (ex Plutarcho) & ijs quæ oleo ſunt perfuſa: ex quo etiam ἅρπαγα ab ijſdem dicitur. Carabe Perſarum eſt, quod Princeps Abolai, rapiens paleas interpretatur, Ambra Arabum, Gentarum Pruſſiorum, Smalternium Scytharum, Sacul

Lib.37.c.3
Lib.12.c.8
In Exem. Hom.5.
Lib.4.de nat.foſſil.
Lib.2. Sympoſ. quæſt.7.

Ægyptiorum, & Veterum Germanorum Glessum, hoc est vitrum, quia vitri instar pellucet. Species modo huius Bituminis speculemur, quibus CALCEOLARII Musæum ornatum cernere est.

Succinum Prussium, præ candido colore conspicuum, inuentu rarum; tangenti substantia durum seipsum denotans, leuissimum tamen: quod commansum gustantis linguam singulari afficit dulcedine, quam in reliquis alijs Succini speciebus non percipies, cùm illa aut omninò careant, vel exigua sint præditæ: attritu odorem fragrantissimum, & adeò naturæ amicum, & gratissimum spirat, vt eius suffitu Epilepsia, & vertigine, necnon animi deliquio, & Syncope correpti, reuocentur, & excitentur. Quoniam verò leuiter calefaciendo exsiccat, & illiniendi vim obtinet, ideò intus assumptũ ad humidos capitis morbos valet, alui fluores, ventriculi vomitum, capitis distillationes, & sanguinem vndecumque profluentem sistit: & quamuis Galenus nullam de eo mentionem fecisse videatur in libris de simplicium medicamentorum facultatibus; nihilominus in libris de compositione medicamentorum secundum locos, de reiectatione sanguinis agens, ex mente Asclepiadis, quæ ad Hęmoptoicos ad verbũ transcripsit. Pastillum ex Succino paratum refert, quem Hæmoptoicis, longo tempore tussientibus, & recenter Phtisicis, Anaphoricis, Suppuratis, Cœliacis, Dysentericis, & inflatis conferre tradidit. Pesti, & omnium venenorum generi resistere creditur: viscera roborare, & cæteras corporis partes, cordi vtile esse, necnon eius tremori mederi, est in confesso: ex vino albo cum modico Groci, & Schœnanthi ad dragmæ dimidiæ pondus deuoratum, partum accelerare, fœlicissimo euentu, in dies prout occasio sese offert, experimur. vti ad quamplurima alia pro tutanda, & præseruanda familia corporis humani, conferre patet: quod verò de Succini albi viribus sunt proposita, crediderim & Succinum potissimum fuluum, in operationibus hisce obeundis non infimas habere facultates.

Lib. 7. cap. 4.

Succinum fuluo colore Falernum vinum imitans, quamuis leue, durum

durum tamen, ac valdè perſpicuum, cui odor ſuauis admodum,& ſapor dulcis ineſt: in quo Formicæ, Culices,& Papilio, veluti in alueo incluſæ, vt quid miru dignum, conſpiciuntur: fortaſſe quia (vt notat pariter Agricola) ſingula hæc animalia in liquidum Bitumen, aut cum ex terra efflueret, vel irrepſerunt, vel inciderunt, aut cum iam in mare influxiſſet, innatarunt, atque ſic incluſa, incautè remanſerint, & ſimul cum eo in lapidem ſint mutata. Vnde Martialis. *Loc. cit.* *Lib.6.c.15*

Dum Phaëtontea Formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem Succina gutta feram.

Succinum, & aliud fuluum, translucidum, & à quouis ſucco turbido ſegregatum, in quo aqua intus hærens ad motum fluctuare viſitur.

Succinum colore fuluo Auri colorem æmulans, nata perſpicuitate pellucidum, odorem ſuauem, & fragrantem, qui nonnihil Myrrhæ olet, ſpirans.

Succinum in candido palleſcens, non pellucidum, fortaſſe quia medio caloris ſubterranei à materia terrena craſſa, & pingui non ita petfectè exprimi potuerit, vt nitorem in ſe contrahere fuerit potens, ſed in propria ſubſtantia palleſcens, luciditatis omninò expers remanſerit.

Succinum nigrum, & illud ſine pondere, ex cuius ſuffitu odor adeò ingratus dimanat, vt caput ipſum ex fumo euaporante, ſatis intenſo dolore, abſque mora vlla detineatur. Sammothracia Gēma Plinij; quam Sammotrhacia Inſula dat nigrū, ſine pondere,& ligno ſimilem: Ambra nigra vulgò: cuius maximus eſt in Compoſtella Hiſpaniarum regione prouentus, & ex quo non modò Imagines Diuum Iacobum (cuius ſacratiſſimum corpus illa in regione ſumma cum veneratione cuſtoditur) repræſentantes fiunt, quas Peregrini,& Heremitæ religionis gratia capicijs appenſas portant. Sed & globuli torno formantur, coronis præcarijs in vſu. *Lib.37.c.10*

Hucuſque de Succis illis concretis, qui verè bituminoſi ſunt ſermo eſt habitus. Poſtrema tandem manus ſecundæ huic Sectioni bitumine illo imponatur, quod ſanè cùm inter ignobiliora bitumina, ob nataliū impuritatem enumeretur, inter

postremas pariter sedes locandum venit. Carbo inquam ille fossilis, qui à re ipsa denominationem sumpsisse videtur. Fabris namque ferrarijs quamplurimis in Germaniæ locis ad sua munera obeunda, Carbonum loco inseruit, cui ardenti paulatim aquas, vt cæteris carbonibus artefactis, instillant, ne ignis eos citò consumat: quò etiã ob lignorum penuriam (cum huius copiosissima sit messis, reperiuntur namq; montes, & syluæ bituminoso hoc adusto succo prægnantes) Galliæ, Barbantiæ, & Germaniæ accolæ ad ignem parandum, ac eũdem fouendum vtuntur. Hîc, & si vt cætera bitumina in terræ sinu ex succo pingui cum sulphure iuncto oriatur; nihilominus vi ignis occlusi adeò exustus, consumptusve redditur, vt penè deperdita pingui illa, & aërea, igneaquè substantia, quam in natalibus contraxerat, in ignobile Bitumen degeneret, nec solum præ colore nigro à nimia combustione acquisito, non secus ac ligna ipsa vi ignis, extinctis prius prunis, in carbones demigrare videmus, sed etiam ob leuitatem, & quod friabile sit, quia siccum, & à calore igneo in terra consumptum, meritò carbonis nomen est adeptum: Gagates imperfecta à quibusdam nuncupatur, cum ex eodem fiat succo bituminoso, quo & Gagates, attamen cum præ nimia combustione, duriciem, & ligneitatem illam Gagati peculiarem acquirere non potuerit. Gagates imperfecta dicitur. Vti & Bitumen Boëmicum, quod in Boëmiæ Bituminosis fodinis reperiri sit solitum.



SECTIO TERTIA.

IN QVA GEMMÆ, ALIORVM LAPIDVM MVLTIPLICES SPECIES.

ET QVI A NATVRA SVNT EFFIGIATI RECENSENTVR.

SECTIO TERTIA.



EST, vt naturæ plurimum debeamus, quæ, siue per terrena spaciari mente liceat, seu maris fruges, quotquot sunt, contemplemur; non vt Nouerca, quinimò vt fœcundissima, benignissimaquè Mater, res numero infinitas in hunc potissimum finem videtur elargita, vt vsui, commodoquè humani generis inseruire valeant: quam sanè immensam munificentiam, dum maris alumnos, terrarum, nec non succorum è terræ visceribus erumpentium diuersas species, ac eorundem facultates, non vno vsui idoneas, perscrutaremur, à nobis in præcedentibus Sectionibus abundè satis ostensam crediderim. Vt autem eiusdem opera mirabilia, magis, ac magis eluceant, & globus hic terrenus, veluti corpus quoddam, &si terra, vt carne, succis varijs, vt humoribus, constitutum videatur (infortunijs nihilominus obnoxium) firmius, solidiusquè manere possit. Natura ipsa, nihil intentatum relinquens, ossibus, lapidibus nimirum illud muniuit: qui ex commixtione terræ, & aquæ (vt omnium mistorum materia) agente caliditate, quæ mixtionem perficit, & frigiditate, quæ mixtum condensat, & coagulat, ne à Peripateticorum Principe Aristotele dissentiri videamur, substantiam illam compactam, & mirabiliter duram, *Lib. 4. Meteor. cap. 6.* temperamentumquè frigidum, & siccum non modo naturaliter sunt adepti, sed & pro bono familiæ humani corporis tutando, miras naturæ vires in illis coruscare cernere est. quæ ab influentia peculiari planetarum, & symmetria Elementorum, ex materia subtiliore, & puriore illis obueniunt:

vnde

Lib. 3. cōtra Gentiles. vnde D. Thomas, herbas, lapidesquè cœlitus mirabiles, vltra elementorum virtutes, habere vires tradit: Platonici ideis rerum formatricibus, Auicennas intelligentijs, & Albertus formis rerum ſpecificis aſcribunt. Nos autē Deum in primis rerum ſummum opificem, regere aſtra, ſigillare ideas, dirigere intelligentias, & in lapides, herbasquè ſeminare ocultas rerum formas dicemus. Quorum ſeriem ſatis numeroſam CALCEOLARIVS, varijs è regionibus, non ſine maxima induſtria comparatam, habet, & hanc colorum diſſimilitudinibus conſpicuam, vt eſt natura horum omniū foſſilium, in quibus colorum diſcrimina ſpectantur, ob diuerſi coloris materiam, ex quibus fiunt, calore vt horum opifice, coloribus materiam inficiente. De quibus ſingulis verba nos facturi, ne ab inſtituto ordine deſiſtamus, nomina, & horum cauſas inquiremus: Vires, quibus natura illos dotauit, indagare tentabimus, & ſi quæ moralitas, moribus deſeruiens, ex ijs ellici poterit, in hoc vnum omne ſtudium, & operam impendere, vt legentium animi recreari poſſint, nullius erit laboris. Quò autem Sectio hæc Tertia, lapidibus illis onuſta ſatis, qui & vulgò Lapides nominantur: & qui etiam cum ſint admodum duri, aut pellucent, aut valdè venuſto, varioquè colore ornati, mirificè nitent, & Gemmæ vocantur, ſplendida magis appareat; abs re neutiquam fore iudicaui, modò lapides quoſdam præcioſos, qui tamen ex penu CALCEOLARIO haud ſunt, ſed ad nos fuere tranſmiſſi, aut alicubi viſos excepimus, ijs connectamus; inter quos honoris, & venerationis ergò, in votis præcipuè eſt, lapide illo præexcelſæ venuſtatis, faciem huius ſectionis illuſtrem magis reddere, qui ſicuti ſacrarum Scripturarum teſtimonio eſt celebris; connumeratur enim
Apoc. 21. à D. Ioanne Apoſtolo, & Euangeliſta inter duodecim lapides fundamentales muri Ciuitatis cœleſtis; & inter purpu-
Lib. 16. c. 9 reas gemmas (ex Iſidoro) principatum obtinet, ita magni Principis auſpicijs digniſſimus cenſendus videtur, vt inter inſigniores lapides gemmatas reponatur: quem ſanè, dum elapſo Auguſti menſe à Sereniſſimo FERDINANDO GONSAGA

Mantuam

Mantuam accerſitus, in regio rerum naturalium conclauio, ſumma animi admiratione, & ſtupore contemplatus ſum. Lapis eſt ſubſtantiæ inſigniter duræ (vt eſt gemmarum penè omnium natura) qui formam ferè oualem, vt ex Icone ad viuum delineato patere poteſt, repræſentare videtur: materia illa foſſili compactum dices, quæ Achati, & Iaſpidi Gemmis generandis, ſtruandisquè naturaliter eſt apta; hiſce etenim quocumque oculos dirigas totum ſplendidè refertum attendes: in huius centro, veluti in proprio vtero (ò mirum viſu, audituquè) fluores multiplices in turbinem acutum deſinentes, & pellucidi, tàm carè, & benignè reconduntur, fouenturquè, vt fatereris, naturam ipſam, ne quid detrimenti patiantur, in hoc vnum ſpiraſſe, vt validiſſimo veluti propugnaculo muniti, cuſtodirentur. Quiquidem cum purpureo colore, non ex toto igneo, ſed in vini colorem deficiente fulgeant, nec in oculos, vt Carbunculi, vibrent, ſed aſpectu veluti quid blandum fundant, Amethyſti Gemmæ naturam illos omninò ſpirare, non præter rem exprimi poterit: ob quam illuſtrior, & cuiuis magis ſuſpiciendus Lapis hic redditur; vt dici meritò poſſit, naturam ipſam rerum creatricem, quicquid dignationis, venuſtatisquè in hiſce gignendis infundere valet, id vnum in fœtu hoc amethyſtino formando, collocaſſe: cuius tandem denominationem, modò ſcire appetas, ab arcenda ebrietate, ex Ariſtotele deductam eſſe ſcias: ſicuti namque coronis ex flore Amethyſti herbæ, poſt vinum, vtebantur antiqui aduerſus vinolentiam; *Cùm* (vt ſcribit Plutarchus) *florum exhalationes mirabiliter contra hoc mali præſidio ſint; caputque veluti arcem muniant ad ebrietatem pellendam: nam & calidi flores molliter aperiendis meatibus faciunt, vt perſpirare vinum poſſit: & quæ leuiter frigida ſunt, mediocri contactu vapores repellunt, vt violacea, & roſacea corona: vtrumque enim horum adſtringit, reprimitque odore ſuo ea, quibus caput grauatur:* Pariter etiam Peripateticorum Princeps arbitratur, Amethyſtum lapidem vmbilico appoſitum (ſiue à proprietate, ſeu ob innatam fri- *Sympoſ. 3. quæſt. 1.*

giditatem hoc fortasse agat) efficacem admodum esse ad reprimendas fumositates, euaporationesvè illas vini ad cerebrum pertingentes, & rationem seducentes: quibus non impeditis, qui vino indulgent, quàm facillimè ebrietate corripiuntur, ignari quorsum eant, animam prætumidam habentes. Cui Aristotelicæ opinioni reclamare videtur idem Plutarchus, afferens, *Illos in errore versari, qui putant,*
Loc. cit. *Amethystum cùm herbam, cùm cognominem eius Gemmam, nomen à prohibenda ebrietate suscipere: vtrunque enim à colore dictum est, violæ, & vino temperie diluto simile:* Quod etiam ex Auctore illo, de natura, lingua latina, & medendi arte optimè meritò, Plinio (quem semper nostrum dignitatis ergò nominabimus) habetur: qui de hac Gemma scribens, hæc profert: *Causam nominis afferunt, quod vsque*
Lib. 37. c. 9 *ad vini colorem accedens* (facetè hoc traditum puto) *priusquam eum degustet* (hoc est pusillum è colore delibat) *in violam desinat, fulgorquè quidam in illam purpuræ, non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens.* Quem sanè colorem, ab eodem auctore Ianthinum alibi fuisse appellatum, lege-
Lib. 21. c. 8 re est. Ex quibus verbis Plinianis elici & hoc potest: colorem nimirum illum, qui in Amethysto spectatur, oriri è puro, nec diluto nigro, splendore igneo immixto, non secus ac in acinis vuarum prouenire videmus. Gemma
Lib. 37. c. 9 hæc, cuius & à Plinio quinque enumerantur differentiæ, & si ob eius molliciem ad sculpendum idonea magis sit, nec ad medicinæ vsum veniat: *Attamen quasuis species probatas refert hic Auctor, contra præstigiatorum imposturas, contra aëris tempestates, & locustas, pariter contra lethargum, si Cynocephali pilo, aut Hirundinis pluma traijciatur, Solis, aut Lunæ inscripto nomine:* nec desunt qui affirment, gestatam repellere cogitationes, & bonum conferre intellectum, vti etiam ad Primariorum gratiam conciliandam plurimum valere.

In c. 21. Apoc. sect. 3. sub nu. 5. Amethystus, ex doctrina Blasij Viegas, Apostolorum Symbolum gerit. Si quidem violacei coloris est, fulgentius emicans Hyacinto, sculptura facilis. Triformi radians colore

lore, roſeo, violaceo, & purpureo. Sanè ſculptura faciles erant Apoſtoli; quia in laboribus patientes: Gemmæ purpureæ propter martyrium; roſæ habentes nitorem propter gratiam, quam ſibi apud omnes conciliabant. Eſt enim roſa gratię ſymbolum; denique ſuauiſſimas amoris flammulas ex ſe fundebant.

Sequens facies paginæ lapidem illum pretioſum tibi repræſentabit, tùm ob nitorem, quo præfulget, tùm etiam ob Amethyſtorum prouentum, quibus præter Achatem, & Iaſpidem Gemmas in eo à natura inſertas, vberrimus conſpicitur, meritò admirandum, & ſummè ſuſpiciendum: qui penes Mantuanum Principem FERDINANDVM GONSAGAM aſſeruatur.



Cæterum non te lateat, præ Amethyſtorum nitore, capſulam, in qua apud CALCEOLARIVM multiplices lapidum præcioſorum ſpecies reſeruantur, conſpicuam, apparere : inter hos matrem, ſeu radicem Amethyſtorum cernere eſt, albicans, cui eſt color, ac ſi ſucco Cryſtallino ſit adnata, quod nondum ab opifice terreno, calore nimirum, ad perfectam ſucci concoctionem deuenerit, huic tamen, vt matri cariſſimæ, ſociati Amethyſti, colore purpureo veluti inebriati nitent.

Amethyſtus formam Cryſtalli exprimens, in quo ob permixtionem ſucci puriſſimi aquei, purpureo qui prædominatur, color violaceus, à ſui natura ferè alienus, albicare videtur. Ex Boëmiæ fodinis.

Amethyſtus non à proprio, & innato colore alienus, Pyriti lapidi aureo colore coruſcanti, natura ſic ludente, vt Parenti aſſociatus.

GEMMARVM PERSPICVARVM, QVAE SOLA CLARITATE OBLECTANT, ENVMERATIO.

CRYSTALLVS Gemma perſpicuitate, & claritate ſummè illuſtris, & commendata; cui meritò inter Gemmas primus nobilitatis gradus, ratione propagationis, attribuendus venit. A ſucco namque illo aqueo, quo præ cæteris gemmis tota eſt compacta, harum ordo naturæ lege incipit: & quia molliſſima, & tenerrima, ob id faciendis poculis apta eſt, in quibus liquores infuſi non facilè coaleſcunt: lubens antequam vlterius progrediatur, referam, apud FERDINANDVM Mantuæ Ducem vaſa multiplicia amplæ ſatis magnitudinis, ex Cryſtallo peregregiè admodum elaborata, reſeruari, quæ ſanè cum & ob claritatem, nec non ob artificis peritiam intuentibus gratiſſima admodum ſeſe oſtentent, illorum animos in admirationem rapiunt: Sed ad Cryſtallum: Gemma hæc primitias generationis (vt ex Agricola in rebus naturalibus perſcrutandis diligentiſſimo inquiſitore patet, cui etiam Cl. Matthiolus ſuis

Lib.4.de cauſ.& ort.ſubter.&lib.6 de nat.foſſ. Lib.5.c.116

ſuis commentarijs in Dioſcoridem multis rationibus innixus, pertinaciter aſſentitur) ex ſucco aqueo in terræ viſceribus recondito, & omnium puriſſimo (vt ex fulgore innoteſcit, modò tamen alijs ſui generis bonitate præſtet) frigoreq; denſato trahit: vnde Propertius hocce dyſtico aquoſam nominat.

Lib.4.eleg.3.

Nec mihi, quo Pœnis tibi purpura fulgeat Oſtris,
Cryſtallusquè tuas ornet aquoſa manus.

Qui tamen ſuccus de terrea ſiccitate, pluſquam liquabilia, habet: non enim ſolo frigore aquoſo (vt multi autumant) ſed etiam terrea ſiccitate coagulatur hic ſuccus; calido, humorem, & terram attenuante, & commiſcente, ac ſuperfluam humiditatem abſumente; quæ terrea ſiccitas, quando ſuper aquam dominatur, aquoſum terreum in vitreum permutat: & vincit frigiditas ſuperducta. Non deſunt tamen Viri in Republicâ literaria maximæ auctoritatis; & in rebus naturalibus inquirendis exactiſſimi ingenij, qui expreſsè dicant. Cryſtallum eſſe glaciem longo temporis tractu gelu vehementiore concretam; quod etiam ex Etymologia nominis probare conantur, apud Græcos enim χρύος frigus, vel gelu ſignificat, & στέλλω contrhao: ac ſi dicatur, Cryſtallum gelu concretã: inter hos præſtantiſſimos viros eſt Seneca, cuius verba hæc ſunt. *Quis non grauiſſimas eſſe aquas credat, quæ in Cryſtallum coëunt? contra autem eſt: tenuiſſimis hoc enim euenit, quas frigus ab ipſa tenuitate facillimè gelat: vndè autem fiat eiuſmodi lapis, apud Græcos ex ipſo nomine apparet: κρύσταλλον enim appellant æque hunc pellucidum lapidem, quam illam glaciem, ex qua fieri creditur: aqua enim cœleſtis nimirum in ſe terreni habens, cum induruit, longiori pertinacia ſpiſſatur magis, ac magis, donec omni aëre excluſo in ſe tota compreſſa eſt, & humor qui fuerat, lapis effectus eſt.* Hæc inter philoſophos ex Stoica claſſe acutiſſimus Seneca. Cui & Aulus Gellius in ſuis noctibus Atticis aſſentiri videtur. Quo loci aquam multam niue dilutam bibenti peſſimam eſſe ex mente Ariſtotelis exprimens, aſſerit, *Aquam latius, ſolidiusque concretam eſſe illam, quam* κρύσταλλον Græci appellãt:

Lib.3.nat. quæſt c.25.

Lib.18.c.5.

Nec

Nec abest ab horum auctorum diplomate, Plinij pertinacissimum decretum. *Crystallum* (inquiens) *facit gelu vehementiore concreto: non alicubi certè reperitur, quàm vbi maximæ hybernæ niues rigent, Glaciemque esse, certum est; vndè & Græci nomen dedêre.* Isidorus pariter hæc habet: *Crystallus resplendens, & aquosus colore traditur, quod nix sit, glacies durata per annos, &c.* Ommitto, breuitatis causa, quæ à Sancto Basilio, & S. Augustino literis sunt mandata; singuli namq; hi præ sapientia celeberrimi auctores, eũdem lapidem in re proposita, reuoluere videntur. Lubet tamen, quæ ex Marbodæo in eius Dactyloteca versibus de Crystallo sunt decantata, in quibus, & eius vires, succintè quidem, explicantur, in legentium gratiam hoc loci apponere.

Lib. 37. c. 12

Lib. 16. orig. c. 13.

Exē. Hom. 3

Lib. 2. de mirab. scrip. c. 24. & alibi.

cap. 12.

Crystallus glacies multos durata per annos
Vt placuit doctis qui sic scripsêre quibusdam
Carminis antiqui, frigus tenet, atque calorem.
Pars negat, & multis perhibent in partibus orbis
Crystallum nasci, quam nec vis frigoris vlla est,
Nec Glacialis hyems nunquam violasse probatur.
Sed certum cunctis, nec stat violabile tanquam.
Quod lapis hic Soli subiectus corripit ignem,
Admotosque sibi solet hic accendere fungos.
Hunc etiam tritum quidam cum melle propinant
Matribus, infantes quibus assignantur alendi,
Quo potu credunt implerier vbera lacte.

Nihilominus iam prænarratis Solinus refragatur, dicens. *Istic est, & Crystallus, quem licet pars maior Europæ, & particula Asiæ subministrent, preciosissimum tamen Scythia edit. Multus ad pocula destinatur, nam fert calorem præcipuè, quamlibet nihil aliud, quàm frigidum pati possit (à calido namque humore infuso rumpitur) sex angulis inuenitur. Qui eligunt, purissimum captant, ne quid rufum, nevè nubilum, vel spumis obsitum arceat perspicuitatem. Tunc ne duritia iustò propensior obnoxium fragilitatis magis faciat: Putant glaciem coire, & in Crystallum corporari: sed frustrà: si ita foret, nec Alabanda Asiæ, nec Cyprus Insula hanc materiam procrearent, quibus regionibus*

Memorab. cap. 24.

citatissi-

citatissimus calor est. Liuia Augusti ad pondus quingentum quinquaginta librarum inter capitolina dona Crystallum dedicauit. Hæc Solinus. Imo etiam ignis, vel Solis feruori admota statim liquesceret, vt Glacies, quorum neutrum contingere quotidiana nos edocet experientia: addamus, Glaciem aquis innatare, Crystallnm protinus subsidere. Extat in ditione Bergomensi Mons quidam, Saluinum Accolæ nominant, in quo maxima Crystalli copia reperitur, varijs figuris Geometricis notatæ, præcipuè verò quæ, ex paruæ, sexangulam figurã peregregiè referunt: quod si aliqua horum pars à loco eximatur, non multo interposito temporis spacio, aliæ veluti à minera eodem in loco pullulare visuntur. Videant modò hi, an sit glacies, an vero corpus fossile aquoso succo à frigore, & terrea siccitate coagulatum; quis plura desiderat, legat, præ cæteris, Agricolam, & Matthiolum: silentio non inuoluam, quæ à Diodoro Siculo traduntur. *Crystallum lapidem* (dicit) *ex aqua oriri, puta congelata, non quidem à frigore, sed diuina caloris vi, quæ duriciem seruet, variosque colores suscipiat.* Galenus (vt Crystalli etiam vsus in medicina innotescat) vires habere stringentes scribit, vnde in puluerem tenuissimum trita, & in vino austero pota, dysentericis, quod multum exsiccet, opitulatur: Quinimo in ventris fluoribus illis ex bile prassina, seu æruginosa ortis, in potu exhibita, vt quid Bezoarticum, mirificè prodest: Vti & propinata, contra colicam passionem, & viscerum dolorem, modò non adsit constipatio, plurimum valet: Nec non albas vteri fluxiones, exsiccando compescit. Sub lingua detenta, quæ tamen sæpe sæpius aqua rosacea sit infusa, sitim, & ardorem restringuit: Si quis Crystallum pulucrizatum dragmæ vnius pondere mixto oleo amygdalarum dulcium absque igne extracto, ijs, qui argentum sublimatum, inter venena, quæ momentaneis horis exedendo interficiunt, primus cui datur locus, combiberit, exhibeatur, præsentaneum inueniet remedium. Non desunt qui affirment, Gemmam hanc collo appensam, somnia mentem perturbantem soluere, verti-

Loc. cit.

Lib. 3. circa finem.

Lib. de simpl. medic.

vertiginesque fugare. Antiquitus (referente Plinio) Pila è Cryſtallo conficiebatur, qua aduerſis poſita Solis radijs, medici veteres, quæ ſunt vrenda corpora, non aliter vtilius id fieri putabant, igne inde concitato, vnde & cauteria tunc temporis ex Pila Cryſtalli fieri ſolent, qua delicatiores homines, candens ferrum reformidantes, abſque vlla noxa vruntur. Parari etiam arte Chymica ſolet oleum ex Cryſtallo, & ſi in vſu non ita frequenter ſit: ſingulare remedium cum aqua ſtillatitia Cardui Benedicti ad dragmam vnam, vel dimidiæ pondus exhibitum, ſeruata ætatum norma, anni tempore, & virium robore, ad atterendum, comminuendum, & expellendum renum, & veſicæ calculum, vti etiam ad vrinam prouocandam. Quod pariter mulieribus lactantibus lac auget cum oleo amygdalarum dulcium, vel iure gallinaceo, in quo radix, ſeu ſemen fœniculi decocta ſint, propinatum. Modò qua varietate Cryſtallorum exornatum ſit Muſæum ex ſingularum Catalogo, qui in ſubſequentibus exponetur, colligi poterit. Lib.27.c.2

CRYSTALLVS nulla maculoſa nube, aut atra, ſcabievè infecta; ſed puriſſima, & aquæ limpidæ inſtar pellucida, ſexangulis in acutum deſinentibus, & rectilineis adeò affabrè abſolutoque læuore, quæ eſt ornata, vt nulla id arte æquari poſſit: mirum ſanè naturæ opus, quomodo in corpore hoc inanimato certa hæc figura Hexagona reperiatur: cuius rei ratio, & ſi non ita facilè (atteſtante Plinio) inueniri poſſit, Loc.cit. neminemque ex auctoribus, quos legerim, deguſtauerim, qui rem hanc exactè magis dilucidauerit, vno excepto Andrea Cæſalpino Philoſopho, & Medico præſtantiſſimo, ob id quæ in libris de metallis ab eo ſunt tradita, referre non dedignabor: *Sed illud* (de Cryſtallo agens inquit) *admiratione dignum videtur, cur ſexangula figura perpetuò oriantur, nunquam aliter. Ab vna enim veluti radice multi egrediuntur ſexilateri in cuſpidem deſidentes: flectuntur autem latera propè mucronem angulis rectilineis adeò exactis, vt ab artifice imitari vix poſſint. Corporibus verò inanimatis figuram certam aſcri-*

bere non videtur rationi consentaneum : ad virtutem enim organicam pertinet certam figuram efficere, ideò solis animatis inest, anima alicuius gratia agente: Patet autem figuram determinatam organici esse, non similaris, quia quælibet pars pyramidis, non est pyramis: similiaria igitur corpora per se non habent determinatam figuram: Post satis longam, sed eruditam digressionem, qua ostendere nititur, omne corpus figuratum esse oportere, & eiusdem particulas secundum ordinatam in discissione, aut variatam diuisionem, ordinatam pariter figuram conseruare, vel variari figuram. Subdit deinceps, *Simile quid contingere putandum est in Crystalli coagulatione. Succus enim lapidescens cum totum spacium impleat loci, in quo est, in coagulatione discendentibus in diuersa partibus terrenis, & ad latera saxi continentis, attractis, agglutinatisque figuram quoque faciet in concretis lapillis, quæ apta nata sit spacium replere. Si igitur non vniformiter, sed vario modo diuisiones contingant, etiam varietate figurarum implebitur spacium: Si autem vniformiter, quod ad puritatem, & æqualitatem succi contingit, necesse est vnum genus figuræ oriri in omnibus, quæ apta nata sit spacium implere. Tres autem sunt huiusmodi apud Aristotelem. Triangularis, Quadrangularis, &* Hexagona. *Non fit Triangularis quia medium non habet, ad quod tãquam ad centrum vndiquaque æqualiter constringantur partes: Nec Quadrangula, quia imperfecta, oriens tantum ex duabus lineis se inuicem secantibus ad angulos rectos. Quamuis autem quatuor quadranguli in vnum veluti centrum coëant, relinquuntur tamen quatuor anguli à centro remotissimi. In omni autem coagulatione partes vndique in idem coëuntes quàm maximè accedere ad circulum exoptant. Relinquitur igitur, vt sola* Hexagona *fiat, sola enim perfecta est, quia fit ex triplice diuisione superficiei ad angulos acutos, sex triangulis in vnum veluti centrum coëuntibus, vt omnes anguli externi maiores sint recto: ideò ad circuli naturam propè accedunt. Inspicere quoque licet in glacie angulos acutos, cum aquæ superficies concreuerit, nam lineæ quædam conspiciuntur nunquam ad angulos rectos, sed acutos concurrentes, vt ex huiusmodi positione linearum trianguli videantur incoari, hi autem Hexagonam*

Lib. 3. cœl. T. 66

xagonam constituunt triplici diuisione secundum lineas Parallellas. Si autem huiusmodi superficiei diuisio in profundum tendat, corpora constituet sexilatera, vt patet. Flectuntur autem in Crystallo iuxta cuspidem latera, deficiente materia, quæ cum purior quoque sit, & magis constringitur, & clarior apparet. Crassior enim, & turbulentior, & plenior ad radicem concrescit, ideò plerumque in ea parte non pellucidi sunt Crystalli. Idem contingit in Adamante, & plerisque gemmis translucidis. Hæc eruditissimus Cæsalpinus.

Crystallus in candore perspicua, terræ candidæ, vt propriæ radici adnata; è qua multiplices Crystallini fluores miro ordine sociati pullulant, & instar Adamantis in cuspidem vnitum deficiunt: ex Melita Insula maris Ægei. Quod si quis præter prænarrata ex mente Cesalpini, ex Scaligero etiam scire desideret, cur Crystalli sinit cuspidatæ, hæc ex ipsiusmet verbis habeat, quæ huiusmodi sunt. *Quare verò Crystalli sint cuspidatæ, vt Adamantes, docebit nos Aluminis natura. Alumen vbi è cortinis in ligneos alueos eiectum est, vt dicebamus, ad alueorum parietes concrescit crusta, non æquabili superficie, sed Adamantina facie postulata; Addamus ex ratione subtilitatem, concretionis opus procedere per minima, & momenta naturalia; Icircò in punctum desinit, aut punctum imitante fastigio terminatur.* *Exerc. 119. diss. 1.*

Crystallus limpidissima, quæ vti in proprio domicilio succum aqueo ipsismet oculis conspicuum, intus reclusum seruat, & conquassatus fluctuat.

Crystallus splendidissima, multiplicibus insignita fluoribus, satis oblongis, & acutis, ex Achate gemma carnei coloris, veluti natalicio loco, enascentibus.

Crystallus non admodum pellucida, in cuius cacumine, ob permixtionem, & congelationem succi purpurei cum succo aqueo, color purpureus, Amethystum gemmam referens, visitur.

Crystallus satis lucida, in mucronem sexangulum turbinata, saxo rudi albicanti, radicis vices quod subit, adhærens, nec non Adamantis formam, quæ exprimit. Adamas Boëmicus

Quorumdam, deſumpta denominatione à loco vbi effoditur, Boëmicis nimirum fodinis.

Cryſtallus Triangula, maculoſa nube infecta, quæ non tranſlucet, quod ſuccum aqueum, ſed obſcurum, & fuliginoſum in natalibus conceperit.

Cryſtallus ob permixtionem ſucci mellei coloris, cum ſucco aqueo in concretione, Citri colore fulgens, quam veteres eadem de cauſa ceræ ſimilem eſſe dixerunt; Criſtallo minus eſt candida, minus ſplendens, magis tamen ſpiſsos eiaculatur colores. Citrium Gemmariorum: Topacium Boëmicum nonnullorum.

Cryſtallus ſexangula, facie oblonga, ſed in acutum deſinente, candidiſſima, & luciddiſſima, Solis radijs obiecta, ſpecies, & colores varios arcum cœleſtem æmulantes, non ſine magna intuentium admiratione; in proximos parietes eiaculans, quod ex repercuſſu fit in anguloſo mucrone: Iris à Plinio vocatur: ex argumento iam dicto, quam effodi, inquit, in quadam Inſula rubri maris, cætera ſui parte Cryſtallus. Vnde non deſunt qui radicem Cryſtalli eſſe dicant: quod à veritate non videtur alienum, nihil enim aliud eſt, quam puriſſima, & albiſſima Cryſtallus ſexangula, ratione quorũ angulorum hunc ſplendorem varietate colorum ornatum, de ſe fundit. *Lib. 37. c. 9.*

Gemmam hanc ſatis pulchrè deſcripsit Marbodæus ſubſequentibus carminibus; cuius vires cum non delineauerit. habeas, peculiari quadam proprietate in parturientibus cooperari. Alligata namque parientis coxæ, partum faciliorem reddit, vt facilius dolores illi, qui in parturientibus vehementiſſimi eſſe ſolent, tolerentur, eſt in cauſa: Nec non ab omni metu illas liberare traditur.

Irim dant Arabes, ſed gignit eum Mare Rubrum
Cryſtallo ſimilem, cuius ſexangula forma
Clara luce micans, fert cauſam nominis huius,
Nam ſi ſub tecto radijs ſit ſubdita Solis,
Protinus inficitur paries, varioque colore
Arcus Cœleſtis, depingit vtramque figuram.

Quæ

Quæ verò apud nos extat, non ex Mare Rubro, sed ex montibus quibusdam Germaniæ, qui ſunt inter Treuerenſem Ciuitatem, & Rhenum eſt effoſſa.

Cryſtallini fluores, veluti in vno lapide, vt in centro coëuntes frequentes Cryſtalli, multos mucrones, & latera oſtentantes, ex Verrucca monte Agri Piſani.

Cryſtallini fluores, candidi, pellucidi, quadrangulares, adamãti non multum diſſimiles, & lapidi, vt propriæ Cryſtalli matrici, naturaliter conglobati.

Cryſtallini fluores, flauum qui ſpirant colorem, adeò ſplendentes, vt ſcintillare dices. Pyriti lapidi pulcherrimo flauum colorem eructanti, adnati ex Boëmiæ fodinis.

Cryſtallini fluores, non multum candidi, nec multum clari, ſquammis inſtar, vnitim à natura fabrefacti.

Cryſtallini fluores præ longitudine inſignes, candidi, & perſpicui, qui tamen in acutum terminant.

Sed de hac Gemma ſatis; Modò ſi quid moraliter ex illius proprietatibus ellici poteſt, inquiramus. Cryſtalli imitatione à Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, adeò perbellè pœnitentis mores, & eiuſdem naturam, qualis pro rectè, & Chriſtianè viuendo eſſe debeat, delineatam in Sacris literis annotaui: vt certè nil ſanctius, eruditiusvè exprimi poſſit. *Moraliter quid Cryſtallus.* Gemma hæc, vt iam eſt expoſitum, eſt clara, Ita luci peruia, vt literas, & alia, quæ in ea ponuntur manifeſtet, eſt luminis ſuſceptiua: In colore aqueo elucet: & ex ſucco fit puro aqueo: Intus aſſumpta vbera lacte fœcunda reddit. Sic pœnitens clareſcit, in puritate ſplendet, dum ex vitiata anima pro peccatis, quæ in conſcientia latebant, planctu, & diuturna lacrymarum effuſione, inſtar Dauidis Regis, cui peccatum multis cohibitis lacrymis eſt remiſſum: confeſſione, nec palliata contritione, illa eadem manifeſtet: vnde anima per pœnitentiam, luminis diuinæ gratiæ fit ſuſceptiua; & pœnitens continentiæ, & perſeuerantiæ adminiculo, refrigerato ardore libidinis, & reſtricta concupiſcentia carnis, non ſecus ac Cryſtallus præ frigiditate dureſcens, cor ſolidum facit: aduerſus quaſcumque Diaboli, & Mundi

tentationes præmunitur. Lacteque Diuinæ gratiæ vberrimus, Solisque radijs, ideſt CHRISTI lumine accenſus, res quaſcumque aridas, vt animæ nocuas abſumit, diuinoque cœleſti rore opimus, lætabundus Deo gratus, & cuiuis conſpicuus euadit: miraberis fortaſſe candide Lector; quòd ego Philoſophiæ ſtudijs addictus; qui medicinam pro bono publico profiteor, parum fortaſſe in Theologicis diſciplinis verſatus, nihilominus in hoc totus incumbam, vt rebus ipſis naturalibus, allegorias ex Sacra Scriptura depromptas inſerendo, noſtrum hoc opus exornare ſtudeam. Id vnum, vt pio Chriſtiano dignum, proficiendi ſtudio attribuendum ſcias: & pro vita rectè, purèq; ducenda ſingula hæc deſcribi. Tu interim, qui fructus ſaluberrimi, qualeſcumque ſint, ex hiſce meis lucubrationibus excipi poſſint, non inuitus deguſtato: & boni conſule.

ADAMAS inter Gemmas maximæ æſtimationis, & multorum nummorum: Sacerdoti illi ſummo adeò grata, & in veneratione habita, vt Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum feſtiuis diebus, quibus talari, & ſupertalari veſte, ſcapularioque Pontificio indutus Sancta Sanctorum intrabat, & Populo ſeſe conſpiciendum dabat, vt ex Rabbinorum placitis habetur, ſuper pectus geſtare ſoleret: ad hoc potiſſimum, vt ſi quæ in Adamante illo, ob magnitudinem, & raritatem pretioſiſſimo, fieret in colore mutatio, quid boni, maliuè (ſic annuente Deo) populo contingere poſſet, præſagiretur: Gemma olim, non niſi Regibus, & ijs paucis cognita: & ſi hiſce noſtris temporibus copioſa ſit huius copia: Cryſtallum, quæ affabrè admodum imitatur, & cognationis vinculo illi eſt coniuncta: tùm quia ex ſucco non diſſimili ei, ex quo fit Cryſtallus gignatur: tùm quod etiam vt quæuis alia gemma ſuam propriam habet matricem, è lapide quodam formatam, in qua veluti fœce quadam, ſicut in ſummo quaſi ſcoria, ſucco deſtillante, non ſecus ac infans in vtero materno ſanguine, nutritur: vndè videmus Smaragdum Praſſio, Silici Iaſpidem; Sardam Onychi innaſci, & ſic de alijs) à Cryſtallo, vti matrice ſua ſuſcipit natalia.

vndè

Vnde Plinius. *Indici* (inquit) *non in auro nascentis, sed quadam Crystalli cognatione* (& hic tamen est inter præstantissimos, maximè laudatus) *siquidem & colore translucido non differt, & laterum læuore turbinatus in mucronem, aut duabus contrarijs partibus, quò magis miremur, vt si duo turbines latissimis suis partibus iungantur*. Quamuis autem claritate huic plurimum sit consimilis, videtur tamen Crystallo paulò obscurior, aut non nisi elanguidus, &si nitorem hac viuatiorem, & robustiorem fundat, vt non modo splendeat, sed rutilet quoque, & emicet. Adamanti tantam naturaliter inesse duritiem, & soliditatem tradit Plinius, vt nulli violentiæ cedat, nec ferro, nec incude possit infringi; quinimo eius ictum ita respuat, vt ferrum vtrinque dissultet, incudesq; etiam ipsæ vulneribus acceptis dissiliant: sed nec igne domari valeat; humorem habēs huius calore firmiorem, ob natiuam siccitatem, validiore in concretione, frigoris densatione, concurrente, aut, ex Alberto, præ intensa huius gemmæ frigiditate, porri adeò strictè coarctantur, vt ignem ingredi non permittant: Vndè Serapio, Adamantem frigidum, & siccum in quarto gradu esse, scribit: qua fortasse temperamenti natura motus Plinius censuit, ignis ardore adeò non liquescere, vt nunquam incalescat: & ex Xenocrate, igne non modò fœdari, imò puriorem fieri habetur. Quamuis autem hæc Gemma sit inuicta ferro, ignem pro ludibrio habeat; nihilominus, mirum dictu, quicquid vis ignis efficacissima pro debellanda tanta duritie operari minimè potest; modò Hircus (ex quorumdam sententia) Petroselinum, vel Silerem Montanum, aliasque plantas diureticas, depascatur, & illis aliquandiu fuerit saginatus, vinumque biberit, illius cruore recenti & calido, in quo sit macerata, id omne perfici. Quod Plinius hisce verbis nobis significare studuit. *Siquidem inuicta illa vis duarum violentissimæ naturæ, rerum ferri, ignique contemptrix, hircino rumpitur sanguine, nec aliter quam recenti, calidovè macerata :* cuius effectus rationem caliditati sanguinis hircini attribuere videtur Isidorus, cùm capite proprio de Hirco lasciuo animali,

Lib.37.c.4
Loc.cit.
Lib.2.tract. 2.cap.1
Lib. aggre.c. 191.
Loc. cit.
Loc. cit.
Lib.12.c.1

mali, & peculeo, feruentique semper ad coitum agens: hæc habet. *Cuius natura adeò calidissima est, vt Adamantem lapidem, quem nec ignis, nec ferri valeat domare materia, solus huius cruore dissoluat.* Quod & alibi diffusa magis oratione (de Adamante Indico tractans) hisce verbis explicat. *Hic nulli cedit materiæ, nec ferro, nec igni, nec vnquam incalescit. Vndè & nomen Græca interpretatione indomita vis accepit* (ab ἀ scilicet priuariua particula, & δαμάζω verbo, quod domo, & supero significat; ac si dicas indomitam Gemmam) *sed dum sit inuictus ferro, ignisque contemptor, Hircino rumpitur sanguine recenti, & calido maceratur, sicque multis ictibus ferri perfringitur: cuius fragmentis sculptores pro Gemmis insigniendis, perforandisque vtuntur.* Hæc Isidorus, Plinij dictis assentiens. Quæ singula an vera sint, fabulosavè, cuiuis ex hoc patere potest; tantum enim abest, vt Adamas mallei ictum respuat, & non nisi sanguine hircino rumpatur, vt etiam absque hoc in scobem malledo redigatur: nec non facillimè pistillo ferreo in mortario confringi, & atteri soleat: quò eius scobe alij Adamantes expoliantur; non enim à quapiam alia re, quàm à propria scobe exteritur, & expolitur. Hoc vnum tamen scio, quotidiana experientia comprobatum. Hircinum sanguinem ritè præparatum, non Adamantem, sed lapidem in renibus, & vesica frangere; Et apud nos extat compositio quædam ex hircino sanguine, cuius vsu felicissimo euentu; quamplurimos lapides non semel comminuimus.

Loc. cit.
Lib. 21. de Ciuit. Dei ad Marcellinũ cap. 4.

Adamas, qui tamen præcellentis sit bonitatis, vim Magnetis frangere ex Plinio, nec non ex Sancto Augustino habetur; is etenim iuxta ferrum positus, non patitur illud attrahi à Magnete, vel si admotus Magnes ferrum traxerit, per quandam violentiam illud rapit, atque aufert: Pace tamen præstantissimorum horum hominum, penes quos fides esto, dixerim, me sæpe sæpius id experiri voluisse, neque tantam in illo vim depræhendi. Vti & fabulosum esse reor, quod à quibusdam asseritur; Adamantis aciem, plumbo propter Argenti viui cum hoc commixtionem, obtundi. Hoc vnum tamẽ

dicam,

dicam, Adamantem, modò tamen exquisitæ sit bonitatis, vbi incaluerit, festucas; non secus ac Succinum attrahere. Reconciliationis, & Amoris Gemma à veteribus Philosophis dicitur, quod dissidia inter maritum, & vxorem si quando hæc à viri gratia decesserit, edulcere, componereque, & hostilem furorem compescere, consueuerit, potissimum læuo alligata lateri.

Somnia illa vana repellere existimarunt; quæ potissimum ex euaporationibus à corrupto humore eleuatis ad organum phantasiæ, vel sensus communis oriuntur, imprimentibus sensum, vel phantasma rei, à qua deciduntur, vt cum Galeno loquar: vndè Anachites à nonnullis dicitur, quod pauitantium animos, à vano metu liberet. Contra venena amuletum esse præsentaneum testantur. Incantationibus, fascinationibusvè resistere dicunt: Adeò enim cacodæmonibus inuitus perhibetur; vt gestantem ab incubis, & succubis tutum esse, affirment. Dentes abstergere, & mundificare testatur Serapio, experimento facto: ob virtutem quam habet fortiter abstergendi.

Lib. de somn.

Loc. cit.

Cæterum vt aliquid etiam allegoricè de Adamante dicatur: ex illa duritie, indomitaque vi, qua præ cæteris gemmis est à natura insignitus; traxit illud Adagium, quo obturata aliqua mentis destinatio, quæ nulla possit ratione, loco dimoueri, significatur. Qua de re homines illi Adamantini vocantur, qui, vti Adamantino semine procreati, ac Adamantinâ tunicâ vestiti, inexorabiles, aut infatigabiles cum sint, in suo sensu adeò pertinaciter abundant, vt à proposito neutiquam flecti possint: de quibus Hesiodus.

Allegoricè quid Adamas.

Durus at is animus solido ex Adamante creatus.

Hacque de causa Ditis pectora Adamantina, vti dura, & implacabilia à Poëtis finguntur: & illustris ille Poëta Mantuanus, Virgilius, inferorum portas, & columnas ex solido Adamante fabricatas esse, hisce carminibus descripsit.

Lib. 6. Æn.

---- Solidoque Adamante columnæ
Vix vt nulla Virûm, non ipsi exscindere ferrò
Cælicolæ valeant.

Adamas Anagoricæ quid.

Quibus addere placet nomen Adamantis CHRISTO in Sacris literis tribui, veluti Amos vij. nam vbi vulgata editio legit. Ecce Dominus ſtabat ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij. Septuaginta interpretes tranſtulerunt. Ecce Vir ſtabat ſuper murum Adamantinum, & in manu eius Adamas. In quem locus D. Hieronymus multa diſſerit de Adamantis natura, & inter alia docet, duriſſimum eſſe, & indomabilem, paruum, & indecorum, atque in Electri ſimilitudinem venena deprehendere, & maleficis reſiſtere artibus (quod & à nobis in ſuperioribus eſt annotatum.) tunc addit. *Talis eſt Dominus, & Saluator, qui ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens,* ad Philippēſes 2. *de quo Eſaias ſcribit, non eſt ſpecies ei, neque decor. Hic ſtat ſuper murum Adamantinum, ideſt, ſuper Sanctos, & Apoſtolos ſuos; quibus donauit, vt & ipſi Adamantes vocarentur, & à nullo ſuperari dicerent: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, & anguſtia, &c.*

Rom. 8.

Aduertit etiam D. Hieronymus, Adamantem licet indomitum, tamen Hirci ſanguine poſſe frangi: in quo docet, difficultatem exprimi conſeruandæ caſtitatis; quia nimirum præſtantiſſimi quique Sancti, & ſi fortiſſimi ſint, & Adamantini, ſæpè tamen mortiferæ libidinis calore diſſoluantur. *Hæc enim* (inquit) *ſanguinis Hircorum, & ipſius Hirci dicetur eſſe natura, vt ſit ad libidinem calidiſſimus, & quod ignis edomare nequeat, ſolus illius diſſoluat cruor.*

Super Ezechiel. cap. 1

Adamas Tropologicæ quid.

Adamas viri iuſti ſymbolum gerit, auctore Hectore Pinto, penes quem hæc extant.

Adamantum quatuor ſunt genera, nempe Indicus, Arabicus, Macedonicus, & Cyprius, ſed inter o[illegible]es Indi[illegible]us tenet principatum. Eſt enim indomabilis, & d[illegible]riſſ[illegible]mu[illegible], victor ignis, numquam incaleſcens. Hic diſſidet cum Magnete lapid[illegible]: tantaque illi vis eſt, vt iuxta Magnetem poſitus, ferrum ab eo abſtrahi non ſinat, aut abſtractum ad ſe [illegible]apiat. Eod[illegible] Vir iuſtitiá inſignis, firmus eſt, & conſtans, victor ign[illegible] calamitatum, nulla flammarum dolorum vi ita incaleſcens, vt comburatur, & conſtantiam amittat. Tantumque eſt illi cum mundo diſſidium,

vt

vt in mundo collocatus, non patiatur ab eo homines abduci, & attrahi: ſin autem mundus, inſtar Magnetis eos ad ſe rapiat, dat operam, vt conſilijs, monitus, vita, & exemplo eos ad ſe abducat, trahat ad verum decus. Et quemadmodum Adamas venena facit inuicta, & lympotiones, vanosque metus abigit, & expellit; ſic ille oſtendit hominibus vitiorum venena, vt ea deteſtentur; hortans illos, vt inanes timores, vanasque ſollicitudines depellant: & animi quietem ſtudeant adipiſci. Hactenus Pintus. Hæc de Adamante, quæ ſicuti prolixa oratione recenſita ſunt, ita omni animaduerſione digna arbitrati ſumus. Et quamuis locus hic expoſtulare videatur, vt lapides illos enumeremus, qui proximè ad naturam Cryſtalli accedunt; vt Aſteriam, Seleuitem, & ijs cognatos: attamen quia intentio eſt noſtra, ſub hac incæpta claſſe lapides illos pretioſos ſolummodo perſtringere, qui verè Gemmæ nuncupantur, natura nitentes quidem, ſed rari, atque parui, prænarratos ſuis locis diſtribuemus. Interea cæteras Gemmas, quæ penes CALCEOLARIVM expoſitæ habentur, proſequemur.

INTER Gemmas illas candidas, & perſpicuas, quæ motione varios oſtentant colores, OPALVS ſummi habetur nominis: pulchritudine namque ſua, quaſcumque Gemmas, etiamſi nobiles, ſuperare creditur: cum colores quoſcumque præſtantiſſimarum Gemmarum, in vno corpore collectas ſimul reddat. Et ſi non deſint qui dicant, Carbunculum omnium Gemmarum Gnomonem, & Regulam eſſe; quibus tamen refragatur Plinius, huic Opalum præponens, quod Carbunculum, dum inclinatur, flamma vincat; agens enim de pulchritudine, & nobilitate Opalorum hæc habet.

Minimum, ijdemque plurimum ab ijs differunt Opali, Smaragdis tantum cedentes (de quibus præcedenti capite tractauit) Lib.37.c.10 *India ſola, & horum eſt mater. Atque ideò eis preciosiſſimam gloriam compoſitores Gemmarum, & maximè inenarrabilem difficultatem dederunt. Eſt enim in ijs Carbunculi tenuior ignis, eſt Amethyſti fulgens purpura, eſt Smaragdi virens mare, & cuncta*

pariter incredibili mistura lucentia : Alij summo fulgoris argumento colores pigmentorum æquauere : alij sulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleo accensi, &c. Ex quo mirum videri non debet, si antiquitus tanto in precio, & existimatione fuerit hæc Gemma, vt Nonius ille Senator ob insignem illam, quam habebat, & qua plurimum gloriabatur, maluerit omnia sua bona euertere, & dignitate Senatoria priuari, quàm Marco Antonio expostulanti tradere. A quo
Loc. cit. (refferente Plinio) postmodum fuit proscriptus. Opalus vti præ colorum varietate, quas mutatione ostentat, insignis est, tot etiam illi inesse virtutes enarratur, quot habet colores: Inter quas hoc peculiare habere dicitur, quod oculos se portantis seruet illæsos, & acutos, sed aliorum circumstantium oculos obducta nube recondit; vnde quadam acrisia percutit, vt non videant, vel aduertant quæ fiunt coram eis, & ideò asseritur, furtis tutissimum esse patronum. Pæderos à Græcis dictus est. ἀπὸ τοῦ παιδὸς καὶ τοῦ ἔρου à puero scilicet, & amore, quod pueri, & amoris pulchritudinem sua venustate referat; vel propter eximiam pulchritudinem, puerorum amorem ad se alliciat. Vulgò Gira-
Exerc. 183. disp. 4. sole, & Scambiacolore nominatur; Scaliger sumpta ab hac Gemma denominatione; Serpentes quosdam, aspectu horribiles, innoxij tamen, nisi irritentur, quos ortonum pedum esse scribit. Pęderotas vocat, pueros enim diuturno, contentoque aspectu, quòd horum amore capiantur, sine vllo maleficio contuentur.

Lib. 7. de subtil. PSEVDO OPALVS Cardani, Gemma sic ab ipso nuncupata, quod multum ab Opalo degeneret : non enim est ita perspicuus, quamuis varietate colorum niteat ; & pupillæ modò radiat; modò clarius, modò obscurius. Vt cernere est in oculis Catti, seu Felis, dùm in tenebris aliquid admirari hoc animal videtur. Stupentibusque, nec vsquam dimotis oculis inspicit id, quo delectatur: vnde & oculus Catti, seu Felis dicitur. Hinc traxisse illud prouerbium crediderim Ἀτενὲς ὁροῦ, idest fixis oculis intueri: in illos potissimum dictum, qui attentius, accuratiusque considerando,

do, fixius intuentur. Teſtatur Cardanus ſe vnum habuiſſe, quod altera ex parte candidus,ac lacteus videtur totus, ex altera autem fuſcus admodum totus etiam, adeoque fuſcus, vt etiam obſcurus appareret: nec hoc illi ex lucis varietate contingebat, quandoquidem ſeu ad lumen, ſeu verſus tenebras verteretur, album ſemper colorem ex ea parte oſtendebat, qua albus videri ſolebat, fuſcum verò ex alia. Itaque eadem ſuperficies ſola aſpectus varietate ex aduerſis partibus conſpecta, colores duos penè ex toto contrarios oſtendit, notat Cardanus. Gemma hæc tanti eſt apud Indos pretij, vt illis ſit perſuaſum, eius,qui hanc poſſidet, facultates non poſſe imminui,ſed ſemper in dies augeri,incrementumque facere. *Loc.cit.*

ONIX Gemma, inter precioſiſſimas illas Gemmas enumerata, quibus magnus Propheta Moyſes, inſtitutione diuina admonitus, Aronis Summi Sacerdotis, habitum exornari iuſſit; inter opacas colore candido Gemmas meritò cenſenda; habet namque ſpecularem, & valdè politam naturam, cuius vi ad modum ſpeculi imagines,& figuras, obſcurius tamen, repræſentat: præ colore igneo, nigro, & carneo, quibus nitet, laudatiſſima. Cauſa nominis: quod, ex Sudine (referente Plinio) & ex Iſidoro, in Gemma ſit permixtus candor vnguis humanæ ſimilitudine. Vnde Columella, Pruna quædam, Onychina vocat, quæ Onychis, ideſt vnguis ſimilitudinem, formam, & colorem, habent, quorum etiam condiendi modum edocet: nec non Plinius de Pyrorum varietate, & bonitatis nobilitate agens. Pyra Tarentina, & Signina à quibuſdam, à colore teſtacea appellari tradit, ſicut Onychina purpurea; & apud Galenum Onychitis Cadmia legitur, à varietate colorum, quibus eſt referta, inſtar Onychis Gemmæ denominata. Non deſunt, inter quos eſt Hieronymus Cardanus, qui exiſtiment, Onychem eſſe Alabaſtrum Antiquorum, ex quo Pyxides pro ſeruandis vnguentis fiebant. In quibus ob ſuam frigiditatem,diutiſſime odores conſeruabantur: vnde etiam Onyx pro eodem lapide ſumi cæpit: ad quod hoc verſiculo allu-

Lib.37.c.7 *Lib.16.c.8* *Lib.12.c.10* *Lib.15.c.15* *Lib.de ſimp. medic.* *Loc.cit.*

Lib.7. alludere videtur Martialis.

Unguentum fuerat, quod Onyx modò parua gerebat.

In Onyche plures inesse effectus noxios ex Dioscoride habetur; collo namque suspensum, vel digito portatum tristitiam, & timorem excitare, lites multiplicare, animos ad rixas commouere, in pueris saliuam superfluam, & noxiam excitare asserit. Hoc idem legitur in libro illo Galeno ascriptus de incantatione, adiuratione, & suspensione; & alibi hæc habet. *Et Alabastrites vocatur vnguis in medicinæ vsum conuertitur combustus. Quidam eum bibendum dant Stomachicis.* Mirari liceat Albertum illum Magnum, qui hanc Gemmam roborare vires, audacemque reddere doceat: hoc etenim eius naturæ repugnare videtur, quæ sua frigiditate spiritus vitales potius constringit, ac in vnum cogit, vnde tristitia oritur, timor, & insomnia terribilia; quàm quod illos fœcundos ad audaciam reddat. Onychem & hoc peculiare habere traditur: si infirmo oculo adponatur, quasi rem sensatam, sine molestia, & noxa subintrare, & circumferri, humoresque contrarios excernere. Quod etiam commune videtur lapillis quibusdam paruis ophtalmicis, de quibus suo loco erit sermo.

Lib.9.de sim pl. medi.fac.

Lib.2.c.13

Postquam autem dictum est superius. Ex Onyche antiquitus vasa preciosissima fieri consueuisse, ad odores delicatiores reseruandos; vt quid non sine admiratione scribendum referam, quod ab Appiano Alexandrino in re proposita traditur. *In Talauris* (sic scribit) *quam Vrbem Mithridates habuerat apparatus promptuarium M.M. Poculorum ex Onyche Gemma factorum, compactorumque auro inuenta sunt: multæ Phyalæ, Spyctheresque, calices, lecti, sellæ, ornatissima omnia. Item frena Equorum, pectorales, humeralesque, phaleræque gemmatæ, aurataeque. Quibus recipiendis, percensendisque triginta dies Quæstor insumpsit: Eorum pars à Dario Hystapsis filio successoribus per manus tradita fuerat: partem ex Ptolomæorum Regum gaza Cleopatra penes Coos deposuerat. Partem ipse parauerat, ac collegerat elegantioris suppellectilis percupidus.* Hæc Appianus. Quæ singula, &si fortasse parum ad rem, trãscribere

Lib.de Bellis Mithridatic.

non

non piguit: quò lectorum animi ad illud oblectamentum excitentur, quod ex Historiâ percipi solet: vti etiam in quanto vitæ luxu, & rerum apparatu Regio Principes illi Viri antiquitùs vitæ tempus traducere solerent, quam facillimè ex hoc coniectari liceret: quod etiam Cornelij nepotis auctoritate confirmari hoc potest: is tradit: *Magno fuisse miraculo, cum P. Lentulus Spinther amphoras ex Onyche, & vrceos magnitudine cadorum ostendisset.* Vasa etiam ex hac Gemmâ in conuiuijs antiquorum in vsu fuisse, nos edocet hoc hexametro Martialis, *Lib. 10.*

Paruus Onyx vna ponetur cœnula mensa.

Illud porrò animaduertere iuuat, huiusmodi lapidem perbellè typum gerere mundanæ felicitatis, ac delitiarum. *Tropologic.* Siquidem auctore Dioscoride, vt superiùs est dictum, Onychini Zona collo appensa mœrorem, tristitiamque affert; id quod in delectationibus terrenis, atque delicijs in dies experimur: mœrore quippe, ac tædio illos afficiunt, qui seipsis dedunt: meritoque legimus Onychinum lapidem inueniri in terrâ Heiulath, quod interpretatur dolens. *Gen. 2* Vndè eleganter de more Sanctus Gregorius scriptum reliquit; *Hoc distare inter delicias corporis, & animæ quod corporales delitiæ protinus in fastidium per facietatem vertunt; spirituales verò tanto amplius exuriuntur, quanto comeduntur.* *Hom. 36. in Euang.*

ONYCHINÆ Gẽmæ lapides illos vti ex huius prosapia, quos & non paucos habet CALCEOLARIVS, substituere placuit, qui cùm à diuersa exhalatione generentur, ita colorem, & substantiam diuersam sunt adepti: in colore namque nunc albi, nunc nigri, nunc subrubicundi, nunc varijs coloribus distincti, conspiciuntur. Niccolique vocantur: & si rectius, qui candidis Zonis sunt interpolati, Niccoli veniant nuncupandi, quasi Onyculi, quod ex colore candido Onichino, cum alijs coloribus mixto, seipsos demonstrent. & Albertus Onychinos appellat, inquiens, *In nostris Onychinis multos colores inueniri, albos, nigros, & rubicundos,* Qui tamen omnes fricati similitudinem exprimunt vnguis humani; *Lib. 2. de lapid. c. 13.*

mani: Gemmarij hoſce lapides vario modo ſcalpunt. Si enim cruſta alba alteri nigræ ſuperpoſita ſit, aut ſecundum alios colores, vt rubens, albæ, aut nigræ, aut è conuerſo, ſcalpunt in ſuperiori imaginem, vt inferior veluti ſtratum ſit. Inter vulgares homines ſub Camei nomine ſculpuntur, poliuntur, & venales fiunt. Camæ à nonnullis vocantur, ſumpta denominatione à voce Græca καῦμα, quod eſt idem quod incendium: dicunt namque in locis ſulphuris, & calidis inueniri: & curare Hydropem in puluere ſumptus, affirmant.

Loc. cit. NICCOLVS (ex Cardano) geſtantem triſtem, & audacem facit, & ſomnijs terribilibus agitat; nam ſpiritus adeo cogit, vt triſtitiam, & turbationem moueat. Refert etiam Amethyſtum ſomnia mouere: vndè Chalam dicitur Hebraice, quod eſt ſomniare, teſte Rabbi Alen Ezra: extant, & apud nos variæ Niccoli ſpecies, diuerſis coloribus notati, præ cęteris verò vnus, oculum dices, qui ferruginei eſt coloris in ſupremo, inſtar pupillæ, albugineum habet colorem candido circulo incluſum, reliquum corporis in opaco nigricat: in alijs duobus Neronis, & Galbæ Cæſarum à peritiſſimo artifice ſunt ſculptæ imagines.

EX Gemmis viridibus, quæ à noſtro CALCEOLARIO, cuiuis rerum naturalium ſtudioſo expoſitæ, & contemplandæ humaniſſimè exhibentur Smaragdo, ex Climate Orientali nuperrime tranſportato, primam ſedem eſſe deſignatum videbit: nec immeritò quidem. Gemmarum etenim omnium virentium, multis nominibus; quæ ſingula explicare nullius nobis erit tædij, principatum obtinet. Hic vt omnimoda eius natura, & origo habeatur, in lapide conſpicitur ponderoſo ſatis, cuius ima pars marmorea eſt, lapidem crediderim, colore quaſi cinereo, ſed ſuboſcuro conſperſum. Reliquum lapidis corpus Marcheſitam dices, aureis guttulis vndequaque ſplendentem: in qua tamen, ac ſi ſit naturæ rudimentum quoddam, Smaragdus ſemialbicans, & ſemiuirens conglobatus cernitur. Lapidis pars ſuperior

Smarag-

Smaragdum non mediocris magnitudinis, vt in proprio natali loco fouet: quia optimus, ſpiſsè, & acritèr viret: præ cuius eximiâ viriditate, & nomen (ex Iſidoro) ſibi eſt adeptus. vndè Lucretius. Lib.16.c.7

Grandes viridi cum luce Smaragdi. Lib.4.227

Et quaſuis herbas, frondesque virentes, comparatione factâ, ſuperare fatereris. Huius totum corpus, quod abſque vllo ſit vitio, & à quacumque fraude immune, non modò ſplendens, ſed etiam è liquido translucidum eſt, ita vt fulgere videatur. vt non abs re (ſic referente doctiſſimo Pererio) Smaragdus Hebraicâ voce, Barechet, dicatur, deriuata à Barach, quod ſignificat fulgurare, ſeu fulgorem emittere. Quidam (vt aliquid etiam de eius natiuo ſolo habeatur) nec indocti Viri, & huiuſmodi rerum minimè incurioſi. Inter quos eſt omni literarum genere ornatiſſimus Scaliger, & ſi ex ſapientum ſcientiâ hoc exprimat, putant habere Smaragdum principia ſua, & originem ab Ære: nec abeſt, vt Scaligeri verbis vtar, ratio à ſuſpicione. Tùm quia ærugo viridis, tùm quòd Smaragdus eo indicio probatur, ſi affricatus Lydio lapidi reddet æris colorem: hoc enim modò mercatores Indos conſulere veritati, nevè decipiantur, certum eſt: & ſi ex ſuccis viridibus originem trahere ſcribat Agricola. Locus hic expoſtulare videtur, vt & nos etiam excellentias illas non ſine commemoratione relinquamus, quibus multis, ijsque profectò inſignibus, veluti in Epithomen quandam ex varijs auctoribus, præcipuè verò ex Plinio noſtro collectis, Smaragdum præfulgere ab eodem Pererio traditur. Indignum enim aliquid, nos hiſce ſcriptis feciſſe, iudicari non iniuria poſſet, ſi Gemmę illius eximias qualitates, quæ & à Viris Principibus maximâ in æſtimatione, venerationeque eſt habita. Vti etiam poſita eſt quartum fundamentum cœleſtis Ciuitatis Hieruſalem. ſicco vt dici ſolet pede præteriremus.

Diſp.7.in c 4. Apoc. *Exc.108 diſp.4.* *Lib.4.de cauſ. & ort. ſubter.* *Apoc.22.*

Quarum prima eſt in eximiâ viriditate, quâ ſuperat viriditatem herbarum, & frondùm, prorſùs adeò, vt quælibet alia res viridis cum Smaragdo compoſita, & comparata, non

videatur virere: ſuâ etiam viriditate proxima ſibi colorat; & in tantum tenax eſt ſuæ viriditatis, vt neque in vmbrâ, neque in Sole, nec iuxtà lucernas ſecundum coloris repertum mutetur.

Altera excellentia Smaragdi eſt in humani obtutus oblectatione; nullius enim coloris aſpectus oculis gratior eſt, quàm Smaragdi. Nec eſt quicquam, quod libentius, auidiusque intueamur: eius namque viriditas & implet oculos, nec ſatiat tamen, eorumque ex intentione ad alia, laſſitudinem viridi leuitate demulcet, ac recreat, & viſum ad ſui craſſitudinem facilitate tranſlucidâ tranſmittit. Et corpus eius

Plin. loc. cit. ſi politum fuerit rerum imagines reddit. Nero certè Gladiatorum pugnas Smaragdo ſpectabat. vnde & Neronis Gemma dicitur.

Tertia excellentia eſt in magnitudine, Theophraſtus prodidit à Rege Babyloniæ ad Regem Ægypti miſſum eſſe Smaragdum quatuor cubitorum, & in delubro Iouis apud Ægyptios reperiri obeliſcum ex quatuor Smaragdis longitudine quadraginta cubitorum, latitudine ex vnâ parte quatuor cubitorum, & alterâ duorum. Appianus Grammaticus tradidit memoriæ, fuiſſe in Labyrintho Ægyptio Seraphim Coloſſum ex vno Smaragdo nouem cubitorum. Sed quò

Lib. 7. c. 5 minùs vetera relinquimus? memorat Krantz. Metropol. Federici Imperatoris ſæculo, Sulthanum, Cantharum ex Smaragdo capientem ſextarium Balſami: dono miſiſſe ad illum.

Quarta excellentia eſt in multiplici eius mirâque varietate: duodecim enim ſpecies numerantur: ſed Scythici omnium optimi; nullis enim nec maior eſt auctoritas, nec minus vitij, tantaque duritiâ, vt ſculptura vulnerari non queant.

Quinta excellentia in medicâ virtute, ac facultate aduerſus morbos: tradunt enim valere Smaragdum contra calculos, contra lepram, contra canum morſus, cum rabie aguntur,

In cap. 28. Exod. & in vniuerſum contra venena. Topatus ait valere contra morbum caducum, & contra fluxum ſanguinis, & ſecundum

dum aliquos contra illusiones, phantastices,& deprauatam imaginandi facultatem. Quibus singulis hæc etiam addere liceat. Smaragdum suspensum ad coxam mulieris (ex Serapione) partum accelerare: & collo appensum ita vt ventrem tangat, ad iustum tempus fœtum retinere creditur. Dysentericis prodest ebibitus, ex Auenzoar testimonio, siue excorientur intestina, aut ab humoribus acutis mordicantibus ipsa, siue ex veneno ebibito acuto. Vti etiam expertum est. quod suspensio Smaragdi in dysenteriâ, & Hæmoroidibus, existit mirabilis efficaciæ, & iuuamenti: si suspendatur scilicet super ventrem primum, & alius ponatur in ore, sine trituratione, & liberat incontinenti. Laxiuos motus compescere posse, natura Smaragdi, ex Serapione, frigida, & sicca, nos edocet, apta admodum ad effrenandos Veneris incensiuos, quod etiam doctissimus vir Georgius Agricola hisce verbis pulcherrimè explicat. *Smaragdo motus obscenæ voluptatis valdè est perniciosus. Siue enim mas, siue fœmina, dum commiscent corpora, sic eum gestet, vt contingat cutem, vel à collo pendulus, vel annulo gestatus disrumpitur.* Cuius rei rationem hisce verbis explicat Cardanus. *Frangi verò Smaragdum in coitu quandoque experimento compræhensum dicunt. Vt vt res se se habeat, fragilior omnium gemmarum est Smaragdus. Cum verò abundanti, tenuique humido concoctio accesserit, calore vexata dirumpitur: nam humidum concalefactum in aërem transit, maiusque occupat spacium, vnde disrumpit: incalescere plurimum corpus in Venere, & anhelitus frequentiâ, & sudoris aduentus etiam quandoque docet, calorq; hic magis imprimit, quia non quemadmodum in exercitationibus sensim dissoluitur.* Hæc Cardanus.

Cap. 184

Loc. cit.

Lib. 6. de na. foss.

Lib. 7. de lapidib.

Sexta Smaragdi excellentia petitur à multiplici eius significatione mystica: nam quæ de quinque Smaragdi excellentijs paulò ante diximus, ea secundum mysticam interpretationem accepta rerum spiritualium, & cœlestium multa, & præclara suppeditant documenta; de quibus disseruerunt Sacrarum literarum explanatores. Mihi ad præsens satis fuerit, mysticam Smaragdi significationem, quam super

Apocal. cap. 21 Vener. Beda explicat, hoc in loco referre. *Smaragdus* (inquit) *tantæ viriditatis eſt, vt etiam herbas virentes, frondesque, & gemmas ſuperet omnes, inficiens circa ſe viriditate repercuſſum aërem: qui meritò & viridi proficit oleo, quamuis natura imbuatur. Cuius genera ſunt plurima, ſed nobiliores frigora Scythica ferunt. Smaragdus porrò ſignificat animas fide ſemper virentes; quæ, quò magis aduerſitate ſæculi, ſeu frigore Scythico, premuntur; eo magis hæreditatem immarceſſibilem, & æternam conſeruatam in cœlo, & mente concipere, ſperando, & in proximos ſpargere ſatagunt, prædicando: quæ etiam internæ pinguedini charitatis ad contemptum mundi proficiunt.*

Natalis etiam Smaragdi locus pulchrè congruit myſterio: eſt enim terra locuples, & auro, gemmiſque affluens, ſed deſerta, & inhabitabilis propter Griphes, feras videlicet volantes: ſunt enim quadrupedes, corpore quidem Leonibus, capite verò, & alis ſimiles Aquilis. Cum iſtis dimicant Arimaſpi: vno tantùm oculo in media fronte inſignes: mira cupiditate, & Smaragdos rapientibus Arimaſpis, & feris cuſtodientibus; huiuſmodi deſertam terram, virtutum thesauris abundantem, adierat Pſalmiſta, cum dicebat,

Pſal. 54 *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Ideſt à mundi illecebris animum elongando ſubtraxi.* In hac terrâ precioſos theſauros, & deſiderabiles, inuenire ſe, cum delectabili quadam admiratione manifeſta, dicens. *Quam magna multi-*

Pſal. 30 *tudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te:* & cætera, quæ ſequuntur, vſque ad finem Pſalmi. Contra Gryphos autem, ſpirituales ſemen Diuini verbi, & virtutum gemmas nobis præripere conantes, quique Sanctorum inuigilant, ſimplici per cœleſte deſiderium intentione; quaſi vno tantum oculo admirandi, vt gemmam fidei, cæterarumque theſauros virtutum inueſtigare, & effodere queant. Quò enim quæque virtus ſublimior eſt, eò pauciores habet cultores, grauioreſque ab immundis ſpiritibus perſecutiones patiuntur. Hi etenim velut Gryphes meritorum deiectione terreſtres, ſed ſuperbæ mentis altitudine volucres, diuitias ſpirituales non ſibi ad vſum poſſi-

dere,

dere, sed hominibus auferre indefesso labore decertanti. Hæc Beda. quæ etiam à Solino in mundi memorabilibus erudite admodum explicantur. *Cap. 24*

Et si Gemma illa, cui Prassij nomen est attributum, Prassitisque est Theophrasti, inter viridantes vilioris turbæ à Plinio, nec non ab Isidoro ponatur. Nihilominus cum ex Alberto Magno, Domus, materia, & palatium Smaragdi esse dicatur; quia in ipsa inclusus, vel ei affixus frequenter reperiatur; vt rerum varietas repræsentetur, quibus natura ipsa gaudere solet, & ob hanc cum Smaragdo cognationem, cum & hi, vt Berylli ex succis viridibus fiant; non abs re fore duximus, post Smaragdi tractationem, quæ de Prassio annotare est datum, & eiusdem Etymum breuibus perstringere. Sic dictum scias à viriditate, quam sibi in natalibus est adeptus, Porrorum caudis, succovè haud absimili: πράσον enim Porrum est, genus oleris notissimum ex Plinio. & πράσινος colorem viridem porraceum significat; hinc vestes è viridi lana prasinæ dicuntur. Martialis *Lib. de lapid.* *Lib. 37. c. 8* *Lib. 16. c. 7* *Lib. de lapid. c. 14* *Lib. 19. c. 12* *Lib. 10*

De nostra Prasina est Synthesis empta toga.

Vel vt alij, à Prassio planta Græcorum, Marrubio Latinorum: illa tamen planta, quæ à Dioscoride Ballotæ vocatur, Marrubiumvè nigrum, quod ad virorem fuscum porraceum vergat: vt ex hoc dici liceat; huius Gemmæ colorem, & si viridem, pinguiorem tamen esse Smaragdi colore, non vibrare, nec oculum reficere, vt hunc, & obscuritatem retinere saltem in quibusdam eius partibus, hacque de causa gemmam pinguem, & purulentam esse nuncupandam; & si luciditatis aliquid in se habere intuenti appareat. Alia etiam ex hac stirpe asseruatur, quæ viridis cùm sit, maculis nonnullis sanguineis, vt proprijs notis, est consperfa: vt & alia virgulis quibusdam candidis in colore viridi distincta. Grammatiam esse propriam dicunt aliqui: quæ singulæ Prassij species à Plinio annotantur. Prassium & si secundum aliquos, nihil conferre dicatur, nisi quod vireat, & deceat auro. Confortare tamen visum, oculorumque caligini conferre, nec non & cum Iaspide, & Smaragdo vir- *Lib. 3. c. 100* *Loc. cit.*

tutes

Lib. de lapid. c. 14. tutes multas habere communes, testis est Albertus. Nec desunt, qui ad confortationem cordis valere affirmēt, quod etiam de Smaragdo dicitur, qui perspicuitate substantiam spirituum recreat. Tradunt pariter Prassium veneno præsente statim viriditatem, amittere, qui tamen cum abluitur, recuperatur.

MALACHITES Gemmis hisce prænarratis accumbit: est enim ex Gemmarum viridium stirpe, quæ tamen non translucent; spissius namque virens pallida est; nebulosa tota, & opaca, quasi pinguedine sit aspersa, vt Smaragdo in colore similis videatur, sed spissioris, densiorisque viroris existat: Nomen ex Plinio, à Malua, quam Græci μαλάχην vocant, est sortita, non quidem ab eius flore (vt nonnulli autumant) purpurascit namque; sed potius aut à folijs, seu ab earumdem succo, quibus in colore similis videtur. (Loc. cit.)

Gemmam hanc nonmodò reddendis signis laudatam esse; sed & infantibus appensam, eos singulari facultate à periculis defendere, immunesq; custodire, tradit Plinius. quod etiam Marbodeus Poëta in eius Dactylotheca hisce carminibus exprimit. (Loc. cit. cap. 44.)

Infantum cunas virtute sua Molochites
Protegit, & casus abigit quoscumque ferinos,
Ne teneros artus pars possit iniqua nocere,
Dat lapidi precium virtus cumulata decore, &c.

Apud Germaniæ populos inuasit hæc opinio de Molochite: quàm bona, quàm vera, dicant ipsi: gestanti, modò dono sit exhibita, nil mali posse euenire, tutumque à periculis conseruare, dicunt: quod si quis prauus euentus sit futurus, prius gemmam frangi, scindivè asserunt; portentum euidentissimum alicuius futuri infortunij. Quinimo affirmant: si gestans illam; fortuitò aut ex equo, altovè cadat, gemmam vice gestantis ictum in se ipsam recipere: quod sanè fabulosum videri poterit. Aduersatur præterea Epileptico morbo, quo sæpe sæpius in ætate puerili constituti, ob neruosi generis infirmitatem, ex Galeno: facilè corripi solent; modò collo appensa gestetur, itavt carnibus adhæreat. (Lib. 1. Epid. com. 2)

Sunt

Sunt & apud nos Malachites multiplices, & inter has venis nigris ſignatæ, vti & terrea quædam ſubſtantia, ſatis dura, in albo rufeſcens, in qua vti in matrice, variæ Malachites proprij coloris annatæ conſpiciuntur.

Gemma illa hîc erit deſcripta, quæ porracei eſt coloris, guttis puniceis, & venis ſanguineis, ad differentiam Iaſpidis viridis, ſuperaſperſa, cui & ſi haud abſimilis videatur, differunt tamen, quod Iaſpidi maculæ ſanguineæ hærent, illa verò venis ſanguineis interſtinguitur: vt potius videatur eadem, quæ inter genera Praſſij porracei coloris ſanguineis punctis obhorrens, à nobis nuperrimè eſt recenſita. Parum viridis eſt hæc gemma, quòd ex ſuccis non claris, quin potius turbidis, viridibus, rubris, ac nigrore quodam infectis, in terræ viſceribus concreuerit. Heliotropiumque ex huius effectu, & poteſtate nominatur. Græci etenim ἥλιον Solem dicunt, & τροπὴν mutationem, conuerſionemvè. Sub aquis namque ſi ponatur (ex Plinio, & Iſidoro hoc ſit dictum) & radijs Solis apponatur, ob viuacem fortè rubedinem, & viriditatem, colorem veluti croceum ſpargit, vt aërem obnubilare videatur. vti hæc eadem mira poſſe facere videtur, nam extra aquam, ſpeculi modò Solem accipit, deprehenditque defectus, ſubeuntem Lunam oſtendens, ac ſi Sol ex interpoſitione corporis Lunaris ad Solem eclipticas pati tenebras videatur. vndè quia mutare poſſe Solis claritatem videtur. Heliotropium, hoc eſt Solis auerſio nuncupatur: quod etiam Marbodeus ſequentibus carminibus eleganter expreſſit.

Lib.37.c.10
Lib.16.c.7
Dactyl.c.33

Ex re nomen habens eſt Heliotropia Gemma,
Quæ Solis radijs in aqua ſubiecto bacillo.
Sanguinem reddit mutato lumine Solem,
Ecclypſimque nouam terris effundere cogit:
Denique poſt modicum vas ebulire videbis,
Aſpergiq; foras ſubitæ ſcaturiginis imbrem,
Vt ſit cum nimbos diſtillat turbidus aër.
Imbres de Cœlo vocat: aſtringitque ſerenum.
Sed quoque geſtanti dat plurima vaticinari,

Atque

Atque futurarum quædam prænoſcere rerum.
Noſque bonæ famæ quibus eſt data laudibus ornat,
Seruat & incolumes producens tempora vitæ.
Sanguinis aſtringit fluxum, pellitque venena.
Nec falli poterit lapidem qui geſſerit illum,
Tot bona diuino data ſunt huic munere gemmæ,
Cui tamen amplior his conceſſa potentia fertur,
Nam ſi iungatur eiuſdem nominis herba. carmine
Legitimo, verboque ſacrata potenti,
Subtrahit humanis oculis quemcumque gerentem.
Hanc nunc Æthiopes, nunc Cyprus, & Aphrica mittit:
Sanguinis aſperſum guttis, ſimilemque Smaragdo.

Vt vires ſingulæ habeantur, quibus Heliotropium præcellere dicitur, placuit carmina hæc lectori exponere. Quem tamen admonitum vellim, quo loci Marbodeus geſtanti hanc gemmam, illum plurima vaticinari poſſe, dixit, atque futurarum rerum quædam prænoſcere: fabuloſum, ridiculumque videri; qua opinione moti Pontifices illi, qui olim à cultu diuino aberrabant, hac vtebantur, præſertim in Idolorum feſtis, Alberto Magno ſic referente: vti etiam, quod quicumque gerentem inuiſibilem reddi, ſubtraherevè de humanis oculis dicunt; hoc Plinius manifeſtiſſimũ exemplum magorum impudentiæ eſſe tradit.

Lib. 2. de lapid. c. 1
Loc. cit.

Sunt & inter has Gemmas virentes, Berylli, quibus color eſt viridis quidem, ſed multum dilutus, vt in viriditate Smaragdo ſimiles videantur, ſed cum pallore: laudatiſſimi, quia viriditatem puri, & tranquilli maris imitantur. Clarius tranſlucent, fulgorem quoque habent, quòd eorum color naturalis, & ſi ſurdus, & hebes, cum ingenio artificium in ſexangulam figuram ſint redacti, repercuſſu angulorum, ſit excitatus: aliter enim politi non haberent fulgorem. Vnde Marbodeus.

Dactil. cap. 9

Conſpicuos reddit ſexangula forma Beryllos,
Quæ niſi ſit hebes, his pallor ineſſe videtur.
Eximios oleo ſimiles, lymphævè marinæ
Eſſe volunt, & eos probat harum gnara vetuſtas, &c.

Beryllus

BERYLLVS in Sacris literis tantâ fuit habitus ęstimatione, vt octauum poneretur fundamentum cœlestis Hierusalem: de qua Gemma hæc ex eruditissimo Blasio Viegas excipere placuit. Beryllus, inquit, quasi aquam consideres, Solis fulgore percussam, rubicundum, & decorum colorem reddit; sed non fulget, nisi in sexangulam formam, poliendo, figuretur. Repercussione enim angulorum splendor acuitur, tenentisque manum adurere dicitur. Tradunt, Beryllo duos inesse colores, vnum viridem, pallentem alterum. Quilibet Apostolorum, propter mentis puritatem, quasi aqua clarissima, cœlestis gratiæ radium suscipit, pulcherrimusq; efficitur; repercussione angulorum magis splendescit: quia quò magis Apostoli laboribus premebantur, quasi fractis in lapide angulis, repercussoque lumine, magis radiabant. In sexangulam formam figurabantur, quia in hoc mundo, qui sex diebus à Deo fuit perfectus, tyrannis persequentibus, & quasi eos figurantibus, pulcherrimi, fulgentissimique euadebant. Tenentium manus adurebant; quia eos, cum quibus conuersabantur, diuini amoris facibus inflammabant. Præferebant colorem duplicem: quia dum cœlestia contemplabantur, virides efficiebantur expectatione præmij. cum vero ad proximos sese per actionem conuertebant, ipso labore, operumque assiduâ exercitatione pallorem quodammodo accipiebant.

Sect. 3. in Apoc. 21.

Mysticè.

BERYLLVS, vt aliquid etiam de eius viribus dicamus; contra vitia hepatis, contra suspiria, & eructationes tritus, & liquoribus permixtus, valere traditur. humidos oculos sanat; & etiam egregiè prodest eorumdem contusionibus, & conquassationibus, siue pugno, seu baculo, vel alio quodam corpore graui contusio illa fuerit facta. Gestatus hominem magnificare, amorem coniugalem fouere, & coniungere, cum Sauinæ folia sibi habeat strata, tradit Albertus. Sunt etiam qui scribant, virtutem eius contra pericula hostium, & contra lites esse, gestantem inuictum, aptoque ingenio reddere.

Lib. 2. tract. 2. c. 2.

Cæterum priusquam Gemmis hisce, præ colore viridi conspi-

cuis, vmbilicum admoueamus, lapidem illum vndequaque translucidum, legentium oculis subijcere est in votis, quem ob raritatem, & pulchritudinem ad viuum delineari curauimus. Semisphæricam, vt cernere est, imitari videtur figuram. in cuius eminentiori parte, veluti in throno, vt magis, ac magis lapidis venustas eniteat. Achates gratiosissima Gemma, in crystallino candore efflorescens, mirificè splendet. Medium lapidis Niccolis, varijs coloribus insignitum, conspicuum redditur. Centrum Beryllos pellucidos quidem, sed in colore viridi pallentes, vt in proprio lare, fauet, & custodit. Gemmæ, qua meritò, & volupè FERDINANDVS GONSAGA, Mantuanus Dux, oblectari quandoque solet.



SAPPHIRVS in ordine ſuccedit. inculpabilis certè, & cuiusque vitij expers, quod ex ſuccis cœruleis, ob perfe-ctam eorumdem concoctionem, claris, ex terræ matris vtero natalia ſuſceperit. Gemma admirabilis, pulcherrima, & gratioſiſſima, ob colorem nimirum illum cœruleum, Cœlo puriſſimo, & ſereno, quale eſt vernum, ſimillimum, quæ ſola tranſlucet: qui ſanè color cœleſtis ſacrarum Scripturarum teſtimonio perbellè confirmari poteſt. *Viderunt Deum Iſraël, & ſub pedibus eius, quaſi opus lapidis Sapphirini* Exod. 24 (per expoſitionem additur) & quaſi Cœlum cum ſerenum eſt: imò Theodoretus dixit, ſolum Sapphirum obtinere Super Cont. 75. Cœli ſpeciem, & colorem; cui adſtipulatur Rabbi Zeroboam. vt non immeritò ob pulcherrimum hunc colorem cœleſtem, mirabiliter cum purpura, regali omninò ornamento coniunctum (vt ex Iſidoro patet) qui Sapphirum refert inter gemmas purpureas, cœruleumque ſemper con- Lib. 16. c. 10 iungit cum purpura, & ſemper purpuraſcere ſcribit, illum, qui optimus, & præſtans eſt, in armillis, & monilibus, potiſſimum verò à Regibus Sapphirus, vt regali honore, & dignitate dignus reponi cõſueuerit: quod vetuſtus ille Poëta Gallus Marbodæus hiſce carminibus nobis ſignificauit: Dact. c. 52. & ſi illud Sapphiri genus intellexiſſe crediderim: quod aureis punctis collucere notat Plinius. Lib. 37. c. 9

Sapphiri ſpecies digitis aptiſſima Regum,
Egregium fulgens, puroque ſimillima Cælo.

Præ cuius etiam fulgore, patientiſſimus Iob gemmarum cum meminiſſe vellet, Sapphirum primo loco poſuit; vt ex illo. tanquàm gemmarum præſtantiſſimo, reliquas intelligeremus. Et ex hac gemma, vt Regibus digna, Thronus Dei repræſentatur, quod habetur Ezechielis. *Aſpectus lapidis Sapphirini ſimilitudo Throni.* Nam ſi cœleſtis color cum Ezech. c. 1. purpura coniungatur, quid poteſt ad Regis Maieſtatem ſignificandam, commodius dici, aut repræſentari Sapphirina gemma? cuius præſtantia excitati nonnulli ex Platonicis Philoſophis, nec ignobilis claſſis: qui (referente Rodigino) cum ſint arbitrati, tres eſſe vniuerſales, præcipuoſque Lect. antiq. lib. 1. c. 10.

mundi colores, tribus Cœli gratijs dicatos, viridem scilicet, & aureum, Sapphirinum quoque per excellentiam connumerauerunt. viridem Veneris esse voluere, atque item Lunæ; aureum Solis ab Ioue tamen, Venereque; Sapphirinum verò Ioui maximè accommodarunt. cui, Deorum supremo, Sapphirum dixerunt esse consecratum. vndè ex Pierio Valeriano habetur, Gemmam hanc & apud veteres, & apud iuniores omni ætate magna semper in celebritate fuisse; siquidem per eam, imperium, & summum Sacerdotium significari crediderunt: quod hæc cœlitus à Ioue, & Saturno vim quandam contrahat, vt ad huiusmodi res viam præparet, & facilliora hæc affectantibus omnia reddat; ita à Ioue regnum, à Saturno sacerdotium impetrari: cui pariter sacræ appellatio iure meritò attribuenda venit. Cum enim per ordinem duodecim Gemmæ, pro duodecim fundamentis cœlestis Hierusalem, disponantur, in quibus essent nomina duodecim Apostolorum Agni. Secundum fundamentum est Sapphirus. Petro, qui post primum Andream vocatus est, summo sanè Sacerdote, imo, & regale Sacerdotium gerenti respondens. Nec non ex Sancto Epiphanio habetur. cum suam cœlestem laturus legem descenderet Cœlo Deus, illam in lapidibus Sapphirinis insculpsisse. vt Hebræorum traditio fouet. quod etiam confirmat Anastasius Nicenus in Sacram Scripturam, vt Iosephum Rabbinum, in paraphrasi Chaldaica super Cant. 1. Tostatum, & Caietanum ad finem Exodi 31. omittamus. vndè videtur appellari ignea lex. Nam cùm Dominus de Seir dicatur ortus, quando ferebat legem, verus videlicet, & dilucidus quasi Sol: non mirum, quod Diuinæ faciei radijs, & splendore tabulæ repercussæ ignescerent. Sapphirus namque, Piropi instar, Sole illustratus, ignescere, & scintillare dicitur: vt indicant Philonius Episcopus, & Rabonus: qua de re meritò sacro nomine videtur decorata hæc gemma. vt etiam Marbodeus

Quem natura potens tanto ditauit honore,
Vt sacer & meritò gemmarum gemma vocetur.

Lib. 40. Hie.

Apoc. 21

Tract. de 12 Gem.

Quæst. 38

In Cant. 1.
Apoc. 21

Loc. cit.

Sapphi-

Sapphirus ſimiliter tantæ auctoritatis fuiſſe perhibetur apud veteres illos, à cultu Romanæ Eccleſiæ omninò aberrantes, vt in religione locum habere exiſtimarint, & apud eorum Deos plurimum valere putarent. Apollini præ cæteris ſacra facientes, quaſi rem gratiſſimam cum multo faſtu, & ſuperſtitione oſtentabant: credentes (ò vana, deteſtabilisque Ethnicorum illorum cęcitas) citius cuncta, rataq; magis, & certa habere poſſe reſponſa, qui Sapphirum, dum Oraculum conſulerent, in præſentia poſſiderent: vt & Magi in ſacrificijs hunc alijs gemmis præponebant: qua de re audias Marbodęum nugantem. *Loc. cit.*

Et plus quàm reliquas amat hanc Neucromantia gemmas
Vt diuina queant per eam reſponſa moueri.

Et hæc quoad Sapphiri colorem cœleſtem, & religionem pertinent. Quæ facultates modò in hoc eluceant, perſcrutemur. miras etenim naturæ vires, vt & in alijs gemmis, lapidibusvè, in illo coruſcare paſſim apud probatiſſimos auctores legere eſt. Nonnulli Sapphirum portanti, gratiam apud homines, & Principes viros conciliare, inimicos reconciliare, carcere detentos liberare, affirmant: hoc idem à veteri illo Poëta Gallo deſcribitur, inquiens. *Ibid.*

Hic lapis vt perhibent, educit carcere vinctos,
Obſtrictasq; fores, & vincula clauſa reſoluit,
Fertur, & ad pacem, bonus eſſe reconciliandam, &c.

Et ſi nos, qui in fide Chriſti Redemptoris perſiſtere profitemur, diuinæ gratiæ ſingula hæc attribuenda eſſe, piè, & firmiter aſſerere debeamus; quam nobis paratam, credendum eſt, cum benè, & iuſtè, Deo vno, & trino ex corde inſeruientes, vitæ tempus traduxerimus: ſpes namque confiſſa Deo (cum abbreuiata non ſit manus Domini ſuper nos) numquam confuſa redibit: cuius rei Dauid nobis teſtis eſſe poterit; is enim vbi mandata Dei ſedulò obſeruauit, vndique Dei gratia cumulatus fuit; primùm Regno, deinde victoria, poſtremò amicis Regibus.

Omnibus cutis vitijs Sapphirum geſtatum vtilem eſſe, teſtatur Albertus ille Magnus: Anthracem peſtifero tempore *Lib. 2. de lapid. cap. 7.*

naſci

nasci vetat, & scabiem semper minuit: bisque expertum esse, attestatur hic Auctor, quòd Sapphirus super Anthracem positus (requiritur tamen vt grandis sit, & diutius carne adhæreat) illum extinguit: & vt ictu Iaspidis sitis inuehitur, & Torpedinis marinæ contactu obstupescit manus, pariter contactu diuturno Sapphiri, virtus Anthracis fugatur, Alexipharmaca vi, eius maliciam, & venenositatem reprimendo, & infringendo; & ne venenatus eius fumus ad cor ascendat, spiritusque inficiat, impediendo. vnde legitur apud Dioscoridem, virtutem illi inesse veneno contrariam, & illius penitus extinctiuam. Quod Araneæ experimento probat: si enim hæc intra pyxidem ponatur, & vnus Sapphirus Indicus. (is namque cæteris bonitate præcellere dicitur) siue alius, supra pyxidis orificium, sed fortasse rectius, supra animal, diutius pendulus retineatur. Aranea, eius virtute victa, quasi morietur.

Lib.8.c.100

SAPPHIRO virtutem inesse traditur, reprimendi calorem præter naturam. ideò in febribus illis, in quibus ob summam in humoribus ebullitionem, ardoris excessus viget, vt ægrotantes hinc inde se iactare cogantur, nesciantq; stare loco, magnum refrigerium febricitantibus illis præbere, est in confesso; si iuxta venas cordis pulsatiles ponatur, annuente Dioscoride.

Loc. cit.

Sudores illos stringere, qui ex rarissima corporis structura oriuntur, & fluentem è naribus sanguinem compescere astrictoria, qua polet, ob frigiditatem innatam, virtute, & cor recreare, refocilareque, nec non epotum bili nigræ, & melancholicis auxiliari, auctor est Arabum Princeps, Auicenna.

Innumeris alijs viribus præcellere Sapphirum, ex Dioscoride, Alberto: & quamplurimis alijs auctoribus in confesso est: quas singulas recensere, nimis longum esset, & ab istituto nostro alienum. Hoc vnum tamen gemmæ huius præstantiam adprimè exprimens, silentio non videtur prætereundum.

Loc. cit. Lib.2.c.7

SAPPHIRVM nimirum castitatis cultorem, & amasium esse.

ideò quiſquis eſt, qui illum geſtando, prænarratis virtutibus frui gaudet, immundam vitam non eſt vt traducat; illicitos Veneris concubitus abhorreat, nec alienos thoros appetat, eſt neceſſe: alioquin in partes diſſilit gemma, deperit in illa vis inſita, omniſque nitor ſordeſcit, ac obſcuratur, contrahitque aliquid vitij ex putridis corporibus, quæ virus exhalant, ac cum venenato halitu inficiunt: non ſecus ac mulieres, purgationibus lunaribus inquinatæ, ſpeculi nitorem obfuſcant. & in Corallio, dum maritima in prima huius operis Sectione perſcrutaremur, annotauimus: quam ſanè mutationem ſuſcipit; inſituſque illi color rubicundus defædatur, palleſcitque, ac ſi nubiloſa materia cooperiatur, cum geſtantis corpus aliquo morbo detinetur; idquè potiſſimum in puerulis, ob carnium molliciem, & pororum cutis dilatationem, contingere in dies experimur: Huiuſmodi mutationes colorum, in quamplurimis gemmis, & alijs lapidibus conſpiciuntur. Referre placet, quod oculis ipſis, non ſine ſtupore obſeruauimus. Extat lapis non multum grandis coloris cinerei, qui parum elucet; apud D. Chriſtophorum Furlegerum Norymbergenſem. Virum præ animi dotibus, quibus ſe adprimè exornatum demonſtrat, ſummè ſuſpiciendum: & in rerum naturalium cognitione non mediocriter verſatum; quarum etiam vberrimam habet ſuppellectilem, cui lapidis mutabilis nomen attribuit. (Opali ſpeciem aliquam dixerim) Hic aqua frigida, & puriſſima, impoſitus, paruo temporis ſpacio (mirum ſanè, quomodo & corpora inanimata alterentur, & compatiantur) proprio denudatus colore, alium induit, flauum nimirum: & quod maiorem facit admirationem, tranſlucidum valdè. Vbi verò ex aqua extrahitur, depoſito colore illo, quem in aqua contraxerat, proprium denuò intuentibus patefacit. Lubens ſingulis ijs, quæ de Sapphiro ſcripſimus, finis erit, ſi quæ de myſtica eiuſdem ſignificatione traduntur, Lectori, exponamus. Sapphirus (inquit Viegas) medicam putatur habere virtutem; inutilis ſculpturæ, interuenientibus Cryſtallinis centris viret, & ſubinde tranſlucet,

Sapphiri myſtica ſignificatio.

Sect. 3. in cap. 20. Apocal.

ſlucet, aureis quibuſdam punctulis collucens. Quilibet Apoſtolus medicam virtutem habuit curandi, & corporis, & animi ægritudines; non ſinebant ſe ſculpi humanis honoribus, minusvè aut promiſſionibus, quominus inuictam in fide, & amore CHRISTI conſtantiam retinerent; virebant centris Cryſtallinis, ideſt puriſſimis moribus, & tranſlucebant; quoniam lucem veritatis à CHRISTO emiſſam, in alios tranſmittebant. Hæc Viegas.

SAPPHIRI ex Miſnenſium fodinis eruti, alij minutuli ſanè, vt præ paruitate ſemina Papauerum non ſuperent. aliqui etiam ouali, ſed plana, figura, fabæ paruæ magnitudine non excedunt. omnes tamen in colore cœruleo, & ſi opaco, claritatem quamdam exprimunt.

Placuit CALCEOLARIO, nec ab re, ſub Sapphiri tutela, lapides illos in ſuo gemmarum repoſitorio, collocare, qui & ſi non multum lucidi ſint, cœleſtem tamen colorem, Sapphiro attributum, repræſentare videntur. Lapidem nimirum, qui Lazuli tunc temporis vocatur: & Turcicum, ſub Turchogis, vel Turchinæ nomine apud Iuniores diuulgatum. Ita & nobis volupè erit, ſingulis, quæ propria ſunt, de more, aptare.

Epiphanius, vir ſanctitate, & eruditione clarus, tractatu illo, quem de duodecim gemmis edidit. Lapidem illum, quem Arabes Azuli, vel Lazuli nominant, inter Sapphiri ſpecies deſcribere non omiſit. Vt & nos, tanti Viri auctoritate freti, hunc, gemmam non incongrue appellabimus. idque eò magis, cum ex fodinis aureis Orientalibus ſit effoſſus, (quod ex eo potiſſimum cognoſcitur; vi namque ignis nedum colorem amittit, ſed illuſtrior euadit, quod ſecus in eo conſpicitur, qui in Germania oritur; hebetatur enim, & colore minuitur) cuius medium in colore cœruleo, præter ſcintillas aureas, ſtellarum modò radiantes, quas refert, venula quædam aurea tranſcurrit; & quia aliorum lapidum precioſorum more politus eſt, collucet, enitetque: vt aſſerendum omninò videatur, Sapphiri ſpeciem, quam notat Plinius, varijs punctis collucere, gemmam hanc eſſe, de Lib. 37. c. 9

qua

qua præſens inſtituitur ſermo. Gemmę huic cœruleæ, color nomen facit: Græci namq; κυάνον, cœruleum intelligunt, vel eum certè colorem, qui inter nigrum, & viridem colorem locum habet medium. Et ſi enim inter cœruleum, & cyaneum colores, aliqua videatur eſſe differentia, vt ille gemmæ nomen potius mereatur, hic verò Harena ſit ex Plinio. hic Saturato magis ſit colore, quam cœruleus, vt inebriatum dices. huic durities inſit & fractu contumax ſit, vt eſt natura Gemmarum, Cyaneus verò frangi facilè poſſit, & apud Dioſcoridem, & Galenum pigmentum ſit, nihilominus ex eodem parente natalia habere, & ijſdemmet pollere viribus, conſtat. Vtrique enim corpora ſunt foſſilia, ex ſucco macro terreno, non pingui; qui ſua ariditate, & ſalſedine materiam metallicam corroſerit, in terræ intimis adeò compacta, vt præ ſucci adepti qualitate, cœli ſereni, & omni nube vacui colorem imitentur. Et ſi Cyaneus ſaturatus magis videatur. quòd in hoc, ſuccus magis impurus, in cœruleo verò lucidior in generatione concreuerit. Quod autem indifferenter ijſdem polleant in re medica viribus: inter Græcos Dioſcorides, & Galenus, & inter Arabas Auicenna, & Meſue, præ cæteris. hoc nobis amplè patefaciunt. Dioſcorides *Vim habere reprimentem, & modicè erodentem, cruſtas gignere, & exulcerare* tradit. Galenus (& ſi paucis verbis) huius vires perſtrinxit, inquiens, *Cyanos ſiue maſculino, ſiue fœminino pronunciare velis, hoc medicamentum acri facultate eſt, tum detrahendi (quam καθαιρετικὴν vocant) potentioremque Cinnabari. Ineſt quoque ei nonnulla adſtrictio.* Auicenna, & ſi cœruleum cum Armeno lapide idem eſſe, aſſerere videatur, quod etiam apud Serapionis interpætes legere eſt, qui lapidem Lazuli vocant, qui apud antiquos eſt lapis Armenus; fortaſſe ob horum in ortu cognationem, ſed quam inſulsè, videant illi, *Virtutem ei eſſe* (dicit) *ſicut virtus eius, quo adhæret aurum, & debilior eo parumper; calidum in ſecundo, & ſiccum in tertio conſtituit. Ei ineſſe virtutem eradicatiuam, putrefactiuam, & abſterſiuam cum acuitate, & ſtypticitate pauca, & in ipſo eſſe aduſtionem, &*

Lib. 33. c. 13

Lib. 5. c. 66

Lib. 9. de ſim. pl. medi. fac.

Lib. 2. tract. cap. 16.

vlcerationem ſcribit. *Prouocare menſtrua ſufficienter bibitum, & in matricem ſuppoſitum. Solutione educere melancholiam, & quicquid ſanguini eſt commiſtum, in quo eſt groſſitudo* notat.

Lib. d. ſimpl. cap. 14.

Meſues ſimiliter, quem ſtellarum vocat, de illo hæc habet, *Eſt de genere marmorum, habens maculas ex auro, & alius eſt albus, & dicitur Marchaſita, alius viridis clarus, cœleſtis, & vocatur lapis Lazuli, & quandoque minera fert vtrunque ſimul. Melior eſt cuius color eſt viridior in colore Lazulini, & habet maculas aureas; & mixtus cum Merchaſita non eſt bonus, & non maculatus, eſt non bonus, & ſimiliter leuis.* Verbum autem: viridis, clarus, cœleſtis (ex Ceſalpino) non accipiendum eſt, quaſi duo colores ſignificentur, vt in lapide Armeno, ſed viriditas ſignificat intenſionem coloris cœleſtis. Similiter dum dicit; melior eſt cuius color viridior in colore Lazuli: ideſt ſaturatior. Sic apud Plinium videtur accipi, cum de Pæderote gemma inquit, *Ineſt viridis ſuo modo aër*, ideſt cœruleus ſaturatus. *& calidus in ſecundo, & ſiccus in tertio.* (progreditur Meſues) *& in ipſo acuitas, non vacuata ſtipticitate aliqua, & eſt ex parte acuitatis eius aduſtiuus, vlceratiuus, putrefactiuus, abſterſiuus, & inciſiuus.* (quæ omnia intelligenda ſunt, dum foris adhibetur) *& in non loto eſt proprietas radendi pilos. Lotus autem conſeruat, & prolongat eos, & generat pilos in palpebris, ſolutione educit melancholiam, & humores aduſtos, & mundificat venas, & ſanguinem ab eis.* (modò tamen decenti abluitione ſit præparatus) *& non lotus educit per vomitum, & per ventrem humores craſſos, & melancholicos. Confert ad ægritudines cerebri, & cordis, ſicut ad epilepſiam, maniam, & melancholiã. quarum materia eſt humor melancholicus. & confert ſincopi, & confortat cor, & auffert nocumenta eius. mundificat pectus, & pulmonem. confert aſmati, iuuentutem conſeruat, &c.* Hæc indeffeſſus in medicina practica illuſtranda Meſues. Ex quibus colligere licet, lapidem Lazuli cum cœruleò multum conuenire. Vti Smaragdus cum Chryſocolla. Et ſi quæ ineſt in hoc lapide mala qualitas, quam in ortu contraxit, eum materiam metallicam participet, æris præcipuè; illa, facta optima

Lib. de metall. c. 40.

Lib. 31. c. 9

præpa-

præparatione, deponitur. ita vt rectè ablutus, contra illorum opinionem, qui hunc, non secus ac perniciosissimum venenum formidant, intus exhibitus multum iuuet, vel nihil, vel parum lædat: & nos quoque non semel, vrgente necessitate, in affectionibus melancholicis præsertim, & in Elephantiasi exhibuimus: semper profuisse, neque tormina induxisse, nec ori ventriculi multum obfuisse, experti sumus; sed de hoc lapide satis. Quò autem iam prænarrata in hisce lapidibus colorum differentia magis eluceat, à re alienum haud fore iudicauimus, si singulas illas cœrulei species commemorabimus, quæ à diuersis locis transportatæ, in Musæum Calceolarium reconduntur.

Cœruleum fossile, ob saturatum colorem, medium inquam inter nigrum, & viridem cui est locus, vt inebriatus videatur, saxo candido rudi, & præduro, quod pro parente in natalibus sibi elegit, firmiter adhærens. Ex Boemiæ fodinis.

Cœruleum natiuum ex Hispanijs, in quo auri scintillæ enitent: inter pigmenta nobilia, ob bonitatem, & colorem glaucum aspectu pulcherrimum, cœteris præferendum. Cœruleo illi Ægyptio meritò æquandum: de cuius laudibus Plinius, & alij quamplurimi ex veteribus multa scripserunt. ex quo, vt etiam ex lapide Lazuli Orientali, color ille cœruleus paratur, quem vltramarinum Pictores appellant. hoc nomen sortitum, fortasse, quia aut extra mare in Orientalibus fodinis reperiatur. vel quòd colore glauco maris aquæ colorem imitetur. *Loc. cit.*

Cœruleum Cyprium, bonitate, & coloris pulchritudine, cæteris quibusuis alijs comparandum.

Cœruleum præstantissimum, terræ duræ, & cinereæ adhærens, in colore, & bonitate Cyprio haud absimile. Ex Poloniæ fodinis.

Cœruleum natiuum Suocicum insigniter glebosum. terræ sabulosæ candidæ, sed satis duræ adnatum: in quo color veluti saturatus conspicitur.

Cœruleum Puteolanum, colore, & bonitate, ac nobilitate

Cyprio non indignè æquandum.

Cœruleum foſſile, per ſe, ac ſine vlla alia materia metallica mixtum, in propria vena repertum, ſabulo, arenævè duræ, quod eſt ita ſimile, vt ex arena litorali totum conſtructum appareat: cui non admodum inebriatus, ſed potius dilutus color ineſt; in quo etiam aliquot guttulæ aureæ ſplendent
Lib. 5. c. 68 cœrulum arenoſum Dioſcorides appellat.

Cœruleum ex propria fodina erutum, in quo nulla apparet coloris proprij mutatio. iLapidem Armenum, colore viridi qui perbellè imitatur, ob amoris vinculum, & affinitatis ſympatiam, quam cum illo in ijſdem venis metallicis à naturæ primordijs contraxit, ſuo complexu fouens, vt ſimul iuncta, mutuoque amore connexa, dices, ac ſi vnico partu prognata eſſent: admiranda certè naturæ vis, quæ talibus conſortijs, & mineralia ac metalla ipſa, ac ſi animata eſſent, inter ſe colligare ſoleat.

Cœruleum natiuum, Chryſocollam puram (quam in ortus principijs, vt plurimum in ſuo ſinu excipere non dedignatur, eidem glebæ metallicæ, cui & illud apponitur, adhęrentem benignè amplectens.

Gemmis illis, quæ colore cœruleo vndecumque ſcatent, lapide illo finis erit, qui à loco vbi effoditur, nomen videtur ſortitus. Et ſi enim communi nomine apud iuniores, lapis Turcicus, vel Turchina, Turcheſavè vocetur; rectius tamen apud Indos Peroſe dicitur, quod in Perſia plurimus huius ſit prouentus. Color huic vt plurimum in viridi pallens eſt, colorem nimirum illum imitans, qui, & ſi cœleſtis cœruleusque ſit, eſt tamen dilutus, quem nos (Turchino latato, ſeu chiaro) appellamus. Reperiuntur tamen ex his lapidibus, qui intenſæ magis ſunt viriditatis, ſignis quibuſdam nigris, veluti venulis notati, quæ ſe ſe in ſuperficie inſinuant. & hi probatiores exiſtimantur. Sub qua autem lapidum claſſe veniat hic reponendus, videtur adhuc ſub iudice lis; non enim deſunt ſpectatæ auctoritatis Viri, qui ad Callaidem gemmam, à Plinio deſcriptam, referendum
Lib. 37. c. 8 afferant; non ſecus enim ac Callais in viridi pallet, & vt

hic,

hic, oculi figura extuberans, cernitur. Alij verò Iaſpidis illam ſpeciem eſſe cenſent. quam ex mente Græcorum Boream, ſeu ex Perſis, quia aëri ſit ſimilis, Ærizuſam Plinius vocat, quæ cum Cœlum autumnale matutinum imitetur, nec in colore diſpar videatur Turchina, ob id eamdem conſtituunt. Vt vt res ſit. Lapis eſt ex foſſilium genere, inſtar gummi, ſeu nodi dimidiati, globi figuram exprimens, ex lapide nigro, vti matrice reſudans. in viridi pallens, & inter gemmas, quamuis parum luceat, recenſitus. Cui admirandæ ab auctoribus attribuuntur virtutes; Aduerſus faſcinationes, & lymphaticos, illos nimirum qui maniaco furore, aut amentia corripiuntur, valere tradit Cardanus. annulo geſtatus, ſi ex equo cadat homo, excipere omnem ictum, & pro cadente in fruſta rumpi, ſeruato homine, modo dono ſit acceptus, ex hoc ipſomet auctore habetur. quamuis ſupra fidem eſſe dicat: referam tamen, quod veriſſimum eſt, apud populos illos Maumetanæ religioni addictos, Turcas nimirum, tantæ dignationis, æſtimationisque eſſe, vt putent ſeipſos ex vſu huius lapidis à quouis infortunio incolumes ſeruare, & cadentium damnum prohibere; hincque factum ſit, vt viri, prædiuites potiſſimum, quando ſe ſe offert equitandi occaſio, habenas equorum, pectorales, humerales, & phaleras, quinimmo, & equorum caput hoc exornent; vt dicere liceat, lapidem hunc, Turcicum fortaſſe vocabulum hac de cauſa ſortitum: quam pariter virtutem Malachiti gemmæ ineſſe ex quorumdam Germanorum teſtimonio, ſuperius eſt à nobis annotatum. Cæterum qua ratione eruditiſſimus, & perſpicaciſſimi ingenij Cardanus. Lapidem hunc Eranon vocat, & vndè denominationem habeat, vt rerum nouarum adprimè ſtudioſiſſimus, libenter ediſcerem. Omnem potius annulum, quod pro ſymbolo ad conuiuia ſodalitiorum daretur, Eranon à Græcis dici, notans Scaliger: quàm Turcheſiam lapidem. niſi fortè dicere velimus, totum pro parte intellexiſſe Cardanum. quia ſcilicet lapis hic annulis aureis includi ſoleat. Addam ex Rodigino, quo loci de conuiuiorum ſpeciebus agit,

Loc. cit.

Lib. 7. de lap

Loc. cit.

Lib. de ſubt. cont. Card. exert. 115

Lect. antiq. lib. 27. c. 14.

agit, ſed præcipuè quale ſit conuiuium ſportularum, explicat, *Eranon*, dicit, *quod pluribus differtum accumbentibus ſit, ſed ita, vt ferat vnusquisque quod edat, quod etiam ἀπὸ σπυρίδος dicebatur, hoc eſt à ſportula, vndè conuiuæ Eraneſtæ dicebantur. quæ res Poëtæ Heſiodo arriſiſſe admodum videtur, quod ſit iucunditatis multum, impendij haud ſanè.* Hoc tamen dictum intelligo, pro veritate rerum tantummodò inquirenda, non quod more ariſtarchæo, de tanti viri auctoritate, & dignitate quicquam detrahere ſtudeam; baccari namque in mortuos, ò quàm impium, & à ciuili religione alienum, videtur? & me talem eſſe profiteor, vt vitæ meæ curriculum, abſque vllo liuore, & detractione in alios, præcipuè verò in Viros de Republica literaria bene merentes, ad normam diuinitus inſtitutam, traducam. Sed ad Turcheſiæ virtutes, quæ ſuperſunt, rurſus.

Lib. de Gem. 2. cap. 18I Franciſcus Rueus ſe vidiſſe Turchinam affirmat, quæ patrono defuncto, omnem ſplendorem amiſerat, & veluti rimam quamdam contraxerat. quæ poſtmodum vili precio à quodam ſanitate fruente empta, ad priſtinum colorem redijt, ac ſi ſenſu quodam perciperet, nouum ſe dominum, & ſanum inueniſſe. vt ex his pateat, Gemmam hanc ſæpius colorem mutare, atque expalleſcere, vbi qui hanc geſtat, langueſcit, valetudinariusvè eſt: cum verò corpus conualeſcit, ex natiui coloris temperamento, & hæc colorem proprium adipiſcitur. quæ, & ſi fabuloſa, ridiculavè videri poſſent, experientia tamen quotidiana nos edocet vera eſſe; vt de Corallio, Smaragdo, Sapphiro, & alijs lapidibus eſt annotatum. Viſum conſeruare, eidemque robur addere, vt oculorum imbecillitati accommodata, & ſpiritibus totius corporis refocillandis apta, hilaritatem gignere, paſſim legitur.

HACTENVS de Gemmis purpureis, nunc rubentes proſequamur, & inter has pulchriores, nobilioresque preferamus, quæ ob ſplendorem, & colorem igneum, ardentes vocantur; nimirum Rubinum, & huic cognatas. Non certè illi æquandus, quem vt naturæ miraculum, & regali tantum Diademate

mate dignum referre placet. Recitat Marcus Polus, admirabilem Rubini compertam magnitudinem in vnico, qui apud Regem Orientalis Inſulæ Zeilæ, compertus eſt; cum enim nullibi amygdalo maior repertus ſit, apud illum tamen Regem extat ad palmi longitudinem, & ad humani brachij craſſitudinem, corruſcatione igneam flammam ſuperans, qui cùm vnicus videatur, inæſtimabilis precij cenſendus eſt. Sed Rubinus ille delineabitur, qui à CALCEOLARIO inter alias gemmas aſſeruatur. Hic mediocris eſt magnitudinis, colore, ac fulgore egregiè rubet, ſeque totum ſplendidiſſimum patefacit: quod ex ſuccis rubris puris, claris, & tranſlucidis ortum traxerit, ad perfectamque eorumdem concoctionem deuenerit: & quia optimus, probatiſſimusque, inſigniter durus exiſtit, nec vllum ab igne detrimentum pati videtur; quinimmo illi appoſitus, colore magis augetur, acuitur, intenſiusque rubet. Qua ratione quasuis rubentes gemmas pulchritudine ſuperare videtur, & ob flammeum illum colorem, cum nil poſſit ſpectari elegantius, atque iucundius, Carbunculi nomen meritò illi attribuendum. Non quod huiuſmodi gemmæ realiter (vt apud multos inualuit opinio, hoc enim videtur fabuloſum) in tenebris ſplendeant; ſed rectius; quia Soli expoſitæ flagrent colore carbonibus ardentibus ſimili. vnde Græci ἀνθράκια nominant. Carbo enim ijs ἄνθραξ eſt: qui & ſi propriè intelligatur, quando flamma, & igne caret, nihilominus Carbo etiam dicitur, cùm eſt ignitus. vt apud Plinium legitur: cuius verba hæc ſunt; *Et cum cinis in foco concreſcit, & cum carbo vehementer perlucet*. Nec non apud Ciceronem candens Carbo dicitur. *Qui cultros metueus tonſorios, candente Carbone ſibi adurebat capillum*. Hæc obiter annotare volui, ne in nomenclatura exponenda erroris aliquid appareat. Gemmas has inter alias, affinitatis vinculo ſibi addictas, principatum habere tradit Plinius, *Carbunculos à ſimilitudine ignium appellari*, dicens, *cum ipſi non ſentiant ignes*, ac ob id à quibuſdam Græcis ἀπύρωτοι ſunt vocatæ. Ariſtoteles libro de lapidibus hanc gemmam omnium gemmarum

Lib.3.c.19

Lib.18.c.17

Lib.2.off.33

Lib.7.c.7

Lib.37.c.10 rum gnomonem dicit, & Regulam (& si Plinius, vt in O-
palo est obseruatum, hunc illi præponat) de qua etiam
Lib.2.tract. 2.cap.1 tractans Albertus Magnus. Carbunculum ad reliquas Gē-
mas tanti facit, quanti aurum ad ferrum, vel plumbum.
vt non præter rem, & Marbodeus eius præstantiam, & prin-
cipatum ita expresserit.

Ardentes Gemmas superat Carbunculus omnes,
Nam velut ignitos radios iacit vndique Carbo,
Nominis vnde sui causam traxisse videtur.
Lingua sed Græca lapis idem dicitur Antrax,
Huius nec tenebræ possunt extinguere lucem,
Quin flammas vibrans oculis nitet aspicientum.

Quamobrem iure meritò & ob dignitatem, & ob eius admirandam consistentiam, nec non ob virtutes insignes, quibus scatet, quartum ponitur fundamentum cœlestis Hierusalem; & in sacris literis sub Carbunculi nomine CHRISTVM Redemptorem nostrum significari, ex traditione Pererij habetur. Qui inter mundi huius tenebras refulsit, quando VERBVM CARO FACTVM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. Atque iuxta Landulphum. Carbunculus Charitatis typum gerit, quæ quidem præcellit omnibus virtutibus, lucet nocte aduersitatis, peccati venenum fugat, cęterasq; virtutes conseruat. Sed rursus, vnde digressi sumus. Plinius de Carbunculis agens, varias horum species, & differentias prolixè scribit, & singulorum genera nationibus distinguere videtur. Nec non in vno quoque genere masculos appellari dicit acriores, fœminas verò languidius refulgere. In masculis alios obseruari liquidioris flammæ, alios nigriores, & quosdam lucidiores, ac magis cæteris in Sole nitentes. Ne verò rem hanc in longum protrahere videamur, singulorum anatomen distinctam neutiquam recensebimus, sed Lectorem ad Plinianum Codicem remittemus. Quem hoc vno admonitum volumus: & si apud antiquos Carbunculi nomen de illa tantummodo gemma intelligeretur, quæ in colore igneo, & fulgore egregiè ruberet, vt ardere videretur; nihilominus apud recentiores pro quacumque

Apoc.21
Mysticè quid Carbunculus
Disp.13.in cap.2.Apo.
De Vita CHRISTI.
Loc. cit.

cumque gemma rubente, quæ fulgeat, vsurpatum legitur. quorum auctoritati, & nos assentiendo, Rubinum, Carbunculum appellare non sumus veriti. Et quæ Carbunculi species à Plinio, & Isidoro referuntur, apud Gemmarios nunc temporis alijs nominibus distingui: Qui enim intensiori rubedine splendidissimi sunt, Rubinos vocant, Carbunculos Antiquorum, seu Pyropos Græcorum, dices. quorum verò rubedo dilutior est, sed maximè splendens, Spinellas vocant. Crediderim illos esse, quos Plinius in masculis quoque alios obseruari liquidioris flammæ, dicit. Tertiò loco recensent, quos Iuniores Ballagios à pallido colore, Spinellis dilutiore, ac minus radiante nominant. candidos antiqui à colore diluto dicunt. Quarto loco constituunt Carchedonios veterum. Iuniorum Granatos, sic nuncupatos à granis mali punici, seu eiusdem floribus quos æmulantur: & si nigrioris sint aspectus: Hi non radiant, nisi clariore lumine. inter hos cum rubore quidam violæ colorem sentiunt, quos violaceos vocant, cæteris prestantiores, quos si Ametystizontas nuncupes, abs re non erit. Quinto loco Alabandini ponuntur, quasi corrupta voce Alabandici, Granatis nigriores, vt qui ex Boëmiæ fodinis eruuntur. Vltimum locum Amandinis attribuunt, qui varij coloris, interstinguentibus maculis albis, sunt. vt Trœzenïj apud Plinium. Hoc vnum addam, reperiri in hisce Gemmarijs delicijs Glebam quãdam prædure substantiæ, colore viridi subcinereo insignitam, vt Ophytim Boëmicum asseueres, mirandam certè: in hac enim, vt in proprio lare, Rubini, Smaragdi miro intuentium applausu, præfulgere visuntur. Munus FERDINANDI GONSAGAE Mantuanorum Principis, quo FRANCISCVM CALCEOLARIVM nostrum (dum elapso Iunij mense Serenissimo Duci debita obsequia persolueret) ob beneuolentiam, qua Calceolarios prosequitur, Regia manu cohonestare visum fuit. qua pariter & nos, præuia tanti Principis benignitate, fruimur. Quam verò aliam asseruamus, tùm substantia, tùm colore haud similis regiæ illi glebæ visitur. Est enim veluti sa-

Loc. cit.
Lib. 16 c. 13

Rubinorum minera.

xum quoddam in colore non subuiridi, sed subrubro, vt fuscum, subobscurumvè videatur; aliquantulum splendens, cui Rubini, colore valdè rubro præfulgentes, vt propriæ matri inhærent. Reliquas modò Gemmas rubentes perscrutemur; quæ cognatione quadam veluti prænarratarum pedisse quę esse videntur. vt Sarda, Corneolus, & Sardonyx.

Quicquid autem de Sarda Gemma, Sardiovè lapide, dici, explicarique per nos potest, succintè habeas. Gemma ex illarum stirpe est, cui patria, & color nomen dedit. Sardi namque Populi, Sardinæ Insulæ Libici maris incolæ, ei nomen quondam fecerunt, quòd eò loci primùm fuerit reperta. vnde Marbodeus.

Dactyl.c.54.

Sardius à Sardis est, à quibus ante receptus,
Sortitus nomen, rubei solet esse coloris.

Quod si etiam colorem illum rubentem, qui in Sardis piscibus, quos Palamidas longas vocat Plinius; & quorum plurimum prouentum ex Sardinia aduehi, scribit Galenus, consideremus, præsertim cum sale conditi, illum Minio similem referant. absurdum non erit dicere, ob colorum sympatiã, denominationem ab his piscibus contrahere potuisse. Aut si mauis expositionem hebraicam attendere: scias, Sardium lapidem Hebraicè dici Odem, nomine deducto à verbo Adam, quod lingua illa rubere significat. Siue ergò Patria, seu color, verbumvè hoc Hebraicum nomine Sardam cohonestauerit. Gemma est præ succis rubeis, à quauis labe alienis, in ortu susceptis, quod multum rubet, efficatiusq; fulget, ac perspicua est; vt ob id & laudatissima, & mas credatur: habeas enim, non vnum esse Sardæ colorem; aut enim rubentior in quibusdam viget, vt quæ iam delineata: aut obscurè rubet, aut minus dilutè, aut mellea est, aut fecibus sordida. Quas singulas differentias si quis attendere appetit, Calceolarium Musæum adeat, & nos pariter Lectori inferius exhibebimus. Sarda, & si tunc temporis minus nobilis, & vulgaris iudicetur, fortasse quia & Gemmæ preciosiores, maiorisque precij sint repertæ. vndè apud Gem-

Lib.32.cap. vltimo.
Lib.3.de ali. facult.c.31.

Gemmarios nihil præter fulgorem habere dignitatis dicatur, & solummodo ad sigilla sculpenda reputetur idonea. Nihilominus maxima in veneratione olim extitisse, ex hoc præ cæteris patere potest, quod sextum ponatur fundamentum cœlestis Hierusalem. Nec non de hac, vt nobilissima gemma in Sacris Scripturis non rarò fiat mentio; vt legatur, horum multitudinem, filios Israel in deserto tàm affabrè sculpsisse, vt nemo huiusmodi artis imitationem fuerit deinceps aggredi ausus. Vti etiam ex Plinianis verbis colligitur: nullam fuisse apud Antiquos gemmam vsufrequentiorem, & celebriorem: quò loci eius quinque enumerat differentias; laudatissimamque omnium haberi Babylonicam, deindè Indicam, tùm Arabicam, adhæc Ægyptiam, vltimo loco Cypriam. Et ex coloris distinctione, differentias sexus apparere notat; mares enim excitacius fulgent, fœminæ pinguiores sunt, & crassius nitent. Gemma hæc, vt Corneolus, & Sardonyx, quæ non nisi coloris differentia, & succorum mixtione inter se dissident, ex eadem enim sunt prosapia, multis nominibus facilis sculpturis est, tùm quia ceram non rapit, tùm quòd tenax cum sit, & mediocris duriciei, non multa cum difficultate cælatur. Tertiò quia, ex Plinio, tardius cæteris pespicuis humore suffuso hebetatur: & oleo magis, quam alio liquore. Quamuis autem inter Gemmas vilissima reputetur, nihilque vtilitatis præter splendorem afferre credatur. excepto quod Onyx, qui quasdam, vt est explicatum, habere nociuas proprietates dicitur, non potest eius vim, Sardæ existentia, ad effectum producere: vnde Poëta Gallus

Apoc.21

Lib.37.c.7

Loc. cit.

Cap.de Oniche.

Loc.cit.

Hic inter Gemmas vilissimus esse putatur,
Præter fulgorem cum nil ferat vtilitatis.
Excepto quod Onyx nequit hoc præsente nocere.

Attamen refert Albertus Magnus, ex mente fortè Aristotelis libro de Lapidibus, quod etiam in libro illo, Galeno ascripto, de incantatione, adiuratione, & suspensione legitur. In hac gemma virtutem esse sanandi hæmoroidas, & iram, rixasque sedandi, prohibendique somnia terrifica,

Lib.2.c.17

ſi ad pondus xx. granorum hordei, collo, vel in digito portetur. Geſtantis animum ad gaudium excitat, timorem depellit, reddit audacem, eiusque mentem acuit, nec non à veneficijs, faſcinationibusque potenter tuetur: in puluerem tritam, & cum vino auſtero potam, immoderatum menſium fluorem, & ſanguinis per ora venarum profuſionem ſiſtere notat Agricola, quibus virtutibus & Corneolum dotatum eſſe, ſic ſcribit Marbodeus.

lib. 5. de nat. foß.
Dactyl. c. 15

Sed neque Corneolum lapidem numrare pigebit,
Qui licet obſcurum videtur habere colorem,
Non ſpernenda tamen huic creditur inſita virtus.
Nam lapis hic digito, collovè gerentis adhærens,
In diſceptando ſurgentes mitigat iras.
Qui lauaturæ carnis par eſſe videtur,
Sanguinis è membro ſiſtit quemcumque fluorem,
Præcipuè talem patitur ſi fœmina fluxum,

Lib. de med. facu. panab. cap. 47.

Ventri deligatam, quod etiam Aëtiti lapidi attribuitur, fœtum vſque ad finem detinere, ſcribit Galenus. Nè verò & hæc gemma abſque vlla myſtica ſignificatione relinquatur, hæc pauca ex doctiſſimo Viegas collegi: Scias, Sardam lapidem tranſlucere, ſic Martyres exemplo tranſlucent. Coloris eſſe ſanguinei, atque adeò martyrium eorum deſignari. Feris terrorem incutere, ſic Martyres Dęmonibus erant formidabiles. Quò verò prænarratæ Sardij in colore differentiæ appareant, ſingulas ſpecies, quæ penes Calceolarium ſunt, breuiter delineabimus.

SARDIVS lapis non multum ſanè, ſed dilutius rubens, vt qui ob rubedinem remiſſam loturæ carnium ſimilis cum videatur Carneoli, ſeu Corneoli nomen meretur.

SARDIVS lapis obſcurè rubens, craſſiusque nitens, quòd huic pinguis inſit ſubſtantia, quæ perſpicuitatem impedit, fœmina reputatur hic lapis, & propter pinguedinem, quæ δημὸς eſt Græcorum, Δήμιος ab eiſdem nominatur.

SARDIVS lapis alienum colorem in ſe qui admiſit, melleum nimirum, ſplendet tamen & ſi aliqua cum opacitate.

SAR-

SARDIVS lapis, in cuius concretione non ſine aliqua nota materiam immundam cum conceperit, obſoletus, & ſordibus plenus videtur: ac ob id viliſſimus.

SARDIVS lapis rudis ſanè, & obſcurus, vt videatur è propria minera non niſi extractus: qui tamen dum ad leuorem reducitur, multum rubere, & perſpicuum fieri, reipſa dignoſcitur.

SARDII lapidis variæ ſpecies, in quibus effigies Imperatorum Romanorum, ac ſymbola, eorumdem præclarè geſta referentia, admirabilique artificio antiquitus inſculpta, conſpiciuntur. Ne autem deſidem, diminutumque in rebus antiquis conquirendis CERVTVM Medicum credas; in noſtro numiſmatum antiquorum ſatis locuplete larario ſeruari, ſcias ex ſingulis huius gemmæ generibus, omnium ferè Cæſarum effigies, ac ſi ad viuum eſſent delineatæ, præ cæteris verò, vt pupilla oculi mei cariſſima, ſeruantur in Sardoniche pulcherrimo imago Filippi Macedoniæ Regis, Patris illius Alexandri, cui ex rebus actis Magni inditum eſt cognomen; & in Sardio, excitatius rubente, Fauſtina illa, de qua plura à pudicitiæ ſtatu omninò aliena literis ſunt tradita; & quæ maluit potius extra pudicitiæ limites tergiuerſari, quàm quod in illa caſtitatis virtus coruſcaret.

NE verò inſtitutus ordo præuertatur, Gemma illa proprijs characteribus delineabitur, quæ ex duorum foſſilium corporum, ſimul in terræ viſceribus, vt natali loco, coëuntium (de quibus in ſuperioribus à nobis eſt tractatum) ſocietate oritur ex Onyche nimirum, & Sardo gemmis, a quibus Sardonychis nomen eſt adepta: vt ex colore rubeo Minio ſimili, quo Sarda gaudet; quique in gemmæ ſupremo viſitur, & cui candidum Onychis ſubſternitur, haud difficilè eſt coniectari: ac ſi dicas Gemma ex Sardi rubore, & Onychis candore, in vnum hoc corpus formandum conſpirantibus, genita; ita vt tota pelluceat, ac inuerſa ob permixtum colorem, ſimilitudinem, & ſpeciem vnguis humani carnibus impoſiti referat; vt non abs re & hæc inter

Nic-

Niccolos enumerari possit; quæ tamen solum perpolita sit; exculpta enim, vt substratum alterius coloris sit, rectius Cameos vocari poterit. Sardonychis ortum, & in hac co-
Dactyl.c.55 lorum varietatem, hisce carminibus expressit Marbodeus

Sardonycem faciunt duo nomina Sardus, & Onyx,
Tres capit ex binis vnus lapis iste colores,
Albus, & hinc niger est, rubeus supereminet albo.

Lib.37.c.6 Hoc idem ex Plinio habetur, scribente: *Sardonyches olim, vt ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc est veluti carnibus vngue homini imposito, & vtroque translucido: tales esse Indicas tradunt Ismenias, Demostratus, Zenothemus, & Sotacus.* Quo loci etiam Æthiopicas, Arabicas, & Armenicas enumerat; quibus singulis proprias qualitates aptat, vt vnaquæque inuicem distingui possit, & quæ alijs præstantior sit, elici absque difficultate detur. Quarum omnium distinctas qualitates si scire appetis, auctor hic om-
Loc. cit. Lib.6.de nat foss. nes tibi suppeditare poterit; nec non Georgius Agricola inter recentiores. Gemma, qua primus Romanorum vsus est Prior Africanus, referente Plinio ex Demostrato. *Et*
Loc. cit. *inde* (subdit) *Romanis hanc Gemmam fuisse celeberrimam, quo factum est, vt initio Romanis multum placuerit, qui deinde Indis persuaserunt, vt ipsi quoque ijs gauderent. Cl. Cæsar pariter Smeragdos, & Sardonycas induebat.* Cęterum, vt omittam, Sardonychem luxuriam repellere, & gestantem humilem, & pudicum efficere: & hanc solam propè Gemmarum in signando de ceræ substantia nihil aufferre, vt notat Marbodeus.

Loc. cit. *Hic solus lapidum ceram conuellere nescit,*
Hic humilem, castumque facit, multumq; pudicum.

Et si non desint, & alij lapides, qui nihil de cera rapiant: vt Sarda, Corneolus, aliquæ Niccoli species, & alij quamplurimi. Vnica obseruatione, Gemmæ huius tractationem ex Conterraneo nostro, includam, qui de gemma Polycra-
Lib.37.c.1 tis Tyranni agens, hæc habet. *His initijs cæpit auctoritas in tantum amorem elata, vt Polycrati Samio seuero Insularum, ac Litorum Tyranuo fælicitatis suæ, quam nimiam fatebatur etiã ipse,*

ipse satis piamenti in unius Gemmæ voluntario damno videretur, si cum fortunæ volubilitate paria faceret: planèque ab inuidia eius abundè se redimi putaret, si hoc vnum doluisset: assiduo ergò gaudio lassus, prouectus nauigio in altum, annulum mersit. At illum piscis eximia magnitudine Regi natus, escæ vice raptum, vt faceret ostentum, in culinam Domini rursus Fortunæ insidiantis manu reddidit. Sardonychem eam fuisse gemmam constat: ostenduntque Romæ, si credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo Augustæ dono inclusam, & nouissimum propè locum tot prælatis obtinentem. Hactenus Plinius. Ex hac pariter Gemma moralitates haud spernendæ expiscantur. Sardonyx præciosior censetur, qui tribus coloribus variatur, primo nigro, medio candido, supremo rubro: per hanc gemmam, præ coloribus hisce conspicuam, Sancti Martyres mysticè designantur: omnes enim Martyres nigrum colorem ob labores, candidum propter puritatem, rubrum propter martyrium habuerunt. Sed audiamus Sanctum Gregorium de Sardonyche loquentem. dum enim verba Iob. cap.xxiix. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, vel lapide Sardonycho preciosissimo, vel Sapphyro.* interprętatur, ita scribit. *Sardonychus quippe terræ rubræ similitudinem tenet. Sapphyrus verò aëream habet speciem. docet ergò in Sardonycho per terram rubrã homines: in Sapphyro autem per aëream visionem Angeli designari. Nam cùm rubræ terræ speciem Sardonycus habeat, non immeritò hominem designat. quia & Adam, qui primus est conditus, latino sermone terra rubra dicitur. Quid est ergò quod dicitur, quia hæc sapientia lapidi Sardonyco, vel Sapphyrino non confertur, nisi is, qui est (Dei virtus, & Dei sapientia, meditator Dei, & hominum CHRISTVS IESVS, tanta magnitudine excellat omnia; vt ei nec in terra primi homines, nec in cęlo Angeli comparentur. Vndè per Psalmistam dicitur. Quis in nubibus æquabitur Domino; similis erit Deo in filijs Dei.* Hæc Sanctus Gregorius.

Moraliter qd. Sardonyx.

Lib. 18. moral. cap. 30

Psal. 88.

LIBET hîc nonnulla etiam de Topazio recensere, & quidem præter ea, quæ traduntur à Plinio, animaduersione dignum est id; quod apud Epiphanium legitur. Scribit enim nasci in

Lib. 37. c. 8

Lib. 11. de Gemmis.

in Topaza Vrbe Indiæ; quamquam in inuentione diuersus sit à Plinio, vt inferius demonstrabitur. *Inuenta* (inquit) *quondam illic à lapicidis in corde alterius lapidis; quam cum splendidam vidissent, & Thebanis quibusdam ostendissent, paruo precio vendidere. Thebani vero Regnum tunc temporis administrati Reginæ attulerunt. illa verò Diademati suo imposuit in medio frontis.*

Lib.16. Geograph. Strabo qnoque in descriptione Arabiæ hisce vtitur verbis. *Hoc in loco Beronicem Vrbem, in penitiore sinu positam, post sinum est Ophiades Insula, ab euentu rei appellata: vel quòd Rex eam à Serpentibus liberauit, vel quod multi applicantes à serpentibus interficerentur: & propter Topazia. Is autem est lapis pellucidus, splendore aureo refulgens, vt interdiu videri non possit,* (quod radij Solis ei similes circum circa resplendeant) *vsque adeò illustratur, noctu verò videtur ab ijs, qui eum colligunt. Nam signo aliquo imposito, de die effodiunt. Ægypti Reges maximam hominum multitudinem, mercede conductam, ad horum lapidum collectionem, custodiamque collocauerunt.* Ferè

Tact. de lapid. eadem scripsit Nilus Metropolita. Illud autem peculiare videtur, quod de Topazij nomine, atque etymologia recen-

Cap.18. in Iob. set Beatus Gregorius. Topazion (inquit) preciosus lapis est. & quia Græca lingua (πάν) omne dicitur, pro eò quod omni colore respondet, Topazion, quasi τόπάντιον vocatur:

Origin. lib. 16.c.7 omni certè colore splendere Topazion Isidorus, præter B.

Aduersus Gesnerum. Gregorium scribit. Non deest auctor quidam, qui nomen Topazion ab Hebræo nomine, auri optimi (Paz) deduci velit: quod aurum optimum suo colore, ac splendore emuletur: sed illum nugari crediderim, cum Topazion græcum sit, à quærendo desumptum; Paz verò hebręum, atque proprium, & peculiare auri nomen longè diuersum. Quòd autem Topazion non à colore, sed ab inuentione etymon potissimum susceperit. verba Plinij hoc nobis amplè atte-

Loc.cit. stari possunt: inquit enim. *Egregia etiamnum Topazio gloria est, suo virenti genere,* (ex quibus sanè verbis elicitur primò, gemmam hanc ad succum porri similitudinem habere; quia tamen non translucet modò, sed etiam mirificè fulget, eius fulgorem in colorem, auro similem, exire. Secundò,

Qui

Qui Topazij nomine nunc diuulgatur, Chrysolitum Antiquorum fuisse; atque viceuersà, qui nunc vocatur Chrysolytus, Topazion Antiquorum verum fuisse. Idque eò magis, quod ex eodem Plinio habetur. Topazion solum inter gemmas à cote poliri ob molliciem, limaque tangi; quæ omnia in Chrysolito à gemmarijs nunc vocato concurrere, est in confesso; lima namque tangitur, & est aurei coloris, in quo tamen subuiride quicpiam nitet) progreditur codex Plinianus, *Et cum reperta est, prælatæ omnibus. id accidit in Arabiæ Insula, quod Chitis vocatur: in quá Troglodità prædones, cum diutius fame, & tempestate pressi, herbas, radicesque effoderent, eruerunt Topazion. Hæc Archelai sententia est. Iuba Topazon Insulam in rubro mari à continente stadijs CCC. abesse tradit, nebulosam, & ideò quæsitam sæpè nauigantibus, ex ea causa nomen accepisse Topazin enim Trogloditarum linguá, significationem habere quærendi.* Hoc idem Isidorus scribit, asserens, ob hoc, locum, & Gemmam, nomen, & causam (à quærendo scilicet) accepisse. vt tantorum virorum auctoritate freti, rectius sit dicere, Topazion non à colore auro simili, quo præfulget; sed à quærendo denominationem præcipuè suscepisse. & tutius auctor ille, qui cœlestia, aquatilia, & terrestria in multa volumina congessit, probatissimorum auctorum sententijs aquieuisset. *Loc. cit.* *Orig. lib. 16. cap. 7.*

Neque ab re fore videtur, vt mysticè nonnulla de hac gemma, quæ ob eius nobilitatem, nonum fundamentum cœlestis Hierusalem à D. Ioanne ponitur, promamus; si cum eruditissimo Viegaz dixerimus. Topazij lapide, qui quanto inuentu rarior, tanto preciosior habetur, excellentissimam Sanctorum Apostolorum professionem in Sacris literis significari. Duos quippe huiusmodi lapis refert colores, vnum auri purissimi, alterum æthereâ claritate relucentem; hoc est aurum charitatis in proximos, & ardentem in Deum amorem. Flammescit impensius, quoties Solis radijs verberatur: quoniam Apostoli cum CHRISTI gratia, tamquàm radio micabant, tunc magis ad proximorum salutem incendebantur. Topazion cum polis, obscuras: sic Apostoli cum *Apoc. 21* *Cap. 21. Ap.* *Mysticè quid Topazion.*

laudibus noſtris polimus, potius obſcuramus, quàm illuſtramus; ob excellentem eorum magnitudinem, noſtraq; omni commendatione maiorem. Hæc de Topazio.

Hucuſque ob ſuſceptam à nobis in rebus naturalibus enucleandis, quot quot penes Calceolarium ſunt, prouinciam, quam etiam initio huius operis ad finem perducere, polliciti ſumus, ac in eiuſdem contextu oſtendimus. De gemmis candidis, viridibus, purpureis, rubentibus, & aureum colorem reddentibus ſermo eſt habitus; harumque multa demonſtrauimus eſſe genera. Hinc ad eas pergere debemus, quæ ex ſingulis ijs omnibus videntur compoſitæ; vt ſunt præ cæteris Achates, & Iaſpis. Et ſi enim non ita tranſluceant, vt prænarratæ, quòd ex ſuccis non adeò puris, & claris, vt illæ oriantur, nihilominus perſpicuitatis & hæ ſunt capaces, vt inter gemmas reponendę veniant; necnon ob colorum varietatem, qua ita ornatæ conſpiciuntur, vt vno nomine diuerſas gemmarum ſpecies videantur complecti, magnam dignitatem, & gratiam in ſe obtinent. vt inde ex his vna ſextum fundamentum Ciuitatis Hieruſalem, altera octauum ponatur. (Apoc. 21.) Ambo hi lapides precioſi, & ſi ex diuerſis, ac commixtis materijs, atque exhalationibus ſinguli fiant; vt harum medio hoc commune habeant, vt perſpicuæ, ac opacæ ſint, & omnem admittendo colorem, de huius varietate inuicem decertare videantur, & hinc credatur ab Antiquis varijs, & diuerſis nominibus fuiſſe vocatos. Achates tamen ex tenuibus fit ſuccis, præ quibus nitet, magis durior eſt, atque ſplendidior; Iaſpis verò ex magis terreis, craſſis, & impuris oritur; vndè in hoc colores omnes hebetes potius, & ſuboſcuri ſunt, adeò vt in perſpicuo opacum, & in opaco perſpicuitas videatur deſiderari. In Iaſpide maiora, & frequentiora viſuntur vitia, quàm in Achate. quod ſi addas huic colorem album, & nigrum magis inter alios familiares eſſe, illi verò purpureum, & viridem. In Iaſpide omnia confundi, vt & colores, & ſubſtantiæ perſæpe permiſceantur. In Achate autem veluti ordinem quemdam, licet non exactum, colorum, atque linea-

rum

rum vt plurimum esse, ex ijs tibi haud difficile erit, horum lapidum differentias rimari. Quornm nomina, causam nominis sub prælo ponamus, ad hoc vt ex succorum expressione, quibus viribus in corpora humana agant, & quid mysticè elici detur, indagare possimus. Qui autem lapis primo intuitu attramento hoc nostro explorandus venit, Gemma est illa, quæ primum in Sicilia Tyrreni maris Insula, iuxta Achatem fluuium, cum sit reperta, nomen sibi Achatis, & causam nominis ex Plinio, & Isidoro, vindicauit: vt inde Marbodeus. *Lib.37.c.10* *Lib.16.c.11 cap.2.*

Vt primum perhibent lapis est inuentus Achates
In ripis fluuij, qui nomine dictus eodem est.

Quoniam verò natura huius gemmæ est, varijs coloribus constare, candidis, nigris, rubeis, croceis, cinereis, viridibus, & cœruleis, vt inde, & varia huius genera, & diuersa nomina sortiatur. Nos quoque singulas species referre haud grauabimur. Et quæ primò sese offert, vt primum inuenta. vnde Marbodeus. *Loc. cit.*

Hic precio diues Siculas perlabitur oras,
Sit licet ipse niger, venis tamen obsitus albis.

Perileucos est Græcorum, ob dignitatem scilicet Principis nominis gemma: in huius superficie ab ore gemmæ ad radicem vsque filum candidum, seu lineæ, Zonæve instar marmoris albæ descendunt, & sunt intersectæ. & quamuis ob colorem nigrum, & subobscurum, quo tota est compacta, non sit adeò perspicua, vt Gemmæ pellucidæ, nihilominus si in tenues, & latas laminas diuidatur, perspicuitate non carere, quæ in opaco visitur, cuicumque innotescet. Interim reliquas Achatis species perscrutemur, quò huius dignitas, & quam magnæ olim fuerit auctoritatis, magis eluceat, & si tunc temporis parui videatur fieri, non quod in illa vires sint diminutæ, sed fortè, quia copiosior, quod enim rarum, carum, vilescit quotidianum.

ACHATES ob perspicuitatem in candore pulcherrima, quia ex succo, cui est aquæ color in terræ visceribus sit orta; Leucachates dicta, à voce græca λευκὸς, quæ album significat.

ACHATES lineis colorem ſanguinis exprimentibus conſperſa: Hæmatiti lapidi in colore non multum diſſimilis, vt meritò Hæmachates nuncupari poſſit.

ACHATES in colore corallium rubrum quæ ęmulatur, eſt tamen guttis auro ſimilibus illita, vt diſtincta videatur. hanc Solinus Corallium Achatem vocat. Cretenſes Gemmam ſacram dicunt; arbitrantur namque contra ictus Scorpionum, & Aranearum plurimum conferre.

Mem. c. 11.

ACHATES, cui color eſt croceus, leoninæ pelli haud diſſimilis, quam Græci Leontion, & Leontodoram vocant. Leonachates eſt recentiorum. Brocatella fortè vulgò.

ACHATES ob varias maculas Pantheræ animalis feri, pelli maculoſæ quæ ſunt ſimiles, & quas per totum corpus hinc inde conſperſas habet. Pandalion à Græcis dicitur. Pantachatem iuniores vocant.

ACHATES ſereniſſimi, vernique Cœli à quouis vapore, labeque expurgati, colorem inſtar Sapphyri referens. Sapphyrochates dicta.

ACHATES totâ ſplendidâ, flammæ igneæ rubedinem æmulans: quæ caloris ſubterranei medio cum ſucco illo mixta, ex quo Sarda Gemma fit. hanc colorum varietatem in ſe contraxerit. non abs re Sardachates denominari liceat.

ACHATES miranda ſanè, quòd delectus variorum colorum, & in inanimatis corporibus conſpiciatur, vt eiſdem quodammodo natura oblectari videatur. In hac enim color cęruleus, candidus, viridis, niger, & alij diuerſi apparent, vt cum valdè venuſto, varioque colore, natura ſic ludente, mirificè ornata niteat, diuerſas, ac cõmixtas materias, atq; exhalationes puras, & claras in hanc gemmam formandam conſpiraſſe videatur.

ACHATIS varias ſpecies hîc delineatas habeas, lapides nimirum politos, & ſatis ſplendidos, quibus varius eſt color, quòd ex ſucco terreno vario in ſubſtantiam lapideam concreuerint. varijs qui rerum imaginibus naturæ penicillo ſunt inumbrati: vt ex ijs vnus ob exhalatos à materia poroſa vapores exprimat arboretum, quem Dendrachatem appella-

pellabis, alter lacus, quidam fontes, & regiones, veluti Sciographiam, vel Cosmographiam, lusitante natura. non sunt autem ex India, vt similium Achatum feracissima transportati, de quibus Plinius. Sed ager noster Veronensis pulcherrimarum rerum naturalium fœcundus, hosce nobis vberrimè elargitur. Postquam autem in huiuscemodi lapides à natura effigiatos incidit sermo. Concedatur, Pyrrhi Regis Epyrotarum celebratissimam illam Achatem, ex Plinio nostro recolere: in qua nouem Musæ cum Apolline in medio Cytharam tenente spectabantur: non arte, sed natura ipsa magistra discurrentibus maculis ita absolutam, vt singulis quoque Musis sua redderentur insignia, nomina scilicet, & officia, de quibus Hesiodus in principio Teugoniæ, & latius à Diodoro Siculo circa principium libri quinti: quam pariter Gemmam perbellè expressit Marbodeus, inquiens. *Lib.7.c.10* *Lib.7.c.11* *Loc. cit.*

Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achatem,
Cuius plana nouem signabat pagina Musas;
Et stans in medio Cytharam tangebat Apollo.
Naturæ, non artis, opus, mirabile dictu.

Referam in hac re proposita ingeniosissimum illud subtilissimi Cardani inuentum, qui de hac gemma agens, ridiculum putat, quicquid in illa elegantissime delineatum spectabatur. idque casu potius, quàm natura sic fauente, subsequentibus verbis contigisse asserens. *Hoc igitur sic contingit. Pictor validis coloribus lapidem aliquem è marmorum genere pinxit, vt nouem Musæ pulsantem in medio Apollinem mirarentur, inde seu casu, seu ex industria lapis ille, sepultus iacuit per multos annos eò in loco vbi Achates gigni lapides solent.* (miror profectò quomodo colores illi, & si ænei etiam fuissent tanto annorum spacio, præ terræ humiditate, aut ob aliquam materiam acrem, & mordacem, qua loca vbi vigent res metallicæ, scatere solent, si non ex toto, saltem maiori ex parte fuerint absumpti, si namque interitus saxis, carminibusque accidit, quanto magis coloribus, qui facillimè admodum, vt accidentia, mutationibus sunt obnoxij) *continget itaque circum circa gigni Achatem perspicuum, & aqueũ,* *Lib.7. de lapid.*

inde inuentus referebat Musas, & Apollinem illum; quasi naturæ industria fabricatum, cum Achates iam gemma esset. Hæc doctissimus ille vir: quàm benè dicant, qui rerum naturalium indagandarum desiderio capiuntur. rectius iudicio meo dictum crediderim. cùm lapis hic, vt nuperrimè explicauimus, varijs constet coloribus, & se inuicem incursantibus Zonis, lineisque, adeòvt non artis ope, sed naturæ sic cooperante quandoque varias effingat imaginum formas. Naturam certè Pyrrhi illam gemmam varijs lineamentis, & maculis ornasse, arte tamen prorsus caruisse tot imagines, & in ea formanda maximam artificis partem accessisse, qui alibi minuens, alibi augens, quæ spectanda essent, eximiè elaborarit. Nonne oculis ipsis intuemur, terræ superficiem tàm admirabili florum, & plantarum varietate, totque coloribus pulcherrimè exornari, ac si à præcellenti artifice esset depicta? pari etiam ratione nil mirum videri debet, si ex eiusdem vberrimo sinu lapides, & gemmæ prodeant, diuersis coloribus notatæ, & in quibus ob diuersissimas maculas, multiplices quoque rerum imagines ad intuentium votum repræsententur. Hinc videmus in quibusdam lapidibus expressas stellas, frondes, lilia, pisces, rotas, oculos, animalia, & quamplurima alia, de quibus omnibus in hac Sectione erit sermo. & in nostro Musis dicato delubro lapis asseruatur, in quo adeò affabrè delineata a natura cernitur Simia cubans; vt diceres, arte fuisse depictam. sicuti & alter lapis ramulo cum folijs insertus. super quem pedibus erectis residet Auis, non sine intuentium stupore. Sed quid nonne & idem Cardanus, se habuisse testatur tres Achates (ne verbum quidem, quod fuerint depictæ, proferens) in quorum altero (vt suis vtar verbis) *Natura Hæmisphærum pinxit Cœli distinctis orbibus. in medio terræ rotundam quasi aquis supereminens. Secundus, ex hiatu terræ fumum emittere videtur, qui aërem obumbret, atque illud in eo admiratione dignum, quod alius fumi color, alius aëris, qui ex eo obscuratur, fumus candidus quasi ac densus, aër subrubeus, ac mediocriter perspicuus. Tertius cæteris longè admirabilior,*

bilior, scilicet Galbæ firmè imaginem huiusmodi depictam habet. (quam hoc loci ad viuum delineatam curauit) *nec in superficie, sed quasi subuitro, & tamen vera gemma est, non vitrum. quoniam tamen qua parte tangit digitum, totus rubet, Iaspidis refert speciem.* Hactenus Cardanus. Legere est etiam apud Plinium, in India Achates reddere species fluminum, nemorum, iumentorum, etiam Esseda, & Staticula, & Equorum ornamenta. Sed ne ab orbe hoc nostro remota inquiramus. nonne Venetijs, & in Ecclesia Basilica D. Marci in Achate gemma conspicitur Regium caput diademate ornatum, naturalibus id exprimentibus venis, absque omni artificis manu? & in eadem Regia Ciuitate in Templo Sancti Georgij maioris spectatur in quadam columna imago Saluatoris nostri IESV CHRISTI in Cruce pendentis, dum pro salute humani generis seipsum exinaniuit? vt innumera alia, quorum plenæ sunt chartæ, breuitatis causa omittamus? & ne res hæc in ridiculum, cachinationemvè abeat: quod oculis ipsis non sine stupore obseruauimus, habe in augustissimo rerum naturalium conclauio, auspicijs Serenissimi FERDINANDI GONSAGAE erecto, custodiri lapidem, qui præfulget, Achatem dices, in quo hominis imago conspicitur, coloribus ita eleganter effigiata, vestimentis ita affabrè delineata, capiti, collo, brachijs, & pedibus quæ sua respondet textura, vt hominem, non sine veloci gressu itineri intentum esse prænunties. Ex quibus singulis quàm mirabilis natura sit in operibus suis, absque vlla artificis ope, cuiuis, etiam Ialemone frigidiori, innotescere potest. Achatis modò proprietates, quotquot è Regionibus, vndè oritur, ei attribuuntur, & à Plinio, Isidoro, Alberto Magno, & alijs quamplurimis auctoribus, hisce Marbodei carminibus perstringamus.

Loc. cit.

Loc. cit. Lib. Lib. 2. min. cap. 2, Loc. cit.

Hunc quoque Corallo similem gerit Insula Creta
Cuius planicies croceis est illita venis.
Iste Nepæ virus fugat, & quod vipera fundit.
Reddentem facies varias dat & Indus Achatem.
Hunc nemorum frondes, hunc dantem signa ferarum,

Hic

Hic sedat sitim, visumque fouere putatur.
Est & qui Myrrhæ succensus spirat odorem.
Est qui sanguineas maculas perhibetur habere,
Certa cui facies, quia creber, vilis habetur.
Portanti munus, viresque ministrat Achates,
Facundum facit, gratumque, bonique coloris.
Et persuasorem, mundoque Deoque placentem,
Hoc Anchistades comitante pericula vincit.

De Achate mysticè quid

Intes has proprietates, hæc potissima videtur, quod sitim extinguit; qua quidem proprietate Spiritus Sancti gratiam repræsentari inficias non ibit, qui CHRISTI verba apud Ioannem legerit. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hæc porrò verba SS. Patres interpraetantur de diuina gratia, quæ sitim animæ, desideria videlicet, & concupiscentias sedat, & extinguit. Id quod etiam asserere videtur Ill. Toletus de siti corporali. *Legimus enim*, inquit, *& audiuimus nonnullos viros hac gratia plenos, ita esse in internorum contemplationem raptos, vt nec sitim, nec famem, imo nec incommoda grauia corporis sentirent, & per multos dies ieiunij absque cibo, & potu perseuerarent; quodque mirabilius est, fastidirent cibum, & potum, sicut fastidire solent, qui saturi, & cibo, & potu repleti sunt. Nec incredibile hoc videri debet. Si enim circa res temporales, & caducas amor nimius, aut lætitia, aut reliquæ vehementes passiones id efficiunt, vt homo per multum temporis nec sitiat, nec famescat, quantò magis Spiritus Sanctus per gratiam suam id operabitur? Interest verò, quod eorum, qui affectibus hisce famem, & sitim non sentiunt, corporeæ vires debilitentur, potu, & cibo deficientibus. At Spiritus Sanctus roborat, & vires substentat, ne homo succumbat, sed integer, & fortis perseueret. Exemplo id comprobatur Eliæ, qui semel pane, & aqua refectus, fortis quadraginta dierum iter ieiunus confecit.* Hactenus Toletus. Ferè idem legitur apud Sophronium de Petro Pontico Monacho, qui à Iordane in montem Sina itineratus est, nihil omninò sumens: ibi verò, sumpta Eucharistia, cibum temporalem sumpsit. A Sina verò vsque Alexandriam ab omni esculeuto,&

Cap. 4

3. Reg. 19.

Prat. Spir. c. 100

to, & potu perpetuò abſtinuit; & ab Alexandria vſque Hieroſolymam, quæ interualla paſſum millia plurima excedunt. Multa exempla virorum inſignium in re propoſita poſſent afferri, qui Spiritus Sancti gratia pleni, nedum ad dies, ſed ad menſes, & annos abſque cibo, & potu vixêre. Sed quoniam hoc noſtri non eſt inſtituti, ad ea curioſum Lectorem remittimus, quæ ab Alberto Magno, à Theodoreto inſigni hiſtorico in Philoteo, à Baptiſta Fulgoſio, & alijs quamplurimis ſcriptis ſunt mandata. *Anim. lib. 7. tract. 3. c. 3.* *Lib. 6.*

IASPIDIS modò ſingula illa genera recenſeamus, quæ ex mente Dioſcoridis, & Plinij, inter amuleta Calceolaria reperiuntur: non enim lapidis huius ſimplex eſt genus; ſed ob ſuccorum varietatem, qui in eius ortu, & mixtione exurgunt, ſicuti varijs apparet coloribus diſtinctus, ita & varia nomina tùm ab ijſdem, tùm etiam à locis, vbi reperitur, & & effoditur ſortiri, eſt in confeſſo. Aut enim in colore viridi Smaragdo eſt ſimilis, quamuis non ita tranſpareat, ſed obtuſior, ac hebetior ſit, vt ad Heliotropij colorem inclinare videatur. qui ſanè color præcipuus huius gemmæ eſt; vndè ex Iſidoro nomen à voce græca traxiſſe Iaſpidem, refert ἴας enim viride eſt. Gemmam hanc in tota Orientali regione, præ cæteris, pro amuletis geſtari, tradit Plinius: & Grammatiam ex hoc appellari, notat, quòd in colore viridi tranſuerſa linea alba media præcingatur: qua motus auctoritate, non ab re dici poſſe crediderim, lapides illos virentes, maculis quibuſdam albis ſignatos, qui tunc temporis ad dolores colicos, & renales compeſcendos, ex Indis ſub nomine lapidis Nephritici tranſportantur, inter hanc Iaſpidis primam ſpeciem abſque iniuria collocari poſſe, De qua pariter (vt tibi eiuſdem vires innoteſcant) Galenus hæc habet. *Proprietatem nonnulli lapidibus quibuſdam teſtimonio ſuo adſcribunt, qualem reuera habet Iaſpis virens, nempè ſtomachum adhæſu, ventriſque os adiuuans. At nonnulli quoque ipſos anulis inſerunt, ſcalpuntque in eo Draconem radios habentem, veluti Rex Nechepſos memoriæ prodidit in quarto, & decimo libro: ſanè huius ego quoque lapidis feci periculum.* *Lib. 5. c. 117* *Lib. 37. c. 9* *Orig. lib. 16. cap. 7.* *Loc. cit.* *Lib. 9. de ſim pl. med. fac.*

Torquem enim ex huiusmodi lapillis confectum, à collo suspendi, ita vt lapides os ventris coniungerent. Apparebant autem nihilosceciius prodesse, etiam si sculpturam non haberent, quam scripsit Nechepsos: Regem hunc Chaldæum, aut Magum extitisse crediderim: tale enim genus hominum certis diebus, & pro astrorum certa constitutione oblectatum fuisse, vt in gemmis variæ figuræ inciderentur, ex historicis apparet; putans per huiusmodi figuras à lapidibus illis, in quibus fuerint sculptæ, admirabilia quædam opera effici posse: quod sanè cum à cultu Dei, & Ecclesiæ Sanctissimis Constitutionibus, (vt quid superstiiciosum, & profanum) sit prorsus alienum; ita & à quouis, Deo Vno, & Trino addicto, respuendum omninò est: credere enim absolutè iuuat (garriant alij quicquid velint) Deum ipsum, si qui sunt in hisce lapidibus sculptis effectus, horum non esse causam; sed hoc potius à Diabolo sagacissimo animarum prædone, dependere; qui per imagines istas, tamquàm per signa ei adprimè cognita, & fraude instituta, effectus illos admirabiles operatur.

Dactil.c.38. Sed de his hactenus. Iaspidis huius facultates, præter a Galeno notatas, carminibus hisce expressit Marbodeus.

Optimus in viridi translucentique colore,
Et qui plus soleat virtutis habere probatur,
Castè gestatus febrem fugat, arcet hydropem.
Adpositusque iuuat mulierem parturientem,
Et tutamentum portanti creditur esse.
Et sicut perhibent, phantasmata noxia pellit.

Secundo loco referuatur Iaspidis illud genus viride, punctis, veluti gutulis viuum sanguinem æmulantibus, totum conspersum, quod ex India Orientali affertur. vnicum certè remedium ad fluentem sanguinem, siue è naribus, siue à quauis alia parte, sistendum; dummodo collo appendatur. de quo etiam Nicolaus Monardes.

Lib.5.c.117 Tertium locum habet Iaspis ille, qui à Dioscoride, Crystallo, & pituitæ (vitream dixerim) similis traditur. Quoniam verò vna parte est Iaspis, in altera Onyx gemma conspici-
Lib.37.c.9 tur. hic à Plinio Onychipuncta, & Iasponix vocatur; quia

Ony-

Onychem complexus eſt, vel ſpecie nubis, vel niuis rutilis punctis ſtellatus, vel ſali Megarico eſt ſimilis.

Quartò ſuccedit Iaſpis, in quò color cœruleus lacte ſuffuſus ita enitet, vt, cum aërei ſit coloris, Cœlum matutinum autumnale imitetur. hunc Plinius Boream vocat: & à veteribus quibuſdam Græcis (quod etiam ſuperius eſt obſeruatum) ἀερίζουσα dicitur: tunc temporis ſub nomine Turchinæ, ſeu Turcicæ diuenditur, quod Turcheſijs, cyaneo quodam lateſcente nitore donatis, non ſit abſimilis. *Loc. cit.*

Quinto includitur loculo Iaſpis totus niger, ac ſi fumo ſit infectus: quem Plinius Capniam, vel Capnitim, appellat: *Loc. cit.* fortè quia Cadmiæ illi ſpeciei tenuiſſimæ, & exuſtæ, ſit in colore ſimilis, quæ Capnitis ab eodem auctore vocatur. *Lib. 34. c. 10*

Huic ſuccedit Iaſpis, Terebentinæ in colore ſimilis, quem Dioſcorides Terebinthizuſam nuncupat. Vti & alter, qui *Loc. cit.* Callaidem in viridi pallentem æmulatur; nec non & alius, ſpecie certè pulcherrimus: qui nuperrimè ex diſtrictu Brixienſi effoditur, in Villa, cui nomen Veago della melle. Hieracitem gemmam dixerim, à Plinio deſcriptam. Totus namque alternat, miluinis nigricans veluti plumis. Sed *Lib. 37. c. 9* quo diffunditur oratio hæc noſtra? ſat ſit hoc vnum dixiſſe, in Muſæo recondi innumeras alias Iaſpidum ſpecies, quæ cum ex multorum clariſſimorum ſuccorum mixtione vi caloris ſubterranei exurgant, ob colorum laudabilem diuerſitatem, ſpectantium animos ad illarum contemplationem excitant: quas variæ Regiones, à Plinio citatæ, mittunt. *Loc. cit.* Germania quoque non parcam ad nos tranſmittit meſſem.

Multa de Iaſpidis natura, viribus, & diuerſis ſpeciebus à nobis ſunt tradita: non iniucundum futurum videtur, nonnulla hoc loco de hac gemma explicare, quæ ad myſticam conſiderationem ſpectant. Et quidem Iaſpis de numero *Myſticè quid Iaſpis.* eſt duodecim precioſorum Lapidum, qui erant in Rationali Summi Pontificis Iudæorum, vt habetur Exod. 28. & quos Ezechiel ait fuiſſe in corona, & diademate Regis Tyri, & *Cap. 28* ex quibus conſtabant duodecim fundamenta, ſuper quibus

Apoc. 28. Cap. 4. constructam Ciuitatem Hierusalem Cœlestem vidit in spiritu Beatus Ioannes. Meminit quoque huius Lapidis Isaias illis verbis. Ponam Iaspidem propugnacula tua. Quæ explanans Sanctus Hieronymus, de Iaspide in hunc modum scribit. Propugnacula Ciuitatis Dominicæ Iaspide roborantur: hi sunt, qui possunt omnem altitudinem, eleuantem se contra scientiam Dei, destruere, atque conuincere; & mendacium subijcere veritati. Qui ergò in disputando fortissimus est, vt Sanctarum Scripturarum testimonijs roboratus, iste propugnaculum Ecclesiæ est. Iaspidum porrò multa sunt genera. Alius enim est, Smaragdi habens similitudinem, qui reperitur in fontibus Theumodontis fluminis, & vocatur Grammatias, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius viridior mari, & intus quasi floridus: hunc in Phrygiæ monte Ida, & in profundissimis specubus eius nasci, referunt. Alium verò iuxta Iberos, & Hyrcanos, & mare Caspium, & præcipuè iuxta Lacum Neusim reperiri. Est & alius Iaspis niuis, & spumæ marinorum fluctuum similis, & clementer quasi mixto rubori subrutilans. Hæc diximus, vt vniuersas gratias spirituales, in Ecclesiæ propugnaculis cognoscamus; quas qui habuerit, & varios timores fugat, & potest cum sponsa dicere. *Patuelis meus candidus, & rubicundus.* Hactenus Beatus Hieronymus. Cant. 5

Cæterum cum repetita iuuent; idque eò magis cùm oblectamenti, & eruditionis aliquid animis hominum impartiri potest, & si de Margaritis, dum maritima perscrutaremur non iniucunda fuerit facta mentio; nihilominus non videtur in præteritis relinquendum, quod valdè sapienter, & ingeniosè de ijsdem scribit Hector Pintus super Ezechielem: ait enim, *Margaritæ, lapilli illi candidi, & splendentes; qui nascuntur in mari intra Conchas marinas, sunt in hoc admirabiles, quod cum in mari nascantur, & procreentur, nullam tamen habent cum eo similitudinem; mare est cœruleum, Margaritæ verò candidæ: mare triste, & horribile, illæ lætæ, & aspectu adeò pulchræ, vt oculos moueant, & ad se alliciant: mare amarum, illæ amabiles*

Cao. 10.

Mysticè quid Margaritæ.

biles, absque vlla amaritudine: quin potius claritate, & splendore Cœlum quodammodo repræsentant: cuius rei causa est, quia ex cœlo influentias accipiunt. Huiusmodi sunt viri Charitate insignes, & Christiana religione præstantes, qui in mundo nati, & educati nullam cum eo habent similitudinem; animo sunt ab eo abstracti, cogitatione diuisi, verbis differentes, operibus discrepantes, quin potius cœlum suo modo referunt, vnde illis influit gratia. Cui & nos expletam nostram hanc de gemmis tractationem grati referimus: quam mysticis interpretationibus locupletari placuit, rati, rem non ingratam, nec inutilem fore, si ijs, qui Sacræ doctrinæ studio delectantur, pretiosarum rerum tractationem, symbolis elegantissimis refertam, exhiberemus.





VEMADMODVM non vnicum est genus, nec vnica lapidum ratio, ita nec par est omnium præstantia, & virtus, vt æque omnes in pretio habendi sint; Ex his porrò Magnes palmam præripere cæteris omninò videtur, non tantum ob singularem virtutem, qua ferrum ad se rapere, certum est; verum etiam propter exploratissimum suffragium, quo nauigantibus esse solet: quibus sanè acu ferrea, quæ illius vim contraxerit, in gnomone nauigatorio super cuspidem quandam ingenio versatili instar perpendiculi insidente, meridianam lineam ad quatuor cœli partes constituendas, Austrum scilicet, Septentrionem, Ortum, & Occasum, commonstrare omnes recensent. Adeò vt, quemadmodum illo posthabito, quæuis nauigatio quamplurimis errorum anfractibus exposita videtur; ita huius vsu nautæ suum instituunt nauigationis cursum, & securè velificant. Hoc longa maris spacia, tractusque immensos, locorum situm, & distantiam dimetiuntur; quantum itineris sit peractum, & quantum peragendum remaneat, vt ad optatum, quò properant, locum, per-

perueniant, exactiſſimè explorant, & dinumerant. Sed antequam ad vlteriora progrediatur ſermo, duo, non ſine commemoratione relinquenda, recolere placet. Vnum quidem in Taprobana Inſula à Colaico Indiæ Promontorio in Auſtrum quatridui nauigatione recedente, Septentriones nō conſpici, Magnetis vſum ibi eſſe incognitum, nihilominus vt tradit Solinus, nauigaturi, aues quaſdam cicures alunt, & in nauigijs ſecum vehunt, quorum volatus, perindè, ac dirigendi itineris magiſtros habent. Hoc idem à Plinio noſtro hiſce verbis aſſeritur. *In Taprobano mari nauibus vtrinque proræ. Syderum in nauigando nulla obſeruatio, Septentrio non cernitur, ſed volucres ſecum vehunt, emittentes ſæpius, meatumque earum terras petentium comitantur: nobis diligentior notitia Claudij principatu contingit, legatis etiam ex Inſulâ aduectis.* Hæc Plinius. Referam & ſi parergon, quod à Diodoro Siculo eſt ſcriptum, & Remuſius recolit. In hac Inſulâ Aues quaſdam ita edoctas, pueros in aëra eleuare, & incolumes in terram reſtituere parentibus, eſſeque admodum cicures, & domi ſtudiosè etiam edoceri. Alterum, quod admiratione dignum videtur, eſt: nedum itinera maritima, ſed & terreſtria hoc nobiliſſimo lapide dirigi. vt legere eſt apud Epiſcopum Vulturarienſem colloquio decimo, quo loci, an omnia maria nauigari poſſint, inquirens, multa refert, quæ maria innauigabilia faciunt; vt Scopuli, Voragines, Herbæ, Plantæ, Teſtudines Marinæ (ob harum ſcilicet numeroſum prouentum, & earumdem magnitudinem, ita vt maris fluxus impediatur) perpetuus maris motus, & caligo: vt mare illud; quod vltra Gotlandiam Inſulam eſt, quod poſt vnius diei interuallum, eſt prorſus innauigabile, ob vim fluctuum, & caliginem; ſubdit deinceps. *Non aliter ibi eſſe innauigabile pelagus, quàm ſint impermeabilia Arabiæ deſerta, vbi cum vndique arenæ ſint leuiſſimæ, nuſquam rectum iter haberi poteſt, quandoquidem illę commotæ ventis perinde fluctuare videntur, vt mare: itinerantes igitur inter ligneas arcas ſe condunt, dorſiſq; Cameleorum deferuntur: quin ibi quoque, ſicut & mari, Magnete itinera diriguntur.* Hæc eruditiſs. Maiolus, ex relatione Ludouici Barthemæ lib. 1. c. 13.

Cap. 54

Lib. 6. c. 22

Tom. 1.

Cum

Sed nedum Magnete in hisce Arabiæ desertis ab itinerantibus suus instituitur cursus. quinimmò & pennis, quæ pro tegumento auibus quibusdam inseruiunt, viatores, & si alijs in regionibus, eorum iter dirigunt. quod ex Solino vt quid admirandum, colligere placuit: cuius verba hæc sunt. *Mem. c. 29.* *Saltus Hercinius* (maximam illam Germaniæ Syluam Herciniam intelligit, de qua Cæsar suis in commentarijs de Bello Gallico) *aues gignit, quarum pennæ per obscurum emicant, & interlucent, quamuis obtenta nox denset tenebras. Vnde homines loci illius plerunque nocturnos excursus sic destinant, vt illis vtantur ad præsidium itineris dirigendi, præiactisque per opaca callium pennis rationem viæ moderantur indicio plumarum refulgentium.* *Lib. 6.*

CVM igitur hucusque de lapidibus pretiosis sermonem habuerimus, nunc de illis, qui communi lapidis nomine appellantur, verba facere aggrediamur. Meritò in Musæi CALCEOLARII lapidibus connumerandis, quò tutius hęc nostra Sectio optatum habeat finem, agmen nobis ducet admirandus hic lapis. qui sanè sub genere quorumdam lapidum venit recensendus, quorum substantia naturæ metallicæ est particeps; maximam enim habet cum ferri minera conuenientiam, ita vt eius venis appropinquetur; in metallis namque ferrarijs plerumque reperitur (& si non in omnibus) & ferri impoliti similitudinem, vt plurimum, gerit, vt ferrugineus videatur. ad quem allusit Claudianus in suis poëmatibus cap. de Magnete

——— Lapis est cognomine Magnes
Decolor: obscurus: vilis: non ille repexam.
Cæsariem regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec insigni splendet per singula morsu,
Sed noua si nigri videas miracula saxi.
Tunc superat pulchros cultus, & quicquid eois
Indus litoribus rubra scrutatur in alga.

Lapidi huic à Græcis, & Latinis multa nomina fuere imposita; nam & Magnes, & Magnetis, & Hæraclius, nec non & Sideritis appellatur. Magnes quidem ab inuentore

Magno,

Lib.36.c.16 Magno, (quod à Nicandro traditum est auctore Plinio) armentario nimirum illo, qui cum armenta pasceret primus in monte Ida ad Troadem spectante, fertur hunc inuenisse, clauis crepidarum, & bacculi cuspide lapidi hærentibus; Vel à Magnesia Prouincia, ex Plinio inter Tessaliam,
Lib.4.c.18 & Macedoniam intermedia, vndè effoditur, in qua primũ inuentus dicitur: quam sententiam sequitur Lucretius hi-
Lib.6 de rer. nat. sce carminibus,

Quod superest agere incipiam, quo fœdere fiat,
Natura lapis hic, vt ferrum ducere possit:
Quem Magneta vocant, patrio de nomine Graij
Magnetum quia sit patrijs in finibus ortus.

Quod si etiam non ratione molis, sed respectu qualitatis in lapide existentis: dixerimus Magnetem nomen Magni mereri, haud incongruum erit: sicut namque Heroes, & Viri præstantes ob virtutis meritum Magni dicuntur, vt præ cęteris sola Alexandri Macedonum Regis commemoratione contenti simus, qui ob res domi, forisque præclarè gestas, Magni nomen est promeritus, imò & maximi nomine inaugurantur Virgilius lib.6. Æneid.

---- Tum maximus Heros
Maternas agnoscit aues lætusque precatur, &c.

Sic Magnes ob vim insignem trahendi ferrum, qua admirabilem omnibus sese patefacit, cum cęteros quosque lapides dignitate præcellat, meritò Magni nomine decorandus videtur. Non est autem credendum, trahendi illam vim Magneti inesse, quia vita, & anima constet, & nutriatur, vt plerique nec spernendæ auctoritatis Viri autumant, non leuibus argumentis demonstrare conantes, Magnetem viuere, ferrum illius esse pabulum, ob id etiam optimè ferri scobe seruari (quam sententiam videntur mutuati, ex Democrito: hic enim existimabat, tùm omnia mixta ex anima componi, tùm speciatim lapides, & metalla. Hoc enim à veris Philosophiæ dogmatibus omninò recedit; non enim vt animata corpora, quæ nutrienda veniunt, mixta hæc alimentum intro suscipiunt, susceptum alterant, & immutant,

& al-

& alteratum distribuunt, vt ad partes nutriendas succedat: & si crescant, non ob id illa nutritione nutriuntur, quam forte sibi commentati sunt, & quæ perfecta est, sed per additamenta tantum crescunt, quatenus additione nouæ materiæ consimilis, pars parti apponitur, vndè videmus secundum additionis gradum ad maximam, vel paruam, aut mediocrem magnitudinem lapides ipsos concrescere: nec non in quibusdam lapidibus, leuibus præsertim, aut pumicosis, non modò per additamenta similia incrementum suppeditari obseruatur; sed quoquomodo etiam hi partum edere videntur, siue ab additamento assumpto, seu ab humore, qui sæpe sæpius, vel paruus ab eis naturaliter fluit: is enim vbi primum constringitur, iam lapillus est, vt videatur fœtus, ac partus alterius esse: quod autem lapides ipsi, nec viuant, nec nutriantur Peripateticorum Coryphæus Aristoteles pluribus in locis, sed præsertim in magnis moralibus hisce verbis nobis patefecit. De animæ enim altrice portione agens. *Rursus* (inquit) *quod mox dicendum, non admodum quæ diximus participare, & ne quidem ab ipsis longe abesse videbimur, quippè quòd animæ quædam portio esse putetur, qua alimur, quam altricem appellamus, iure profectò ita, siquidem lapides ali non posse intuemur, & perindè non dubium, quin sit ali animatorum.* Ex quibus verbis elicitur, nutritionem non nisi animatis competere, & solam animam illius esse causam; calor enim in animalibus existens, animal virtute nutrit, & ex alimento substantiam gignit, vt carnem & ossa: nec lapides nutriri, quia inanimati, vt nō immeritò Rabbi Aben, Tibon, & Roachachem, hosce vocant silentia, & sine anima. Redeat modò vndè fluxit oratio.

Lib. 1. cap. 5.

Cap. 1.

Præter nomina illa prænarrata, siue ab inuentore, seu à Patria Magneti attributa. Heraclium video etiam à nonnullis appellari, ab Heraclia Lydiæ ciuitate, vt asserunt, sed nomen hoc non ad Magnetem, quinimmò ad lydium illum lapidem, quo aurum, & argentum exploratur, ex Theophrasto, & Plinio, auctor ille reducere videtur, qui adagia in Chiliadum centurias diuisit. Theophrastus namque refert,

Chiliadis primæ cent. 5. Lib. de nat. lapid.

lapidem quemdam esse, qui Lydius, seù Heraclius dicitur, qui attritus aurum, atque argentum cuiusmodi sit, arguit. hunc quidam Magnetem putant, velut Herculanum, qui ferrum ad sese trahit, vndè nomen etiam additum σιδηρίτη. Ex quibus Theophrasti verbis sicut habetur Heraclium lapidem ab Herculano diuersum esse, ita Heraclium non ab Hercule, sed ab Heraclea Ciuitate vocatum iri, elicitur.

Lib. 37. c. 8 Plinius similiter hoc manifestè demonstrat. *Auri* (dicit) *argentique mentionem imitatur lapis, quem coticulam appellant, quondam non solitus inueniri, nisi in Flumine Tmolo, vt auctor est Theophrastus, nunc verò passim, quem alij Heraclium, alij Lydium vocant.* Vndè consultius dictum crediderim, si vice

lib. 5. de nat. foss. Heraclij, Herculeus nominabitur, vt Agricola, & quamplurimi alij præstantes Viri faciunt. Nomenclatura desumpta ab Hercule, qui ob fortitudiuem, & gloriam creditus fuit inter Deos relatus. Quemadmodum enim hic, vt fabulantur Poëtæ, tetras, & immanes orbis belluas viribus subegit, & oppressit, sic Magnes ferrum rerum materiam victricem ad se trahens vincit, & veluti sub dominio, seruituteque tenet. Vndè, & Sideritis vocatur à voce græca σιδήρος, quæ ferrum significat, ac si dicas, lapis ferreus, aut ferrum lapideum; videtur enim esse quædam mistura ex lapide, & ferro in terræ sinu compacta. Hæc de Magnetis ethymologia. Modò ad eiusdem species sermo dirigatur, quæ sicuti vtriæ in Musæo reperiuntur, ita colore, & efficacia inter se differunt. Alius enim lapis visitur coloris subruffi, intus fracturis nigricans, qui parum ad cęruleum vergit: in substantia densus, & compactus est, nec non in attractione efficacem valdè se ipsum patefacit, non enim lento motu, & vi tarda, sed auidè, & celerrimè ferrum rapit: ex Iluâ Insulâ Maris Tyrrheni. Alter candidus conspicitur, lineis nigris inscriptus, cæteris inferior, quod ferrum non trahat; linguæ tamen admotus præ tenacitate ab innata pinguedine emanante, adhæret. ex eadem Insula. Lapidem hunc sub quinta illa Calamitæ candidæ specie,

Lib. 37. c. 16 de qua Plinius, reponendum statuimus, cum de terris Iluanis

nis in ſecunda operis ſectione facta eſt à nobis mentio; quem etiam Calamitam albam à quibuſdam vocari diximus. quod autem optatas carnes ad ſe rapiat, vt nonnulli mente capti, faſcinationibus dediti, ac illuſionibus diabolicis obumbrati, putant, id omninò, vt quid profanum, reſpuimus. Nec deeſt Magnes nigri coloris, vt qui in Troade inuentus à Plinio deſcribitur: fœmineus dici poteſt, cum nullius ſit valoris, æſtimandusque minimè ſit, quod ne ſcintillam quidem virium, in attrahendo, vibret. Vt & alter ſpurius ſit cenſendus, cum ob ſterilitatem ei innatam, a propria natura, & efficacia alienus ita appareat, vt neque attrahat, neque abigat ferrum. Præ cæteris verò ſeruatur Magnes prægrandis molis, quia optimus, & ad propria opera obeunda peregregiè aptus, ſpiſſus eſt, duricie lapidi Smyridi haud diſſimilis, colore ad cœruleum vergit, non multum eſt grauis. (ex Orientali climate tranſportatum ſcias) qui ex vno latere tàm auidè ferri deſiderio detinetur, vt non ita primum ad illius faciem offeratur, vt confeſtim proprijs viribus vſus ad ſe alliciat, & trahat, vt videatur Sympatia quadam, & naturæ conuenientia motus, amico conſortio frui, ſuoque confouere ſinu. Altera verò parte, ac ſi antipatia quædam ſit, & quaſi odia exercendo, illud idem abigit, & reſpuit: Theamedem lapidem vi Magneti contraria in hac parte reſidere, non deſunt qui atteſtentur, & inter hos Plinius noſter, aſſerens in eadem Æthiopia, non procul vbi Magnes Æthiopicus reperitur, montem gignere lapidem Theamedem, qui ferrum omne abigit, reſpuitque: quàm benè, rerum naturalium perſcrutatores examinent. Magnum illum Scaligerum de ſubtilitate ad Cardanum. Ioannem Taiſnerium Annonium, Andream Ceſalpinum in eius peripateticis quæſtionibus, & inter alios Ioannem Baptiſtam Portam Neapolitanum libro ſeptimo ſuæ magiæ naturalis conſulant. Hi namque prolixiore calamo, ſumma eruditione referto, ad trutinam Magnetis naturam, & eiuſdem effectus literis mandarunt, & quid de Theamede lapide ſit ſentiendum, examinant.

Loc. cit.

Loc. cit.

Exerc. 131

Quà verò ratione Magnes ferrum ſua natura grauiſſimum, leuiſſimè, & auidiſſimè attrahat: hoc loci certè non eſt, vt multiplices illas, & varias ſcriptorum opiniones recenſeamus, qui die, noctuque inſudarunt, in enucleanda huius rei cauſa; id enim præter operis inſtitutum videtur eſſe, & in referendis tot doctiſſimorum, & grauiſſimorum hominum ſententijs, longiores plus iuſto eſſemus. Alij enim ad complexionem, ad certam ſcilicet, & peculiarem quatuor primarum qualitatum contemperationem, & proportionem referunt. Alij ad formam ſubſtantialem reducunt. Nonnulli cuidam occultæ proprietati, à Deo, vel cœlis lapidi impreſſæ, & elargitæ, vt cauſæ, attribuunt. Non ſecus ac vi, Agaricum Pituitam è corpore extrahit, Rhabarbarum, & Scammoneum flauam bilem purget, Epithymum Sena, Polypodium humorem melancholicum, Succinum feſtucas, & paleas trahit, & ſic de alijs quibuſdam lapidibus, in quibus effectus extraordinarij, & ſingulares conſpiciuntur; qui cum cauſam non habeant apertam, ab occulta proprietate emergere dicuntur. Hoc idem à Platone in Ione, ſeu Dialogo de furore: Diuinæ virtuti mouenti videtur tributum, cum dicat, *Video ò Io, & quod mihi id eſſe videtur, tibi aperire incipiam, vt benè de Homero loquaris, ars tibi non præſtat, vt modò dicebam, ſed Diuina vis eſt, quæ te mouet, ſicuti in lapide, quem Magnetem Euripides nominauit.* Diuus etiam Thomas Aquinas virtute cœleſti vim illam Magneti eſſe inditam, nulla autem elementali vi, tradit. *Lib. 12. art. 15.* Alij eò putarunt Magnetem anima quadam eſſe præditum, quòd vim mouendi, & alliciendi habeat. Nec deſunt, qui exiſtiment, hoc quidem accidere quadam propria qualitate, & natura, qua ad ſtellas boreales dirigitur ferrum, vi communicata participata ſtellarum polarium: vndè alij dicunt hanc virtutem accepiſſe à Luna, & Venere, quod ambæ lucentes inueniuntur in cauda Vrſæ minoris in gradu XXIX. Virginis, vt ex prænarratis pateat in naturæ arcanis perſcrutandis, ac eiſdem dilucidandis nos non voto viuere vno, & quot homines, tot eſſe ſententias. Nobis etiam, philo-

philosophice loquendo, cum Clemente Alexandrino dicere concedatur. Magnetem vim ferri attrahendi habere, propter cognationem quamdam, quæ sit ei cum ferro. Talis enim & tanta cum eius minera, Magnetis conuenientia, & cognationis, ac vnionis recordatio esse perhibetur, vt cum ferri spiritus in se inclusos hic habeat, quorum non sit proprium corpus, non potest eos ita continere, quin si proprio corpori, & quod suæ naturæ est, admoueantur, illud ipsum pro viribus appetant, & attrahant, ac illud idem pertinaciter amplexando, naturalis concordiæ, & Sympatiæ symbolum patefaciant: ita vt spiritus ferri in peregrino corpore positi, longè potentiores vires habeant attrahendi, quod sibi consentaneum est, quàm si proprio continerentur corpore: in alieno namque positus proprium desiderat, in suo verò, cum nihil in se ipsum agat, ociosè moratur, in quò ad voluptatem acquiescit; sic ferrum à ferro nō attrahitur, nec Magnes à Magnete; & si à Plinio de Hæmatite lapide Æthiopico tradatur, cui summa laus datur, qui Magnetem alium ad se trahit, vtrunque Magnetem esse dicens: quod si verum, non trahit ob lapidem, sed ob ferrum lapidi inclusum; Et nos paulò ante reperiri diximus quasdam Magnetis species, quæ ferrum nullo modo rapiunt, fortè quia in ortu spiritibus illis ferreis sint omninò orbatæ, & destitutæ, hebetesque, & somniculosæ in proprio lare permaneant: vndè etiam euenit, si vis spiritus illius ferrei in Magnete existens ab aliquo impedimento obtundatur (vt ex Plutharco, Plinio, Agricola, & alijs, si Magnes rubigine sit infectus, aut oblitus Alij, Cæparumvè succo, vel oleo, aut pingui aliqua alia re) non secus ac succinum non allicit amplius paleas, aut leuissima quæque, si prius oleo macerentur, ita videmus Magnetem à proprio officio aberrare, nec amplius ferrum trahere, sed illud repudiare: reuiuiscit autem vis illa attractrix ex Ruellio, si Magnes sanguine hircino polluatur. Et de Adamante ex mente Plinij, & Solini annotauimus, qui Magneti iuxta positus, non patitur à Magnete ferrum abtrahi, aut si apprehenderit, retra-

Loc. cit.

Lib. 1. Inat. stirp. c. 22.
Lib. 37. c. 4
Memo. c. 37

retrahat propter quandam ſurdam, & obſcuram rerum antipathiam. Conuenientiam autem illam ferri cum Magnete, Galenus quoque innuere viſus eſt, cum duo eſſe tractionum genera tradiderit, vnum, quod ſucceſſiuè ad id, quod vacuatur contingit, alterum, quod qualitatis conuenientia fit, aliter namque aër in folles, aliter ferrum à Magnete trahit dicit.

lib. 3. de nat. facul. c. 15.

Nec verò ſolum ad polos demonſtrandos, nautico vſui, & ad dirigenda itinera ſuam præſtat opem inſignis hic lapis, ſed ferè ad infinita. maximè cognitus eſt vſus Magnetis in ferreis obelis, in Sciathericis horologijs, nam eis quieſcentibus, ſtratam lineam oſtendit illico à Septentrione ad Auſtrum; vnde à Gnomone cadentes vmbræ diurnas horas demonſtrabunt.

Vtuntur & Magnetino indice metallici in venarum extenſionibus: nam ſubterraneis in ſpecubus, in quo ſitus index, qui Magnetem tetigerit, ſteterit, ab ea cœli parte metallorum venas extendi, cognoſcunt. Ijs etiam qui ædificiorum Ichnographias, imò vrbium, & regnorum deſcribunt, mirificum miniſtrat vſum: dum ſitus anguli capiuntur, & in papyrum transferuntur.

Præterea vtimur in aquis ducendis, in aquæ ductibus, qui ſub terra excauantur; in antris perforandis, in excauandis cuniculis, in quæ his immiſſis tormentarij pulueris cumulis, & obſtructis ſpiramentis, ad excitandas ab imo arces, rupes, & mœnia, iter oſtendente pyxide. Sed & duarum pyxidum nauticarum opera, quæ quidem alphabeto circumſcriptæ ſint, amico longè abſenti, & carceribus occluſo poteris incumbentia nunciare, quid plura? pendent ex Magnete principia motus, & alia mirabilia: de quibus videatur Porta.

Loc. cit.

Tanta igitur cum ſit Magnetis præſtantia: neque vnquam errasse putandus erit Io. Bodinus, qui in tota rerum natura, nihil eo eſſe admirabilius, & vſum eius planè diuinum, dixit. Cuius rei exactam rationem ingenij acumine, & perſpicuitate nemini ſecundus Scaliger, aliam non reddit, quam ſe ne-

in meth. hiſt. cap. 7.

ſe neſcire. Nos enim in luce rerum tenui caligare, in mediocri cæcutire, in maiore cæcos eſſe, in maxima inſanire ſcribit. *Loc. cit.*

Suos quoque preſtat in medicina vſus Magnes trium enim obolorum pondere, cum aqua multa potum, humores craſſos ducere ſcribit Dioſcorides. Galenus vires Hæmatiti ſimiles facit: cuius colorem cum crematus imitetur, quondam pro eo vendebatur. Et alibi vires habere purgatorias tradit, propter quas hydropicis in potu dari, & omnem humorem per ventrem eminiſtrare docet. Auicennas, abſterſiuæ, & mundificatiuæ facultatis eſſe ſcribit, & dari in potu ei, qui biberit raſuram vel limaturam ferri, cum retinetur in ventre ipſius, aut biberit ſcoriam ferri, quæ retinetur, vt quid bonum commendat. Ipſe enim Magnes attrahit ipſam, & aſſociatur ei apud exitum. Nec deſunt, qui ſcribant, Magnetem, præcipuè qui cœruleo colore ſcateat, reconciliare maritos vxoribus, augere gratiam, & decorem in ſermone: & alijs quamplurimis viribus eſſe dotatum hiſce carminibus expreſſit Marbodeus,

Lib. 5. c. 97 *Lib. 9. de ſimpl. med. fac.* *Lib. de ſimplici medicina* *Lib. 2. tract. 2. c. 463.* *Cap. 41. Ex Alberto Magno lib. 2 de lapid. cap. 11. cui tantū fidei adhibebis, quantum cōmonſtrabit experientia.*

Nam qui ſcire cupit ſua num ſit adultera coniux
Suppoſitum capiti lapidem ſtertentis adoptet
Mox quæ caſta manet, petit amplexura maritum,
Non tamen euigilans, cadit omnis adultera lecto,
Tanquam pulſa manu ſubito terrore coacta.
Si fur clauſtra domus ſpolijs, gazisque referta
Ingrediens, prunas ardentes per loca ponat,
Et ſuper aſpergat Magnetis fragmina prunis,
Vt per tetragonum fumi calor vltra vaporet,
Mentibus euerſis velut impediente ruina,
Deſugient omnes, in ea quicumque manebunt,
Et fur ſecurus rapiet quæcumque libebit.

Sed relictis his, quæ præſtigia magis ſapere videntur, quàm veritati reſpondeant: maiori ſpeculatione digna rimabimur.

Tanto in honore fuit Magnes apud Sacrorum Scriptorum interpretes, vt eodem, ad res magnas, & ſublimes repræſentandas,

In cap.1. Ezech. tandas, vti consueuerint. Legitur enim apud Hectorem Pintum. Magnetem rapere ad se ferrum; deinde ferro illi à se rapto, ita vim suam impertire, vt illud attrahat ad se alterum ferrum, & suspensum teneat; atque vt prius ferrum lapidi, sic alterum illi priori cohæret. Vt igitur ferrum Magneti vnitum habet Magnetis effectum, ita CHRISTI corpus à diuinitate assumptum habebat effectus diuinitatis, vndè ægrotatione laborantibus medebatur, & mortuos ad vitam reuocabat. Tangens incredulus THOMAS CHRISTI latus, fuit fide repletus, exclamans statim, *Dominus meus, & Deus meus.*

Lib.21. de Ciu.Dei c.4. A nonnullis etiam SS. Patribus ipse Deus Opt.Max. Magneti assimilatur: quippe quòd testatur D. Augustinus se Magnetem tantæ virtutis vidisse, quod ex pluribus catenæ annulis primum sua vi traxerit, & ille primus secundum, secundus sequentem, & sic de singulis ad finem vsque catenæ: adeo quod Magnes primum immediate traxerit, cuius virtute cæteri coniuncti fuerunt. Amoris nostri Magnes, Deus est, ad quem proportione naturali homo ipse fertur. Primus annulus, quem traxit, videtur CHRISTI humanitas,
64. iuxta illud Psalm. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti:* In huius autem humanitatis virtute, quæ immediate à verbo fuit assumpta, cæteri, siue Iudæi, siue Græci in ipso Deo, & inter se fuerunt ad inuicem per charitatem copulati.

Plato in Ione, poëtas Magneti lapidi elegantissimè æquiparat, dum non arte, sed diuino afflatu mente captos præclara poëmata canere tradit, inquiens. *Qui lapis non solùm ferreos annulos trahit, sed vim etiam annulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac perindè vt lapis, alios annulos trahere. Vndè longa plerumque concatenatio ferri, & annulorum inuicem pendet, & omnibus his ex illo lapide vis attrahitur. Ita ipsa Musa poëtas diuino instinctu concitat, poëtæ conciti alios furore corripiunt: quare ex his omnibus series ipsa connexitur.* Quam sanè Magneti insitam vim nedum Lucretius Poëta incognitam habuit, sed eandem à Platone mutuasse videtur, dum hos
Lib.6 de rer. nat. versus scriberet.

Hunc

Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se:
Quinque etiam licet interdum, pluresque videre
Ordine demissos leuibus iactarier auris,
Vnus vbi ex vno dependet subter adhærens:
Ex alioque alius lapidis vim, vinclaque noscit:
Vsque adeò permananter vis perualet eius.

Hæc pauca de multis elegi, quæ dici excogitarivè de Magnetis suspiciendis effectibus poterant. Quod si plus iusto longiori vsi fuerimus oratione, illud lapidis dignitati attribuendum scias: hoc etiam, vt quid commemoratione dignum non subticendo. Sicuti Magneti vis illa peculiariter inest trahendi ferrum, ita ex Plinio, & Solino, Catochites lapis, in Corsicano agro reperiri solitus, impositas manus veluti gummi retinet, ita se seiunctis corporibus adnectens, vt cum ipsis hæreat, à quibus tangitur. Subdens Solinus. *Accepimus, Democritum Abderitem ostentatione scrupuli huius frequenter vsum ad probandam occultam naturæ potentiam in certaminibus, quæ contra Magos habuit.* Ita & nos hæc pauca subijcimus, vt quæ bona, immensa, & omnigena progignat terra, omnium rerum parens, mente reuoluas. *Lib.37.c.10* *Mem.cap.x.*

Quoniam verò Hæmatites, & Schistos cognati lapides in metallis ferrarijs, vt notat Plinius, non rarò inueniuntur, sæpius tamen sponte naturæ in proprijs nascuntur; nec non ferri naturam sapere quoquomodo videntur: ratio expostulat; ordo ille distributiuus rerum, qui in Musæo seruatur, requirit, vt post Magnetem lapidem, quem diximus in ferreis mineris vt plurimum reperiri, & cum ferri natura maximam habere cognationem; de ijs sermo instituatur; idque eò magis, cum vsu, & experientia sit comprobatum, ex Magnete cremato fieri Hæmatitem: vt hinc pateat, ortus principia horum lapidum inter se non multum differre. *Lib.37.c.20*

HÆMATITES lapis mediæ naturæ non immeritò est censendus inter terram, lapidem, & metallum; cum ex ramentis, vel sedimento, quod aqua ex rubrica, vel saxo rubro

Lib. 4. de ort. & cauſ. ſubter.

abraſit, in lapideam ſubſtantiam ſit compactus. Vndè ſolertiſſimus ille rerum naturalium venator Agricola huius parentem Rubricam eſſe, vel conſimilis coloris ſaxum refert. Et Dioſcorides in Sinopide Rubrica reperiri ſcribit.

Lib. 5. c. 97

Denominationem lapidem hunc à ſanguine habere patet; vel quod ſanguinei ſit coloris, vt ſentit Galenus, Theophraſtum ſequutus, qui à coloris ſimilitudine id appellationis ſortitum eſſe affirmat: aut quia ad cotem attritus ſuccum reddat ſanguini ſimilem, vt eſt potiſſimum natura lapidum illorum, qui facti cum ſint ex ſedimine, quod aqua abraſit à ſaxis, & terris, cum coti atteruntur, ſuccum fundunt; vel quia ob frigidam, & ſiccam complexionem, qua pollet, & virtutem conſtringendi habeat, ad ſanguinis fluxum à quacumque corporis parte fluentis, comprimendum, valde vtilis, ac proficuus ſit. Ethymologia ſumpta à voce Græca αἷμα quæ ſanguinem ſignificat: & τίθημι, quod eſt Siſto. Hoc ſanè temperamentum, & inſitam virtutem nobis ſignificauit Dioſcorides; ſed diffusè magis Galenus, aſſerens lapidem Hæmatitem habere tantum frigiditatis, quantum habet adſtrictionis: ſubdens deinceps. *Meritò itaque auſi ſunt Medici ocularibus facultatibus lapidem miſcere Hæmatitem, ac ſolo eo vti poſſis palpebris exaſperatis: ſiquidem cum phlegmonæ aſperæ ſint reditæ, ex ouo ipſum diluens: ac ſi magis etiam per decoctum fœni græci: ſin verò citra phlegmonem ex aqua. incipito verò ſemper à modicè humido, per ſpecillum infundens: vbi autem, quod vires eius ferat conſpexeris, magis ac magis craſſum efficies: ac tandem adeò craſſum facies, vt ſpecilli cuſpide inungas ſecundum ſubiectionem, aut euerſionem palpebræ. Hic idem lapis ſimiliter in cote contritus ſanguinis expuitioni competit, omnibusq; vlceribus. Porrò ſiccus ſi ad tantum fuerit redactus læuorem, vt pollinem tenuitate æquet, reprimit excreſcentia. Atque eò nullus ſolo, atque per ſe ſe vtitur: ego verò ad ea quæ dixi vſus ſum, facultate eius ex guſtus qualitate comperta, cum mox experientia periclitari vellem, nunquid rectè conieciſſem. Et ipſa quidem oculorum vlcera ſolus per ſe cicatrice includit, vt paulo ante comprehenſus eſt attritus, cæterum aut affuſus, aut inunctus:*

Lib. 9. de ſim pl. med. fac.

Loc. cit.

nam

nam & id experientia comprobatum habeo. Hactenus Galenus. De quo pariter lapide sparsim multa conscripsit, & in libris methodi medendi, libro de oculis, & alijs in locis. Sed præsertim libro quarto de compositione pharmacorum sec. loc. cap. 4. vbi de ocularium medicamentorum viribus tractans, in oculares compositiones inijci etiam lapidem Hæmatitem docet; & humores resiccandi vim habere dicit, velut ex Cadmia: addens. *Mitius autem pharmacum lapis ipse, quam Cadmia existit, vtpote ex humida substantia, non terrestri, veluti Cadmia, generationem adeptus. hanc enim eius naturam indicat solutio, quæ fit in medica cote, cum per attritionem cum liquore quoppiam in succum resoluitur; quin & cum solus per se citra liquoris alicuius affusionem teritur, non in terrea fragmenta dissoluitur, velut Cadmia, sed in æqualium partium, & cohærens corpus.* Hæc sint ex Galeni mente de Hæmatitis viribus medicinam conficienti perscripta. Ne verò existimari posset, Marbodeum poetam lapidem hunc in postremis habuisse. Illius naturam, & vires carminibus hisce, qualiacumque sint, delineare voluit. ex Galeno singula deprompta videntur. Cap. 31.


Sumpsit Hæmatites græcum de sanguine nomen
Naturæ lapis humanæ seruire creatus,
Stiptica cui virtus per multa probatur inesse,
Nam palpebrarum superillitus asperitatem
Et visus hebetes pulsata caligine sanat,
Eius ramentis si glarea mixta sit oui,
Succo dilutus quem punica mala remittunt
In medicinali veluti collyria cote,
Vel resolutus aqua iuuat hos, qui sanguinis ore,
Guttas emittunt, & qui linit vlcera sanat.
Potatus stringit patitur, quæ fœmina fluxum,
Carnes crescentes in vulnere pulueris huius
Vis premit, & ventrem retinet sine mora fluentem.
Vino dilutus veteri, bibitusque frequenter,
Serpentis morsus, vel quod fit ab aspide vulnus
Egregiè curat resolutus aquis, & inunctus.

Mixtus melle poteſt oculos ſanare dolentes.
Veſicæ lapidem bibitus diſſoluere fertur,
Hic ferrugineo rufouè colore notatur,
Aphrica mittit eum, ſed Æthiopes, Arabesque.

Loc. cit. Plinius ex Sotaco vetuſtiſſimo auctore. Hæmatitarum quinque genera tradit: cuius hæc ſunt verba.

Principatum dat ex ijs Æthiopico, oculorum medicamentis vtiliſſimo, & ijs, quæ Pancreſta appellant, item aduſtis, Alterum Andromanta dicit vocari, colore nigro, pondere, ac duricie inſignem, & inde nomen traxiſſe, præcipueque in Aphrica repertum. Trahere autem in ſe argentum, æs, ferrum. Experimentum eſſe in cote ex lapide Baſanite. Reddere enim ſuccum ſanguineum, & eſſe ad iocinoris vitia præcipui remedij. Tertium genus Arabici facie, ſimili duritie, vix reddentis ſuccum ad cotem aquariam croco ſimilem. Quarti generis Elatitem vocari quandiu crudus ſit, coctum verò Miltitem, vtilem ambuſtis, ad omnia vtiliorem rubrica. Quinti generis Schiſton hæmoroidas reprimentem. Hæc Plinius: Scias autem diuerſum hunc eſſe à lapide illo, Schiſto denominato, de quo paulò inferius. Iam verò Plinij dictis adijcere, & hoc liceat, nunc temporis pluribus in locis, potiſſimum verò in Hiſpaniæ, & Germaniæ fodinis Hæmatitem in non pauca copia reperiri, qui & ſi colore differat, niger enim, ex Hiſpania, vti ex Germania, ad nos tranſportatur. Quo loci etiam ferruginis inſtar, aut flauus, & crocei coloris, aut ſanguini concreti ſimilis reperitur; haud diſſimile illis, à Sotaco traditis, dices; nihilominus viribus eiſdem ſcatere, experientia edocet, quæ Hæmatiti lapidi friabili, vt cæteris, præferendo colore ſanguinis, ſed ſaturato, denſo, per ſe duro, & æquali, cui nulla ſordes ſit admiſta, à Dioſcoride attribuuntur; & cuius etiam Calceolarivs Glebam ſatis prægrandem habet.

HÆMA-



HÆMATITIS non ſpernendam ſpeciem, quinimmò ſuſpiciendam, ſculpta figura refert; non arte ſanè paratam, ſed vt rês foſſilis in proprio domicilio duritie, denſitate, ac pondere grauem, quæ eſt concreta. Huius ſuperficies ferro expolito ſimilis eſt, intus ferrugineo ſcatet colore; à cuius baſi, vt ex Icone apparet, veluti à radice globuli ſatis eminentes pullulant, qui inſtar vuarum compacti, & racematin cohærentes, totum lapidis corpus, animalium cerebella imitans, conſtruunt.

SCHISTI modò naturam, cauſam nominis, & eiuſdem vires perſcrutemur. Lapidem hunc metallicam naturam participare, ex eo, cuiuis & rerum naturalium primitias deguſtanti, innoteſcere poteſt, quod in eiſdem reperiatur metallicis fodinis, vt Hæmatites: ex eadem materia ſit conglutinatus, qua, & hic; in quocumque enim loco Hæmatites, & Schiſtus inueniri ſolent; vt nuperrimè dicebamus, ibidem ſunt ſaxa rubra, & terræ eiuſdem coloris, ita vt non ſecus ac ſuccus ille pinguis, quem Latini bitumen vocant, naturali quadam cognatione cum ſulphure eſt iunctus. pariter hi duo lapides affinitatis vinculo ſunt adeò arctè copulati,

& con-

& consimilis substantiæ, vt alter alterius naturam sapiat, colore non discrepent, & viribus aut nihil, aut certè parum inuicem differant. Schistus attritus, non secus ac Hæmatites, succum reddit: coloris & hic est ferruginei: ille astringit, & exsiccat. Schistus, vt ex Dioscoride, & Galeno habetur, persimilem vim obtinet, quem optimum iudicat, qui viscide stringere potest; ita vt cum viribus certet cum Hæmatite, Lectorem ad ea relegamus, quæ de hoc obseruauimus. Differunt tamen in quibusdam, figura non videntur similes. Hæmatites enim ferè semper glebæ figura est. Schistus autem magis variat figurâ; nam aut altera parte; aut vtrinque cuneatur, aut striarum instar concrescit, vel alias suscipit formas. Hæmatites à sanguine appellationem habere diximus. Schistus verò (vt Agricolæ verbis vtamur) nominatur, non quod aut fissus sit, aut omnis facilè findi possit, vt non potest; sed quod videatur quodammodo esse fissus: mutua enim suarum partium compositione, quæ ligni instar rectæ creuerunt, similis est Ammoniaco sali.

Lib. 5. c. *Lib. 9. de sim pl. med. fac.* *Lib. de simp. med.* *lib. 5. de nat. foss.*

SCHISTVS nonmodo nascitur, vt scribit Dioscorides, in Iberia Hispaniæ, verum & in multis Germaniæ fodinis ferro prædiuitibus. quibus in locis, vt inquit Agricola, *Non rarò inuenitur, qui extrinsecus læuis est, & ferri politi instar splendet; cuiusmodi est Misenus omnium maximè durus, quin fractus, etiam intrinsecus, sed minus solet nitere. Idem Schistus interdum extra non splendet, intus istar Minij factitij, quod etiam Cinabarim vocant pictores, micat; qualis in Sylua Hercinia nascitur, atque is etiam in puluerem tritus nitet, non aliter ac si argento viuo esset oblitus. Hic lapis qui magis instar ferri splendet, eò durior esse solet, vt qui in Misena, & Hercinia Sylua repertus, atque in Miseno nodi quidam nascuntur magnitudine nucis Iuglandis, adeò duri, vt in incudes impositi, respuant ictus, quibus cum politi fuerint, aurifices argentum cui induerunt tenuissimas auri bracteas, poliunt, & perpoliunt illas coloratas bracteas, quæ subduntur gemmis, vt per eas transluceant.* Hæc ex Agricola. Nodis hisce haud absimilem fateberis lapidem illum

Loc. cit. *Loc. cit.*

durissi-

duriſſimum, cui color inſtar ferri perpoliti nigrior eſt: qui ſub nomine lapidis Hæmatitis diuulgatus, in coticulas formatus, ex Iluâ Inſulâ, vt in metalli ferri natus, nec non ex Compoſtella citerioris Hiſpaniæ regione noſtris hiſce temporibus tranſportatur, quò pariter artifices ad illamet munera obeunda vtuntur, quibus nodi illi Miſeni ex Agricola inſeruiunt: conſtant Coticulæ hæ figura angulosa, vt Pyrites, ſplendidi colore ferri nigricantis, cohærent racematim, nunc magnitudine nucis, nunc exiliores, nunc veluti ſquamæ piſcium compoſitæ. Plinius, vt nil videatur prætermiſiſſe, quod ad res naturales ſpectet, ex mente Sotaci, Schiſton naſci in Aphrica nigrum refert, & ab extincti carbonis colore vocari Anthracitem, attritum aquarijs cotibus reddere ab ea parte, quæ fuerit ab radice, nigrum colorem, ab altera croci, & ipſum vtilem eſſe oculorum medicamentis. Sed de hoc lapide ſatis. *Lib. 36. c. 20*

Nunc orationis noſtræ curſus ad lapides illos dirigatur, qui ex ſaxis albis fiunt. Et primum de Morochtho aliquid dicamus. Lapis eſt, vt ſcribit Agricola, qui ex ſaxis albis, & quidem calcarijs, ſimilibusque fit, vt ſubinde & ſi in eo color pauxillum ſubuiridis ſcateat, præcipuè verò albicat, & inſtar gemmæ nitet magis, quàm Galactites, & Melicites lapides ex eadem ſtirpe orti. huius ſubſtantia mollis eſt, quæ facilè liqueſcit, tactu adeò lubricus cernitur, vt perunctus inſtar ſaponis videatur. Varia ab effectibus, quos prodit, eſt ſortitus nomina, quod enim lineæ albæ, vt ex Creta, ex eo ducantur, Leucographida à quibuſdam nominatur: in quem vſum à Mathematicis, Pictoribus, & Sutoribus hodie aſſumitur: vndè & Graphida à nonnullis dicitur, quia vſum calami ſcriptorij præſtet. γραφέω enim ſcribere ſignificat. alij Leucogæam, ideſt terram candidam nuncupant, à voce Græca λευκόν qua album exprimitur, & γῆ terra. Nec deſunt, qui Galaxiam ab effectu nominant, quod ex ſeſe ſuccum emittat lacti in candore ſimilem: γάλα enim lac eſt; ſeu quod colore candido circulum illum cœleſtem, cæteris circulis cœli pulchriorem, & candidiorem imitetur, *Lib. 5. de nat. foſſ.*

qui

qui incedens per medium cœli, incipiens ab Oriente vſque ad Septentrionem, per Cancrum, & Capricornum procedens iterum ad punctum ſuum, Galaxia, ſiue lacteus circulus dicitur, à notabiliori claritate, qua omnes circulos cœleſtes præcellit. Plinius Meroctem vocat inter gemmas, quæ porracea lacte ſudat. Miror autem, quomodo grauiſſimus hic auctor Leucographin inter herbas, de quibus toto illo capite, collocarit, inquiens. *Leucographis qualis eſſet, ſcriptum non reperiri: quod eò magis miror, quoniam vtilis proditur ſanguinem excreantibus tribus obolis cum croco. Item cœliacis, trita ex aqua, & appoſita profluuio fœminarum, oculorum quoq; medicamentis, & explendis vlceribus, quæ fiunt in teneris partibus corporis.* Quæ ſingulæ facultates morochtho à Dioſcoride attribuuntur. Si verò diligentius Pliniana verba perpendantur, & ſi aliorum erroneæ opiniones auctoris excuſationem non videantur admittere. non ex ore proprio, hæc fudiſſe dici poteſt, & ſi fuderit, pro herba, lapidem accipere voluiſſe. Galenus de Hæmatite, & Melitite agens, qui lapides in ſuccum ad cotem attriti ſoluuntur. De Morochtho hæc habet. *Sunt & alij lapides in ſuccum ſolubiles, vt qui in Ægypto naſcitur, quo vtuntur ad ſplendorem linteis conciliandum. eſt autem omnium dictorum minimè qualitatis particeps, nec adſtrictionem, nec morſum, nec abſterſionem præſeferens. Quoniam hoc ipſum duntaxat lapidi huic ineſt, quod deſiccet videlicet. Proinde cerato eum miſcentes, ad cicatricem vlceribus inducendam in mollibus corporibus vſurpant. Sed & ocularibus miſcetur facultatibus, perindè vt modò dicti: at quanto eſt maiore emolliendi vi, quàm prædicti, quod nullam videlicet effectricem qualitatem habeat, tanto etiam moderatior eſt, magiſque dolorem leuat. hunc lapidem quidam Moroxum, nonnulli Leucographida nuncupant.* Hactenus Galenus.

Lib.37.c.10 | *Lib.27.c.11* | *Lib.5.c.109* | *Lib.9.de ſimpl.med.fac.*

Ex eadem proſapia ſunt Galactites, & Melitites lapides, & ſi colore, & ſapore differant, Morochthus namque ſubuiridi in candido latens conſtat colore: Galactites verò ex Dioſcoride, & Galeno, vt reipſa etiam dignoſcitur, cinerei eſt coloris, & ſæpe nigri. Sapor huic ineſt dulcis, qui non

Lib.5.c.107 | *Lib.de ſimpl medic.*

ita affatim in Morochtho perſentitur. Quæ pariter dulce-
do guſtanti ſe ſe offert in Melitite lapide, qui à Melle no-
men habet; vel quia mellis ſimilitudinem in colore flauo
præſeferat, aut quòd coti attritus ſuccum fundat dulcem,
melli æquandum, ex Galeno tamen, Galactite dulciorem. *Loc. cit.*
Sicuti & hic ſi teratur ſuccum album ad lactis ſaporem,
quia reddit, Galactitis nomen eſt adeptus; ac ſi dicas ex
Auicenna Lapis Lacteus, à voce Græca Λαγὰ, quæ Lac eſt,
vt in Morochtho dicebamus: vel quod tritus, & cum vino *Can. 2. cap. 407.*
dulci, aut aqua mulſa nutricibus exhibitus, aut ijſdem illi-
gatus, vbera lacte fœcunda reddere dicatur, vt notat Pli-
nius, & Solinus: & ſi crediderim Galactitem Plinianum, *Lib. 37. c. 10*
quem dicit ex vno colore lactis eſſe, quem aliqui Leucam, *Mem. c. 13.*
& Leucographiam, & Synnephitem appellant. videri pro-
prius accedere ad Morochthum, Leucographim, & Gala-
xiam Galeni, & Dioſcoridis. Galactitem ad oculorum flu- *Locis citatis*
xiones, & vlcera conuenienter illiniri ſcribit, hîc auctor,
oportet autem in aqua tritum pyxide plumbea recondere,
propter vim glutinis, quod ei obhæret. Ex quibus verbis
colligi poteſt, cum plumbo affinitatem habere: nam, &
Ceruſa candida eſt, & dulcis. nec deſunt qui Lethæum no-
minant, quod præterita mala in obliuionem ducat: etymo
ſumpto à Lethe fluuio apud inferos, de quo fabulantur Poë-
tæ, ſi quis eius latices guſtauerit omnium præteritarum re-
rum obliuiſci: vndè Lucretianum hoc

Quam iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis
Supernis (vt fama eſt) trahens obliuia venis.

Cæterum & Galactitis colorem, ac eiuſddem facultates hiſce
carminibus perſtrinxit Marbodeus. *Cap. 30.*

Hunc lapidem cineri ſimilem Galactita dicunt.
Quem mulſa tritum lac multiplicare bibenti,
Si tamen ante cibos fuerit poſt balnea ſumptus,
Hunc ouis ex grauidæ lana traducere filo
Pertuſo, lapidem decet, & circumdare collo
Sic ſe portantis fœcundat vbera lacte,
Dat facilem partum ſimili ratione ligatus

Ad fœmur illius quæ parturiendo laborat.
At si mundato circumspargatur ouili,
Cum sale mixtus aquæ solis redeuntis in ortum,
Lacte replentur oues, scabiesque fugatur ab illis.
Præterea tantis veteres hunc laudibus ornant,
Vt bona cuncti putent solum præstare gerenti,
Quæ simul à reliquis cuncta virtute darentur,
Sed turbat mentem, si clausus in ore liquescat.
Solinus mem.cap.13. *Hunc mittit Nilus, producit, & hunc Achelous.*
Lactis dat succum tritus, lactisque saporem.

Et vt aliquid etiam de Melititis effectibus habeas, eosdem huic inesse, quibus & Galactites pollet, tradit Dioscorides: Locis citatis de quo etiam hæc Plinius refert. *Melitites lapis succum remittit dulcem, mellitumque tusus. & ceræ mistus eruptionibus pituitæ, maculisque corporis medetur, & vuluarum doloribus impositus velleri.* Vtrique hi lapides, quia caloris aliquid habent in ortu contracti, aliquã vim abstergendi possident, sed in Melitite maior conspicitur abstergendi facultas, quod Loc. cit. plus habeat ex Galeni mente caliditatis, quia dulciorem ex se mittat succum. Cum Galactitem idem auctor in caliditate, & frigiditate temperatum ob dulcedinem ponat. An verò Globuli illi instar stillarum in duritiem lapideam compacti, quos ager noster Veronensis quibusdam in locis producit, & si ob flauum colorem, quo sunt notati, mellei videantur esse coloris: cum tamen attriti ne scintillam quidem succi, nedum saporis dulcis, ex se fundant, vt experientia comprobauimus. Nec ad tactum lubrici, sed potius asperiusculi sint, Melitis lapidis nomen meritò mereri possint, dijudicent qui rerum naturalium omnimodam cognitionem habere profitentur.

Cvm ex saxo calcario; vti parente Gypsum ortum habeat: (multis enim in locis vbi fossile reperitur, ibidem per saxa calcaria eiusdem venas vagari, cuius ad libitum videre est) & hoc etiam à probatissimis auctoribus habetur: inter quos Lib.36.c.24 Plinius cognatam Calci rem esse Gypsum scribit. necnon incolæ illorum locorum, in quibus huius maximus est prouentus,

uentus, vstum molunt, & aquis madefacto calcis vice vtuntur: incongruum haud erit, post lapidum illorum tractationem, qui ab eodem saxo fiunt, nonnulla de illo annotare, quæ potius rem medicam, quam historiam respiciunt.

Plinius plura huius genera facit. Scribit enim & è lapide coqui, vt in Syria, ac Thurijs, & è terra erui, vt in Cypro, ac Perrhæbis, è summa tellure, & Tymphaicum est, quo, (vt notat idem auctor) pro Cimolia terra infectores vestium vtebuntur. Et qui coquitur lapis non dissimilis alabastrite esse debet, aut marmoroso. In Syria durissimos ad id eligunt, coquuntque fimo bubulo, vt celerius vrantur: omnium autem optimum fieri compertum est è lapide speculari, Squamamvè talem habente. hæc ex Plinio nostro. modò huius facultates perscrutemur. *Loc. cit.* *Lib. 35. c. 17*

Dioscorides vim habere adstringendi, & obstruendi, sanguinisque expuitiones, sudoresque prohibere notat; quia multum lentore præstet, emplasticumque sit. Sed potum strangulitionis modo iugulare scribit, quia scilicet sua tenacitate alligat viscera, & obstruit venas, citissimeque postquam madefactum est, coit in lapidem. Vnde legitur apud Plinium. C. Proculeium Augusti Cæsaris familiaritate subnixum in maximo stomachi dolore, Gypso poto, consciuisse sibi mortem. *Lib. 5. c. 92* *Loc. cit.*

Galenus naturæ secretorum indagator diligentissimus huius vires fœcundiore calamo, vt sui est moris, delineauit, inquiens. *Gypsum & ipsum ad communem omnium terrenorum, lapidosorumque corporum facultatem, qua desiccare dicta sunt, insuper hoc adiunctum habet, quod est facultatis emplasticæ. Vnitur enim ipsa ad se se, & cogitur, lapidescitque macerata, quamobrem siccis medicamentis, quæ ad sanguinis accommodantur eruptionem, vtiliter commiscetur: nam ipsa per se lapidosa fit coacta, ac congelata. Proinde rigare, diluereque illam excogitaui, tenui alboque oui liquore, quod ad ophtalmias vtile est, admisto, quod in farina triticea est pollinis tenuissimi, qui in parietibus molarum residet. Excipere verò quod sit maceratum est, tenellis* *Lib. 9. de simpl. med. fac. cap proprio.*

leporis pilis, aut qui perinde sunt molle expedit : & amplius. *Gypsum combustum,* (quòd κεκαυμένον vocat) *non æquè emplasticam vim habet, cæterum tenuiorum est partium, & valentius dessicat* (quòd in vstione maiorem vim desiccandi sit adeptum) *quin & repercussorium est, maximè si maceretur Oxycrato.* Et libro eidem attributo de simplicibus medicaminibus ad Paternianum: hæc referuntur verba. *Gypsum lapidis genus est simile vitro. Cuius optimum est, quod venas habet latas, lucentesque, & hac ratione paratur: In clibano missum, vt calx candidum fit. Vires habet, quas, & terra Samia, & amplius stypticas, & refrigerantes fortiter, vnde illitum fronti, sanguinis fluxum restringit, potatum verò, & dysentericis, & cœliacis omne profluuium sistit.* Nec non libro

Cap. 3. quinto methodi medendi tractans de remedijs illis, quibus venarum, & arteriarum vlcera agglutinari, & fluxus sanguinis deriuari, & reuelli queat, emplastica, vt summe proficua, ex Gypso proponit.

Lib. 2. tract. 3. cap. 284. Auicenna similiter Gypsum lapidem laminosum, album, transparentem esse dicit, & Dioscoridis, ac Galeni dictis inhęrendo, natura frigidum, & siccum esse, operationes, proprietatesq; habere glutinandi, in ipso vigere stypticitatem cum viscositate asserit. Ac ob id ad ea conferre, quæ iam præscripta sunt: esse autem ex venenorum præfocantium genere. Vnde ex aureo sanè illo libello, quem Petrus A-

Cap. 6. ponensis de venenis, & horum remedijs instituit, colligitur. Cui datum fuerit in potu Gypsum, habebit difficultatem anhelitus, & frigiditatem in stomacho, & stypticitatem ventris, & labia alba, vt mortificata. Et eius cura erit, vt bibat aquam calidam cum butyro, & euomat. Deinde bibat iterum aquam calidam cum melle, & euomat: & postea detur sibi in potu mithridatum ad pondus dragmarum duarum cum optimo vino. Et si stypticus remansit, clysterizetur cum adipe anatis, & vngatur venter cum oleo de Cerua. Et eius Bezoar est stercus muris tritum, & bibitum, & detur ex eo cum vino dragma vna. Hæc ex præclarissimo illo Medico, & Philosopho: quæ singula recolere placuit,

cuit, vt præbita occaſione remedia in promptu habeas, ad venenum hoc è corpore humano delendum accommodata.

Galenus Gypſum deuorantibus lixiuium ex ſarmentorum cinere confectum, Thymumvè ex aqua contritum dandum iubet. Lib. 2. de antidotis cap. 7

Lapidem illum, qui ſub nomine ſpecularis ab auctoribus diuulgatur, vt affinitate, & conuenientia Gypſo iunctum, huic connectere haud grauabimur: interdum enim, vt notat Agricola, ex ſaxo calcario gignitur, ſed cum pauca aqua permiſto. Lib. 5. de nat. foſſ. Et vt hominis induſtria ex lapide ſpeculari vſto facit Gypſum, ita natura interdum contra ex Gypſo ſpecularem lapidem. Qui ſanè nomen hoc eſt adeptus, quod vitri more (ex Iſidoro) tranſluceat, & ſpeculi inſtar Lib. 16. c. 4 ad reddendam verorum corporum inanem imitationem ſit capax, eſt namque corpus extenſum, vt eadem, qua ſpecula, ratione ſupini, ſimulacra rerum, quæ illi repræſentantur, ſimillima effingere valeat. Hæc tamen proprietas candido, à quauis labe immuni, attribuenda potiſſimum videtur. Cuius ſolius eſt translucere; quod in eius ortu, præ cęteris alijs huius ſpeciei, multò maior humoris aquei copia, quæ perſpicuitatis eſt cauſa, quam materiæ ſit miſta. Vt ob id non deſint, qui autument, lapidem hunc humorem eſſe terræ, Cryſtalli modò condenſari, & in lapidem concreſcere, glacieique nomine inſigniant. Quod verò de candido præcipue dictum eſt, id vnum reſpicit, vt ex Plinio habeas. Lib. 36. c. 22 Lapides ſpeculares reperiri, qui aut minus tranſlucent, aut obſcuri ſunt, vel qui ex dimidia parte candidi, ex dimidia nigri viſuntur, aut quopiam alio ſucco ſunt infecti. Hi tamen omnes & ſi ſplendeant, non tranſlucent, nec effigiem rerum ad viuum exprimere ſunt apti, vt candidus. Cuius naturam egregiè admodum expreſſit D. Baſilius, inquiens. Hexem. Homil. 3. *Specularij lapidis natura in metallis concreſcens: Eſt autem lapis pellucidus peculiarem, eamque puriſſimam tranſparentiam adeptus, qui ſi iuxta ſuam naturam ſincerus, & abſolutus fuerit repertus, neque putredine aliqua exeſus, neque ſegmenta, ac ſtirias in altum productas habet, ferè aëris*

lucidi-

luciditate similis existit. Quoniam verò natura mollis hic est, ad differentiam duri, qui in crustas facile findi non potest, in admodum tenues finditur laminas. Vt non immeritò Plinius tractans de lapidibus sectilibus, qui serra secantur ad tegulorum, & imbrium vicem, sub hac classe, & specularem reposuerit, cum dicat. *Specularis verò (quoniam & hic lapis nomen obtinet) faciliore multo natura finditur in quamlibet tenues crustas.* Quo loci etiam Hispaniam citeriorem, Cyprum, Cappadociam, Siciliam, Aphricam, & Bononiensem Agrum lapidem hunc dare scribit. Et Laminæ illæ ob transparentiam, quibusdam in regionibus, vt in Saxonia, & quamplurimis alijs in locis, in quibus harum maximus est prouentus, instar vitreorum orbium, vel tessellarum plumbo iniunctarum, fenestris inseruntur, tùm pro aëre excludendo, tùm pro lumine transmittendo: & si enim imbrium sint aliquantulum impatientes, ferunt nihilominus Solis ardores, & Hyemis frigora, nec senescunt, si modò iniuria absit. Quem sanè morem antequam Vitri vsus innotesceret, antiquitus etiam fuisse obseruatum, locus ille Galeni libro nono cap. tertio de Anatomica administratione nos edocet: de conario enim corpore dextrum ventriculum à sinistro determinante agens. Hæc habet. *Est autem adeò tenue, vt in clara luce administras, quemadmodum certè etiam conuenit, splendor ipsius pelluceat, similiter lapidibus hisce specularibus, quos in tenuia secantes, fenestras componunt.* Et Plinius de aluearijs ad propria loca disponendis tractans. *Multi* (inquit) *ea ex speculari lapide fecêre, vt operantes intus spectarent.* Budęus pariter à speculari lapide, specularia dici integumenta scribit, quibus ambulationes in hortis tectæ erant. Vnde Iuuenalis.

Loc. cit.

Lib. 21. c. 14

Satyra 4.

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

De quibus etiam Vlpianus in l. Quæsitum, §. Si domus: de fundo instructo.

Cæterum & si scriptum inueniamus, nonnullos esse viros, & hos quidem non vulgaris eruditionis, qui lapidem specularem alium faciunt à Selenite, & hunc esse Margaritas, quas

Vulgò

Vulgò Perlas vocant. Inhærentes forsan Alberti Magni dictis, qui ex quorumdam sententia tradit. Selenitem nasci in quodam genere testaceo in India, frequentius in Perside, & in Arabia. Nihilominus quicquid de hac re sit, ipsi videant. Nobis verò Galeni verbis inhærentibus attestari liceat, Selenitem, quem Aphroselinum vocat, ac si dicas Lunæ spumam non diuersum esse à lapide speculari: inquit enim. *Aphroselinum in Ægypto tamtummodo inuenitur: quod ita creatur. Ros cœlestis positus ad Lunæ claritatem, in specie lapidis, quem specularem vocamus, coagulatus stringitur. vndè & nomen sumpsisse videtur.* (σελήνη enim Luna est, & ἀφρὸς spuma) *potest autem omnia vitia capitis emendare, & Cephalalgicis, & Epilepticis vtiliter prodesse, ob facultatem nimirum exsiccantem sine morsu.* Quæ lapidi speculari ab eodem Galeno attribuitur. Agens namque de methodo parandorum remediorum, quæ ad maligna vlcera, & ægrè cicatricem admittentia conducunt, hæc habet. Lib.de simp. med.ad Paternia.

Quin & quod Græcè Diaphanes. Romanis lapis dicitur specularis, ex ijs est, quæ leuiter, & sine morsu exsiccant: qui vstus vlceribus egrè cicatricem admittentibus, non item malignis, ac rebellibus conducit, quippe minus exsiccat, quam illa requirant. Lib.4. de comp. medi. p.g. cap.1.

Nec non in libris de Simplicium Medicamentorum facultatibus, de Lapidibus, ac eorumdem viribus differens, ne verbo quidem labris admoto de Margaritis. Aphroselinum comitiali morbo correptis valere tradit : vt ex ijs a Galeno præscriptis luce clarius appareat : Sub eodem parente lapidem Specularem, & Selenitem sua habuisse natalia in terræ visceribus, nec maris esse fœtus. Quod si aliqua videtur inter hos esse differentia, illa potius ab affectibus, quos prodeunt, pendet, quàm quòd in natalibus longè absint. Vt enim speculi modò transflucet hic lapis, & vitro persimilis, pro specularibus, & inspicillis ad occludendas fenestras, eius vices subit, Specularis vocatur. Lib.9. cap. de lapidib.

Vt verò ex Dioscoride, noctu in illo quandam candidam maculam transflucere inuenitur, Lunæ imaginem continentem, quæ in hoc lapideo corpore crescente Luna crescit, & decre- Lib.5.c.116

Lib. 1. tract. 2. c. 402. Lib. 36. c. 10 On. lib. 16. c. 4. Lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 5. Cap. 38.

decreſcente minuitur. Selenitis nomen eſt adeptus, ac ſi dicas ex Auicenna Lapis Lunaris, ſeu Lunæ ſpuma: quod etiam à Plinio, Iſidoro, & Sancto Auguſtino refertur. Hoc idem Solinus in memorabilibus recolit. *In Perſide* (inquiens) *Selenites reperitur, tranſlucet fulgore candido, continens Lunæ imaginem, quem iuxta curſum Aſtri ipſius, perhibent diebus ſingulis vel minui, vel augeri.* Fortaſſe quia. ſicuti omnium ſuperiorum Aſtrorum potentia fruimur, & corporibus hiſce inferioribus, à Luna potiſſimum, vt Planeta inferiore, nobisq; viciniore, ſecundum eius motus, & curſus mutationes adueniunt, vt fuſiſſime nobis demonſtrat Galenus. ita & lapides cœleſtes afflatus ſuſcipiant: quod pariter perbellè hiſce carminibus delineauit Marbodeus.

Libr. 3. de dieb. decr.

Cap. 56.

Nec Selneites fas eſt omninò tacere,
Quæ velut herba virens, & Iaſpidis æmula Gemma,
Lunares motus, & menſtrua tempora ſeruat.
Creſcit enim Luna creſcente, minuensq; minuta
Efficitur, tamquàm cęleſtibus anxia damnis.
Dicitur eſſe potens ad amorem conciliandum:
Languentes etiam Phtyſicos iuuare putatur,
Toto geſtatus creſcentis tempore Lunæ,
Nec minus, & toto per decrementa fluentis,
Effectus miros, & commoda plurima præſtat.
Hanc autem gemmam memorant in Perſide naſci.

Corol. lib. 5. c. 1494.

Hermolaus ille præſtantiſſimus Vir, non moribus, nec eruditione, ſed ſtirpe, Barbarus, ſuis in Dioſcoridem doctiſſimis ſcholijs, Seleniti nomen Argyrolithi tribuit, cum dicat, *Selenitem lapidem à Chimicis, vt & à Galeno, Aphroſelinum, & Comarim, & à leuitate ponderis Cupholithum, & Argyrolithum quandoque vocitari.* Vt inde pateat artem Chymicam profitentibus, ſub nomine Argyrolithi lapidem illum in vſum venire: qui ab Auicenna, vt ſpecularium lapidum ſpecies Talk vocatur. & qui paſſim per Germaniam, & Italiam à Vulgo hominum Talcus nuncupatur. Nec non ab Agricola ex mente Diogeniani ſub Magnetis nomine deſcribitur; non lapidis illius, qui ferrum vi innata ad ſe rapit.

Lib. 2. tra. 2. cap. 686. Lib. 5. de nat. foſſ. Digreſſio de Magnete lapide Talci ſpecie.

Sed qui

Sed qui in colore candido virescens pellucet, lapidum, specularium modo, in laminas, seu crustas, verum tenuissimas, & flexibiles scinditur; cuius bracteæ ex gleba satis ponderosa, & si subuiridi, excussæ, adeò perbellè argentum in colore imitantur, vt quosuis etiam in arte metallica consummatos, decipere valeant, primo intuitu putantes argentum esse: ex quo mirandum nec sit, si miserculi illi homunculi, qui se totos Alchimiæ dant, in opere, sua spe frustati & ipsi quoque decipiantur: & dum alios capere tentant, fraus in fraudatorem cadat. Dum lapidem hunc non sine studio, & labore in liquorem soluunt, oleum Talci vocantes, huius medio argenteum splendorem Æri tribuere confidunt, ac in argenteam materiam transmutare illudmet sperant. Existimantes sicuti Talci puluis Æri mistus ipsum dealbat, ita huius liquore posse sui voti compotes fieri. Sed omnia in vanum architectantur: euanescunt in cogitationibus suis, tempore abutuntur, & diuitiæ non sine derisione absumuntur. Vndè multò melius illis esset consultum, si huius liquoris vsum mulieribus illis totum relinquerent, quæ arti comesticæ, seu decoratoriæ deditæ, pro alliciendis ad eorumdem gratiam hominibus, non sine infamię nota liquore hoc faciem dealbant, ac nitidam reddere student; sed omnia hæc, vt ridicula ommissa faciamus. Et quò exactius huius lapidis natura tibi innotescat. habeas. perennitatem, non secus ac Amiantum, igni impositum, seruare, cum nec fundatur, neque comburatur, nec quicquam de eius colore deperdat. Ideò ex eiusdem aliquot crustis filo ferreo coniunctis, vt ex Amianto, non desunt, qui Thryallides perpetuas parant. Vt hac ratione, si dixeris, esse posse Argyrodamantem ab antiquis vocatum, quasi argentum indomitum, cum in igne perseueret inuictus, non erit forte ab se. Auicenna naturâ frigidum in primo gradu, siccum in secundo statuit, stipticum esse, sanguinem retinere, apostemata mamillarum, & testiculorum, & quæ post aures, & in partibus laxis fiunt, perhibere affirmat. dari cum aqua plantaginis ad sputum sanguinis, ad fluxum *Loc. cit.*

menstruorum immoderatum, & hæmoroidarum, infundique dyssentericis notat. Sed periculosum esse dicit, si interius assumatur, quia eius laminæ hærent infixæ ventriculo, faucibus, & gulæ: & ob id maxima est opus industria, vt soluatur, & percoletur, ac propinetur cum aqua graminis.

Lapidibus hisce, seu mauis glebis (vtrumque enim rectè dici potest) quæ in laminas, crustasvè scindi sunt aptæ, nomina propria ab auctoribus vsurpata aptare placuit, causam nominis, ne quid deficere videatur, exposuimus, & quas vires in operatione habeant, explicauimus. Sciendum verò & hoc est; & si varia, ob diuersos effectus, quos producunt, cum non vno inseruiant vsui huiusmodi lapides, sint sortiti nomina: attamen singuli omnes ab vno, & eodem parente, gypseæ naturæ participe, ortum trahunt: non immunes materiæ metallicæ sunt: & sub Talci nomine includi possunt. Quod si rerum naturalium studiosus horum lapidum distinctam seriem in figura, in coloribus, in flexibilitate inquirere appetit. CALCEOLARIVM adeat: ibi Talcos speculares crustaceos, magis, & minus in laminibus flexibiles attendet: nec non ob diuersam euaporationem à materia metallica in ortu susceptam, argenteos, virides, & glaucos contemplari dabitur: vt & admirari non desinet quasdam Talci species; in quibus Auri, & Argenti scintillæ, Granati gemmæ, granis Mali Punici, sed nigrioris aspectus, similes efflorescunt.

Prænarratis Lapidibus, vt affinitati coniunctus, ac eisdem in substantia haud absimilis, non longè abest Lapis ille, origine, & fama celebris, qui inter fossilia, non ex dissimilium partium compositione coagmentata, sed quæ ex singulis partibus constant, enumerandus venit. Amiantus nimirum: cum enim ex sui generis succo fiat, vnaquæque Amianti pars est Amiantus, sicut vnaquæque auri pars est aurum: quod idem de Rubrica, & Alumine in superioribus significauimus. Lapis est Scissilis, Alumini Schisto similis, ex cinereo albicans, cui aliquid aluminosi saporis inesse videtur:

tur: totum eius corpus inſtar ligni fibroſum eſt, & veluti ex lineis contiguis compoſitum cernitur. Nec non capillamentis lanuginem quamdam experimentibus ſcatet: in quæ attritione ſoluitur. Sic nuncupatum tradunt Plinius, Iſidorus, & Agricola: quod non ſecus ac Adamas innata vi ignem contemnit: ita & ille nihil ab eo patiatur, nihilque de propria natura deperdens, etiãſi ſordibus in ignem proijciatur depoſitis terreis particulis, maculisvè nitidus, & ſplendens extrahatur. Quod etiam D. Baſilius elegantiſſimis verbis expreſſit. Inquiens. *Eſt quædam corporis natura, quam Amiantum vocant, inconſumptibilis igne, quandoquidem in flamma poſita, in prunas redigi videtur, exempta autem ab igne, velut aqua illuſtrata durior euadit.* Cuius rei cauſam, non deſunt ex rerum naturalium perſcrutatoribus, qui humori in terræ viſceribus exiſtenti pro lapide hoc ſtruendo, ſua actiuitate calore ignis fortiori, attribuant, cuius medio fit, ne ab igne abſumi permittatur. Vel vt alij. Quod ex lapide illo, quem tradit Plinius, & Iſidorus in Arcadiæ montibus naſci, Asbeſto nempè ferrei coloris, qui ex Solino. Sic ardet vt ſemel accenſus extingui non poſſit, ortum ducat, ἄσβεστος enim Græcis inextinguibilis eſt. Ab re tamen non exiſtimamus aliquid etiam ex proprio penu depromere. Siquidem quoad vocis ethymologiam attinet. ab (α) priuatiua particula, & à verbo μιαίνω, cuius futurum eſt μιανῶ fit Αμίαντος: quæ vox impollutum, incontaminatum, defœcatum, immaculatumque ſignificat. Hinc Amiantus ex eo nomen traxit, quoniam, vt mox dicebamus, igni impollutus reſiſtat. Vndè & ab ijſdem Græcis Linum Asbeſtinum vocatur, & à Plinio Linum viuum. Linum ſanè: eſt etenim lapis hic νηματώδης, id eſt netilis, aptusque duci, inſtar lanæ, linivè pro conficiendis telis, vel Chiromactris, ideſt mantilibus. Ex his autem fiebant potiſſimum ſacculi, quibus Regum corpora vrebantur, ſeruabanturque cineres. Viuum verò ab effectu, & ſi enim in ignem proijciatur, & accendatur, agantque flammæ, nihilominus nulla amiſſa parte, nihil de propria ſubſtantia deperdens, vege-

Lib. 36. c. 19
Orig. lib. 16. cap. 4.
Lib. 4. de ort. & cau. ſub.
Hom. 30. de Ieiunio
Lib. 37. c. 10
Loc. cit.
Cap. 12.
Lib. 19. c. 1

tari adhuc videtur. Vt non immeritò pro enchomio huius lapidi dici liceat. Victricem illam omnium vim ignium aliquid tandem nactam esse, in quod nullum ius, nullum prædominium habeat. *Inuentum iam etiam* (refert conterraneus noster) *est Linum, quod ignibus non absumitur, viuum id vocant, ardentesque in focis conuiuiorum, ex eo vidimus Mappas sordibus exustis splendescentes igni magis, quàm possunt aquis. Regum indè funebres tunicæ corporis fauillam à reliquo separant cinere, nascitur in desertis, adustisque Sole Indiæ, vbi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assueuitque viuere ardendo, rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem. vocaturque à Græcis Asbestinum ex argumento naturæ.* Hæc Plinius ex mente Anexilai. Illud fortasse Lini genus censebitur, de quo legere est apud Hieroclem. Brachmanos illos Philosophos, ab Indis in magno pretio habitos, & diuinis propè laudibus celebratos, sibi vestes confecisse, vt diuinitatis specimen de se relinquerent. Horum placita, vt ex Strabone, Apuleio, & Philostrato in vita Apollonij habetur. erant. Vitam præsentem putandam esse, quasi quemdam viuidum hominum conceptum, mortem verò natiuitatem ad veram illam, & felicem vitam ijs, qui rectè philosophati sunt. Idcircò eos multa exercitatione vti, ad mortis præparationem. Item mundum habere tempus iniciale, tendereque in interitum, esse quoque globatum forma, Deumque vniuersorum Opificem, moderatoremque per cuncta meare. Mundi exordium esse ab humectationis elemento principe, & præter quattuor elementa, quintam quandam naturam esse, ex qua Cœlum, Astraq; constent. Qui plura de horum philosophorum placitis, viuendi norma, & moribus habere cupit legat Strabonem, apud quem etiam illud idem legitur, quod ex Plinio de incombustibili illo lino enarrauimus. Non Cyprium, non Indum, sed Creticum appellans. Traditque petram esse, quæ attrita, capillamentis tantum remanentibus, excussa terrea materia, pectinibus aptari, contextamq; telam indè peroptimè confici, eam autē igne non vri, sed sordidam in ignem emundari.

Loc. cit.

Geograph. li. 15.
Lib. 2. floridarum.
Lib. 1. cap. 1 & 13. & Lib. 3. cap. 4

Loc. cit.

Præter

Præter à Plinio, & Strabone relata, ex ijſdem quoque capillamentis Elychnia ſumma arte, & induſtria conficiebantur, quæ in lucernis poſita, inconſumptibilia erant. & vt antiquos auctores de hac re tractantes, omittamus. Vti etiam quicquid ab Iſidoro refertur de Candelabro illo in Templo Veneris ſubdio ſtatuto, in quo lucerna ardebat, adeò vt nulla tempeſtas, nullus imber illud lumen extingueret: veritati relinquamus. Et quod à Solino narratur, taceamus. In Britannia ſcilicet, in Mineruæ æde perpetuos ignes nunquam caleſcere in fauillas. Sed vbi ignis tabuit, verti conſueuiſſe in globos ſaxeos. Scribit Damaſus in Syluestro Papa: à Conſtantino Magno ex Amianto Elychnia confici ſtatutum fuiſſe, ac in Baptiſterio ſuo Romæ locaſſe, vt ſemper ardentes nunquam abſumerentur. Necnon Ludouicus Viues Scholio ad D. Auguſtini librum vigeſimum primum de Ciuitate Dei teſtatur ſe cum Petro Garzia condiſcipulo, Elychnia permulta Pariſijs vidiſſe, quæ lucernis ardentibus nunquam abſumerentur. Et Mantile Louanij medio conuiuij igni datum, redditumque Domino maculis ſplendidius, quàm poſſet aquis, & Smigmatis quibuſdam. Quo etiam loci notat erutum fuiſſe ſepulcrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, vt ex inſcriptione apparebat, ſupra milleſimum, & quingenteſimum annum; eaque tota ex templo, vt contrectari cœpta eſt, inter admotas manus friata in tenuiſſimum abijt puluerem, cuius rei vel magicæ artis ratio erat, vt Sancto Auguſtino placuit, vt ex Asbeſto lapide, qui, & ſi nunquam abſumatur in eo ignis, ipſe tamen tanto temporum tractu atteri adeò poteſt, vt intactus quidem perſeueret, at friatus in ſuum puluerem abeat. Sed quo progreditur oratio hæc noſtra? non ne huiuſmodi Elychnia videre eſt in ædibus Calceolariis: quæ ab Illuſtriſſimo Daniele Barbaro Patriarcha Aquileienſe, dum humaniſſime fuiſſet domi exceptus, Calceolario Seniori vnà cum plurimis alijs rebus exoticis, ſummum erga illum beneuolentiæ monumentum, dono dedit? Tanta igitur cum ſit lini asbeſtini dignitas, & præ-

Locis citatis

Cap. 31.

Cap. 6.

Loc. cit.

& præſtantia, non immeritò Marcus Polus Venetus in ſuo itinerario Salamandram hoc vocauit. Sicuti namque animal hoc frigidiſſimum, Lacerti figura, ex Ariſtotele, Plinio, & Sancto Auguſtino, per ignem inambulans eum extinguit, nec ipſum vritur, nec extinguitur. Et quod ex Æliano maiorem parit admirationem, non modò contra ignem ire audet, illum etiam extinguit, ſed nec accendatur, etiam contra fabrorum follium inflacionem reluctatur. Pari ratione Amiantus quòd igni reſiſtat, incombuſtibilisque ſit, ethymologicè Salamandra vocari poteſt. Quòd tamen de hoc animali refertur, illud omne, vt quid vanum, & fabuloſum ſtatuere videtur Dioſcorides. Nec non Galenus Salamandram ad certum vſque terminum ab igne nihil pati ſcribit: vri autem ſi longiore ſpatio igni ſit admota. quòd ſi vera ſunt, quæ ab Ariſtotele, & alijs de hoc animante traduntur, id vnum ſummo frigiditatis gradui ignem ſuperanti, quo animal hoc eſt à natura conſtitutum, cum imbribus gignatur, opacis, vliginoſisque locis delectetur, attribui debet. Sed quid? quomodo ignem extinguere valet Salamandra, non vratur ipſa, Solem tamen, cuius lumine, & calore omnia vegetantur, non patiatur, quin ſerenitate moritur? Rurſus ad rem noſtram. Præter Amianto attributa nomina. Boſtrychetes quoque eſt Zoroaſtris, quòd plexis mulierum crinibus ſit ſimilis. à voce Græca βοστρύχος, quæ Cæſariem in modum comæ muliebris ſignificat. Et cum ad Caryſtum Oppidum effoderetur; Caryſtium à Pauſania dicitur. Quia verò ſimilitudinem cum Alumine ſciſſile habet: cum & attritione ſoluatur in tenuia fila, inſtar plumæ caneſcentia, & pro illo vſurpatum ſit. à Quadrigario alumen ſciſſile vocatur.

Lib. 5. anim. cap. 19. *Lib. 10. c. 67* *Lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 4.* *Lib. 2. c. 31* *Lib. 2. c. 36* *Lib. 3. de tēp. cap. 4.*

Cæterum vt aliquid etiam ex hoc lapide allegoricè eruatur. Protectio diuina optimè explicari poteſt ſimilitudine illa, quam D. Athanaſius ducit ex Amianto. Ex quo, (vt iam eſt diſcuſſum) adhuc lento telæ confectæ, ſi in ignem conijciantur, non comburuntur: huius generis tunicam, & tegumentum ſe fore Deus pollicetur ijs, qui pro eius nomi-

Lib. de Incarnat. Verbi.

ne in

ne in ignem tribulationum coniecti fuerint, vt nimirum ab eo lædi non possint. Legitur enim Isaiæ 43. cum ambulaueris in igne, non combureris, & flammæ non ardebunt in te; quia ego Dominus Deus tuus Sanctus in Israël. Et vt innumera Sanctorum Martyrum exempla breuitati studens non proponam. Beatissimi Georgij Martyris exemplo contentus erit, qui sub Dei vexillo piè, & non fucata animi conscientia, vitā agere appetit. Ex hoc enim quanti valeat persequtiones, & tribulationes strenuè tolerare, illi patebit; innotescet etiam, illas res, quæ peculiari aliquo miraculo à Deo sunt dotatæ, Sanctis ipsis, & diligentibus ex corde Deum, obsequium præstare. Tradit namque Metaphrastes in Enchomio huius gloriosissimi Martyris: cum ab impijssimis persecutoribus ad ignis supplicium esset damnatus, verentes ne Christiani nominis virtus, fauente diuina aura, igni extinguendo miraculo esset. Asbesto lapide Sanctum ipsum obruerunt, confidentes ob peculiarem innatam illius virtutem, extingui non posse eius ignem. Sed non ita primum igni fuit obiectus, vt statim (mirabilis Deus in Sanctis suis) idem ignis fuerit extinctus, adeò vt, nedum crines ipsi ab igne fuerint læsi, sed omninò intacti remanserint.

Apud Lipomanum Tom. 7. 23. Apri.



ANTEQVAM autem in Lapidibus recensendis, vlterius progrediamur, vt oblectamenti aliquid, ex rerum varietate, quod vt plurimum hauriri solet, legentium animis offeratur, placuit præmissam tabellam Lectori exhibere, quam ex marmore illo durissimo fabrefactam sciat, quod apud Ægyptios Basaltes est; ex fossilium genere, quæ aliorum imitantur colorem: Est namque in colore ferri æmulum, vt à ferreo colore nomen illi sit impositum, & à duritie: non enim absque difficultate ferro contrectari, & vix incidi potest. Hæc, vt purum antiquitatis insigne monumentum, literis illis à parentibus veluti per traditionem quamdam acceptis, & quas sacras vocabant, referta conspicitur, quibus Hierogramates illi Ægyptij Sacerdotes, qui pariter de futuris vaticinia conspiciebant, figuris volucrum, ferarum, reliquisque huiusmodi corporibus, & signis sensus mentis effingebant: vt præ cæteris legere est apud Cornelium Tacitum: qui de literarum inuentoribus differens, hæc habet. *Lib. 10. in Augusto* *Primi per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effinxerunt, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur, & literarum semet inuentores item perhibent.* Huius porrò Tabellę interpretationem doctè, ac eleganter ingenuo sanè actus candore, & beneuolentia suppeditauit LAVRENTIVS PIGNORIVS Patauinus, Vir non tàm pietate, & moribus, quàm eruditione clarissimus, & pęnitissima rerum antiquarum notitia apprimè suspiciendus, literis ad ANDREAM CHIOCCVM Philosophum, & Medicum Veronensem præstantissimum, variaque eruditione conspicuum, in hunc modum scriptis.

ANDREAE CHIOCCO MED. CL. VIRO

LAVRENTIVS PIGNORIVS Salutem.



VÆRIS ex me, Vir Cl., quid contineat antiqua lapidea tabella, quæ isthic in Musæo CALCEOLARIANO adseruatur, cuiusque tu ad me exemplum misisti. Illa profectò Ægyptij cuiusdam scalptoris figmentum, est, vt quæ & litteras exprimentes rationes mysteriorum illius Gentis proferat, atque ipsa adeò Sacra (vt ipsi vocabant) simulachra nobis exhibeat. Litteræ sunt illæ, tum quæ quattuor inferioribus spacijs tabellæ ipsius continentur, tum quæ in superiori area intermicant, mirabiles planè, & ipsamet ignoratione satis commendatæ; Auiculæ enim, securiculæ, globuli, flagella, Dracunculi, & alia non pauca, ipsa quidem per se in oculos nobis incurrunt, at quem indè sensum nos elicere valeamus, nemo adhuc est, qui sciat; Ammianus certè Marcellinus lib. xvij. historiarum ex Hermapione, vt vt præiuerit explicatione aliquot versuum vnius ex obeliscis, sæculo huic nostro solerti satis, & erudito, nemo tamen ad solidam huius disquisitionis gloriam adspirare (quod ego quidem sciam) ausus est. Ad simulachra quod attinet, dixi ego satis aliàs, cum explicarem imagines miras Mensæ Isiacæ, quæ fuit incomparabilis Viri P.Bembi Cardinalis; at in tui gratiam etiam nunc è magna satis messe colligam deciduum aliquod spicum, quod tu pro tua humanitate, & pro ea, qua me prosequeris beneuolentia, forsan recondes in horreum politissimæ tuæ Bibliothecæ. Porrò hoc agamus. Ægyptij sanè, vt contigerunt illis Cœli Vis, & Nili ingenium planè à reliquis terrarum tractibus discrepantia, ità in plerisque omnibus (inquit Herodotus) à cæteris mortalibus, sese abiunxerunt. Hoc in Sacris liquidò planè compertum est, nihil enim ita absonum

num in fingendo vſpiam fuit, quod non æquarent, vel etiã exſuperarent moſtroſæ imagines, quibus ex Antiquitate reliquis pepercit Tempus edax rerum. Nota ſunt ex carmine Virgiliano, Omnigenum Deûm monſtra. Et Gildas ſapiens, vt Patriæ ſuæ Idolomaniam exagitaret, nihil potuit excogitare, quod ad illam exprimendam pertingeret, præter Ægyptiaca deliramenta; Inquit enim; Igitur omittens priſcos illos, communesq́ue cum omnibus gentibus errores, quibus antè aduentum Chriſti in carne, omne hominum genus obligabatur adſtrictum, nec enumerans Patriæ portenta, ipſa diabolica penè numero Ægyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intrà, vel extrà deſerta Mænia ſolito more rigentia, toruis vultibus intuemur. hæc ille. Georgius etiam Piſides huc reſpectans totum ſalum horrendæ impietatis Ægyptios perbibiſſe, abundè teſtatus eſt. Abſidem Tabellæ complectuntur ferè totam Alæ Accipitris, quas fortè in rotundo illo patore interſtinguit Stella Sothis, vt non ſemel in Menſa Iſiaca, ambientibus, & dependentibus anguibus binis. Fuit autem Sothis Stella, quam Canis aſtrum græci vocant (inquit Porphyrius) creditaq́ue eſt Ægyptijs ἀρχὴ ἔτους, eademq́ue initium apud ipſos mundanæ geneſeos. Accipiter verò Dei, & Solis ſymbolum eſt, tradente Clemente Alexandrino lib. v. ſtrom. Πυρώδης γὰρ, καὶ ἀναιρετικὸς: Angues & ipſos diuinitatis aliqua portione reſperſos arbitrata eſt Antiquitas: & nos olim ad faſtidium oſtendimus: nota ſunt illa Perſij Satyra prima.

Pinge duos angues: Pueri, Sacer eſt locus, extrà
Meijte.

Et Ægyptij ipſi adeò magnifecerunt hanc notam impietatis, vt & Nummos principales hac imagine conſignarent. Eſt apud me æreus M. Antonini.



Quòd ſi Stella in illo veluti Diſco non comparet, ſed nuda tantum planities, dicemus eſſe plenam illam rotunditatem, quam in modum ſpeculi, vel augmentum Lunæ ſuper Iſidis frontem Appuleius lib. 11. adnotauit. Reliquæ ſunt Icones Sacræ, quorum altera ſedens, Oſiridis videtur, ſtans altera Iſidis. Oſiris fuit Rex apud Ægyptos, Iſis Regina, vt ſcribit Iulius Firmicus, & antè Firmicum Diodorus, quos præterea myſticis rationibus & Solem, & Fruges, & Lunam, & Terram eſſe voluerunt. Horum cultus totam Ægyptum, regiones finitimas, & vniuerſum ferè Orbem incredibili ſuperſtitione peruaſerat. Oſiridi caput tegit Perſeæ arboris Pomum (vt ego quidem exiſtimo) ea ſpecie conformatum, illisque parergis exornatum, quæ in Menſa Iſiaca prima Sectione occurrunt ſpectantibus. E' mento quod propendet diximus alibi videri Serpentis caudam, neque ſanè pœnitet coniecturæ, quam tamen quî firmem non habeo, adeò tenebræ cimmerijs craſſiores hæc deliria obrepſerunt. Vnica eſt apud me Gemma ſignatoria, vetus illa ſanè, quæ ad hæc alludit. Eſt autem Sarda.

Sceptrum



Sceptrum Sacrum apprehendit ambabus manibus Osiris, vt & dextrà Isis, quæ ponè sequitur, ornabatur autem Sceptrum Vpupæ capite, vt docet Horapollon lib. I. ὅθεν καὶ τῶν θείων σκήπτρων κουκοῦφα προτίμησις ἐστι; id quare fieret, latè nos in Commentario Mensæ, quam diximus. Sella planè Ægyptiaca est, tota solida, illis conformata, quas nobis exhibent huius generis antiqua monumenta. Isis eminente mamma, & ea quidem vnica, nisi nos Pictor fefellerit, pedibus pęnè concretis, sinistræ manus digitulo insertam Crucem ansatam gestat. Et huiusmodi Crucis specimen, & nos olim ex antiqui lapidis cælatura deprompsimus, & Io. Georgius Hervvareus, in figuris obeliscorum, qui Romæ extant, repræsentandum curauit. Et ansam eiusdem Crucis frustrà abrumpere conatus est. I. Lipsius Vir Cl. Caput Isidis ornat Sacer Tutulus, non integer tamen, sed detritus, vi (vt videtur) & iniuria vetustatis. Mamma eminens, si Isis nihil aliud est, quam Terra, vt placet Macrobio, id significat, sufficere eam cunctis animantibus victum. Pedes eiusdem, quos Pictor non satis videtur assecutus, illustrantur hisce verbis Heliodori lib. iij. Æthiopicorum, Τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνύντες, καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν; qui hæc etiam confirmat Homericis versibus.

Et hæc

Et hæc ſunt V.Cl., quæ ſuppeditauerunt tenues copiolæ Bibliothecæ noſtræ, & id quidem pauculis horis propè furtiuis. Ego maiora, & quæ te minùs dedecerent, maluiſſem; at tu qualiacunque æqui, boniq́ue conſules, vti ab amico profecta, qui hanc ſcriptiunculam apud ſeram poſteritatem cupit extare veluti Teſſeram mutuæ inter nos, & perennis caritatis.

Vale, & Excellentiſſimum CERVTVM præclarum, & optimum Muſæi CALCEOLARIANI Deſcriptorem, atq́ue Interpretem meis verbis plurimum ſaluere iubeas.

Patauij, Dominica Paſſionis, Nonis April. M D C XX.

Hactenus Pignorius: à quo etiam, palma cæteris prærepta, vetuſtiſſima illa Tabula ænea Sacris Ægyptiorum ſimulacris cœlata, olim Petri Bembi Cardinalis, Viri ſpectatiſſimi, nuncque temporis FERDINANDI GONSAGAE Literatorum Principum Anteſignani deliciæ, quàm doctiſſimè explicata, circumfertur.

Quemadmodum autem à lapidibus exorſi ſumus, ita in eoſdem deſinamus. Et ne opima illa lapidum meſſis inter parietes Calceolarios collecta, ac in ſuas claſſes eleganter diſtributa, rerum naturalium ſtudioſis occultetur, lapides illos primum perſcrutabimur, qui in commiſſuris marmorum, & ſaxorum fiunt. Ab illo initium ſumentes, cui Patria nomen conſtituit. Quòd enim in Iudæa Syriæ Regione, *Coſmograph lib.4.* quam Ptolemęus Paleſtinam Syriæ vocat, vberrima copia naſci conſueuerit. Lapis Iudaicus à Dioſcoride, & ab Aëtio Amideno Syriacus nominatur. *Lib.5.c.112* Quoniam verò in varias figuras, & formas, eſt à natura compactus, diuerſa quoque eſt ſortitus nomina: qui enim Glandis, Balaniue Græcorum, figura ex hac ſtirpe eſt, quo nomine fructus Palmæ appellatur, Phœnicites ex ſimilitudine à Plinio dicitur *Lib.37.c.10* φοῖνιξ enim Græcis Palma eſt. Qui verò Nuclei Oliuæ magnitudine, & figura non eſt diſſimilis: Pyrenes à quibuſdam nuncupatur: tùm quia ab obtuſiore huius lapidis

parte,

parte, vt à principio quodam, à quo naſci ille videtur, eminentes lineæ, veluti ſtriæ inter ſe æquales in acutiorem terminant punctum, vt Pyramidalem figuram exprimat, tùm quòd figura cum ſit ſatis oblonga, & acuminata, montibus illis Pyreneis, quibus celſa nimboſi verticis eſt arx. Lib. 37.
vt Syluio placet: aſſimilari poſſit: lapidem hunc, quoniam comminuat Calculos, & moueat vrinam, facilèque fluere videatur, Eurreum dici à Plinio ex his verbis patet. Loc. cit.
Eurreos nucleo Oliuæ ſimilis eſt, ſtriata concharum modo, non adeo candida. Vti & Tecolithum nuncupat, nucleo Oliuæ ſimilem faciens, & lingentium calculos frangere, pellereque aſſerit: à verbo Græco Τήκω, quod eſt liquo, liquefacio, conſumo, attenuo, & in tabem reſoluo: & Λίθος: lapis fit τηκόλιθος latinè Tecolithus, non autem Ticolithus, ideſt lapidem liquefaciens, & in renibus atterens. Quo nomine etiam, & à ſimili effectu, lapides illos, qui in ſpongijs naſcuntur, à quibuſdam nominari tradit Plinius: & Paulus Ægineta Lib. 36. c. 19
ſpongiam lapidem, & lapidem Iudaicum, & ſi iurè diuerſa faciat, vtrique tamen vim tribuit θρυπτικὴν τῶν ἐκ νεφρῶις λίθων. Hoc eſt comminutiuam (vt ita dicam) in renibus lapidum. Nec deſunt, qui Cyſteolithum vocent, ideſt veſicæ lapidem, quòd calculos eius comminuere crederetur. Sed Galenus id negat: in ſolis renum calculis comminuendis efficacem faciens, vt inferius annotabitur. Ex hoc pariter lapidum genere, præter iam dictos reperiuntur apud Calceolarium, & qui penè ſpecie ſubrotundæ Oliuæ arboris fructum. imitantur (hos Paleſtinæ incolæ Oliuas lapideas vocant, & frequentiores, communioreſque pharmacopolis ſunt) & qui etiam columnæ figuram longitudine, & rotunditate repręſentant. Singuli tamen hi lapides & ſi figura, ac forma ſint diuerſi, nihilominus, vt notat Agricola, ſi ab Lib. 5. de nat. foſſ.
omni terrarum contagione puri fuerint, extrinſecus æquè, ac intus ſunt non nihil candidi; ſed fracti, inſtar tabulæ politę ſunt lęues, & tamquàm marmor ſplendent: attriti ſaporem nullum ſpirant: cùm autem tàm pulcherrima in hoc lapidum genere configuratio non ſine contemplatione

prętе-

prætereunda ſit; ſciendum, foſſilium generi varias figuras, & formas diuerſimode materia, & exhalatione in longitudine, rotunditate, aut quauis alia figura feruente, & diſcurrente, dediſſe naturam. Hinc videmus Thyitem lapidem: globi inſtar rotundi è terræ ſinu pullulare. Callaim, & Aſtroitem dimidiati globi figura eſſe. Beryllos, & Syenites Cylindri modo teretes eſſe. Cryſtallum ſexangula figura ſplendere. Specularem, & Magnetem lapides planos eſſe. Aëtitem intus conuexam habere figuram. Bucardiam cordis Bubuli. Phacitem lentis. Stelechitem Trunci arboris. Enorchim teſtium exprimere. Et ſic de quamplurimis alijs, quorum nomenclatura ſuo loco exponetur. Vt inde mirum videri non debeat, cum lapis Iudaicus ex eorum foſſilium genere ſit, quæ ex marmorum, ſaxorumvè veluti medulla concreta fiunt. (ex eo namque quod ex marmore, aut ſaxo aqua madefacto ſtillat, & ſubſidet, lapis hic in eorum commiſſuris concreſcit, & reperitur.) nec non ex vertebris inuicem commiſſis compoſitus ſpectetur, ſi diuerſimode diſcurrente materia, diuerſæ quoque in formando hoc lapide imprimantur formæ. Nec credendum videtur, vt quidam exiſtimarunt, formas in hoc lapide exiſtentes, caſu fieri, & eſſe veluti medullam concretam alicuius Conchilij, aut arboris fructum, materia lapideſcente in eum locum corriuata. Quid enim dicent ad lapidem illum Iudaicum columnæ effigiem exprimentem? fortaſſe columnam eo loci fuiſſe tranſmiſſam? contra leges naturæ hoc dictum crediderim: qui etiam in magnitudine paruus, vt plurimum, conſpicitur: quoniam cum parum de marmoribus, aut ſaxis abradat aqua, pauca poteſt ſuppeditari materia, lapide ſtruendo diſpoſita.

Lib.5.c.112 Dioſcorides lapidem hunc glandis effigie candidum, ſcita admodum configuratione, lineis æqualiter inter ſe diſtantibus, quaſi induſtria detornatis eſſe ſcribit; ſolutum nullam qualitatem manifeſtam guſtui repræſentare tradit. In potu exhibitum, difficultati vrinæ auxiliari, & calculos in
Cap.8. veſica comminuere, notat. Galenus verò, & ſi libro de

rerum

rerum affectus dignotione, & medicatione, de remedijs illis agens, quæ lapidem frangunt, lapidem Iudaicum potenter lapidem diuidere tàm in renibus, quàm in vesica, scribat; consulens, si calculus in renibus fixus sit, masculo vtendum; sin in vesica hæreat, & ob magnitudinem excerni haud possit, fœmineo, attamen ad calculos renum potius, quàm vesicæ conferre, hisce verbis expresse significauit. *Est & alius lapis. viribus valentioribus, in Palestina Syriæ proueniens, colore candido, specie concinna.* (vocabulum hoc ad Eureos Plinij videtur accedere) *Lineas habens, ceu torno ductas, appellant eum à loco, in quo nasci consueuit, Iudaicum: vtunturque ad vesicæ lapides, in cote soluentes, & ex aquæ calidæ tribus cyathis potui præbentes. Sanè in quibus nos experti sumus, proficit nihil, quod ad lapides vesicæ pertinet; verum ad eos, qui in renibus hærent, efficax est.* Hoc idem afferit libro secretorum, quo loci medicamen ad petram proponit, inquiens. *Quod autem dicunt omnes homines de lapide Iudaico, iam expertus sum, & non inueni in lapide vesicæ operationem: verum ipse in lapide renum est fortis, & valdè mirabilis operationis. &c.* Quamuis Marbodeus poëta Gallus in eius Dactyloteca: tàm ad renum, quàm vesicæ calculos atterrendos pollere, hisce carminibus afferat.

Lib.9.de sim pl. med. fac.

Cap.59.

Tecolythus nucleo similis perhibetur Oliuæ,
Aspectu vilis, naturæ vi preciosus:
Namque solutus aquis, & ab his quibus expedit haustus,
Dicitur esse potens lapidosos soluere renes,
Vesicæque simul purgare dolentis arenas.

Sed magis Galeno Medicorum Principi credendum, quàm Poëtæ, & si vera dictanti: tergiuersantur namque, vt plurimum, in rerum naturalium cognitione.

Præter lapides hos Iudaicos, figura, & forma varios, visitur & gleba quædam, non multum grauis, maculis albis tota conspersa, materia sanè, coloris veluti cinerei, sed fusci, instar medullæ satis crassæ. quæ in commissuris marmorum, aut saxorum cum reperiri soleat, ad formandos hos lapides apta censetur. Lapis Lyncis à quibusdam pharmacopolis

iudicatur, sed insulsè.

Lapidibus Iudaicis iam perscriptis, Idæi Dactyli sub eodem ortus principio, vt Agricolæ placet, constituti subsistunt. Hi, vt notat Plinius, in Creta ferreo colore (modò ferreum pro nigro accipias) pollicem humanum exprimunt; nam & crassitudine ferè pollicis sunt, & in terete figura ad latera latiusculi, & in extremo obtusiores, vt instar pollicis porrecti in summo, modice inclinantur in obliquum. Sic nuncupatos habeas à celeberrimo illo Idæo monte Cretæ, in quo nascuntur: vndè, & nascentes in hoc monte plantæ, ex inueteratæ medicinæ schola à Græcis Idæas nominantur, nec non ob similitudinem quam nonnullæ Plantæ cum hisce Dactylis Idæis habent, hoc nomine illas decorari legitur; vt, præ cœteris, de Pęonia fœmina in Dioscoride extat: quæ, & si alijs nominibus diuersis, vt Glycisidem. Pentoberon ex Plinio, & Herbam castam ex Apuleio, Dactylum Idęum olim vocatam fuisse tradit Anazarbeus; ab eo nimirum, quod illius radices bulbosæ ferè, seu nodosæ, huic lapidi figurâ similes nasci soleant. Postquam autem in Idęum hunc montem incidit sermo. Parergon, vt quid commemorandum, quæ de illo à Mela scribuntur, referre non dedignabimur. *Orientem* (inquit hic auctor) *Solem Idæus aliter, quam in alijs terris solet, aspicit: ostentantur namque ex summo vertice eius spectantibus penè à media nocte sparsi ignes, passim micare, & vt lux appropinquat, ita coire, & se coniungere videntur, donec magis, magisque collecti pauciores subindè, ex vna ad postremam flamma ardeant, & cum diù clara, & incendio similis effulsit, cogit se, ac rotundat, & fit ingens globus, diù is quoque grandis, & terris adnexus apparet, deindè paulatim decrescens, & quanto decrescit, eò clarior fugat nouissime noctem, & cum die iam Sol factus est, attollitur.* Hæc Mela. A quo etiam monte (& si instituti non sit, deridendas illas de Deis antiquorum opiniones, & fabulas rebus naturalibus miscere, nihilominus vt sciri possit, vndè digitus & Dactylus nomen traxerit, hęc conscribimus.) Idęos Dactylos, genus scilicet illud hominum, quia primi sub

Lib. 5. de nat. foss.

Lib. 37. c. 10

Lib. 27. c. 8

Lib. 3. c. 140

Lib. 5. de situ Orbis cap. 6.

ſub Idæ montis radices habitauerint, ita appellatos fuiſſe, ex Strabone habetur: quo etiam loci ex mente Sophoclis ſcribit, hos quinque fuiſſe Viros, qui ferrum excogitantes primùm fabricauêre, aliaque permulta mortalium vſui neceſſaria. Illorum pariter quinque extitiſſe ſorores, & ab eo numero Dactylos, ideſt digitos fuiſſe nuncupatos. Ex qua poſtmodum ſtirpe, vt idem auctor refert, Corybantes illos Cybeles Sacerdotes fuiſſe prognatos fabulantur: illi inquam, qui ſacro correpti furore, Cymbala pulſabant, capitaq; ſaltando iactantes, alios in ſimilem rabiem agebant. Hos Iouem infantem nutriuiſſe, in fabulis extat; & ne vagitu puer proderetur, clypeolis æneis inter ſe concurſantes, æris tinnitu, & numeroſi pedis compoſitione, qui Dactylus inde eſt dictus, Saturnum, qui cum Titano fratre, pactione inita conuenerat, vt ſobolem omnem maſculam deuoratione interficeret, fefellerunt. Sed fabulamenta hæc ommittamus, & ad Dactylos illos Idæos, qui inter gemmas à Plinio deſcribuntur, oratio noſtra reuertatur. Hos & Belemnitas vocari, teſtatur Agricola: qui ſanè lapides in ſubſtantia, ſoliditate, colore, magnitudine, & paruitate varij ſunt. Ex ijs etenim inueniuntur in colore cinerei, qui olent, vt cornu bouis vſtulatum, aut limatum. quos Agricola Hildesheimij in commiſſuris marmorum eiuſdem odoris reperiri ſcribit. Alij, & ſi cinerei, non olent, lapideam ſubſtantiam in ſe continentes. Quidam eiuſdem coloris vice lapidis, ſine odore, terram continent. nonnullis medulla ineſt mollior: aliqui ſunt albi coloris, alij nigri, & hos ex Germanis plurimi Coraciam, aut Coruinum lapidem vocant, ſeu à colore, ſiue à Coruini veretri ſimilitudine. Nec deſunt, qui radijs conſtant, vt & qui eis ſunt deſtituti. Diuerſa pariter hiſce lapidibus eſt magnitudo: qui enim Maiores cæteris ſunt, digitum humanum, pollicem præſertim effingendo, nec craſſitudine, nec longitudine excedunt; qua forma motus Plinius Dactylos Idęos nuncupauit: hi ſolidi ſunt excepta baſi, quæ caua eſt, & molliuſcula apparet, vt terram candidam in ſe in-

Geograph. lib. 10

Loc. cit.

Lib. 5. de nat. foſs.

Loc. cit.

Loc. cit.

cludere videantur: vsti, limativè cornu Bouis olent, fortasse quia ignis subterranei fumo sint infecti, aut loco, vbi Bitumen gignitur, reperiantur, radios nec non à centro ad circumferentiam diffundunt. Extant ex hac prosapia & in specie mediocres, & magnitudine parui, & ex ijs, qui parte interna atro sunt colore, foris albicant, nec non tamquã crusta è creta mixta sunt obducti, fœtoris omninò expertes, nulli in his apparent radij, ac tandem in substantiam adeò durissimam sunt compacti, vt percussi, non secus ac Silex, scintillas igneas euomant. Ob prænarratas Belemnitarum species, quas singulas apud CALCEOLARIVM speculandi cuiuis patet additus: refert Agricola; Heldesehimij in fossa Mœniorum interdum repertos fuisse ex hoc genere lapides sesquipedis longitudine, & bracchij crassitudine. Gesnerus pariter se lapidem Belemnitem pedalem ferè, non radiatum vidisse affirmat, in cuius superficie animalcula quędam, vt lacerti eminebant. Et si autem lapidibus hisce non vna sit magnitudo, vna tamen omnibus videtur esse Sagittæ figura, cum ex ampla radice in tenuissimam aciem deficiant. Vt hac de causa Belemnitis nomen sint adepti. à voce Græca βέλεμνον, quæ Sagitta dicitur: quod etiam ex Agricola habetur. Quo loci præter causam nominis asserit, apud Saxones lapidem hunc, ex Ephialte, & Sagitta compositum vocari, & apud Germanos alios Sagittam Incubi: quem in potu assumptum, contra huiusmodi suppressiones, & noctis ludibria, valere, ac fascinationibus occurrere testatur. Quis plura appetit de hoc lapide scire, legat eũdem auctorem; quo loci etiam attendet, quàm inepte pro Lyncurio hic lapis vsurpari soleat. Sunt qui telũ nuncupant: vnde & ad vulnera conglutinanda prodesse conijciunt. Et Morbo illo reluctari sunt qui affirmant, qui à læsa particula denominationẽ accipit, vt Galeno placet, pleuritidi nimirũ, in quo affectionis pręter naturã genere veluti à telo quodam affecta membrana costas ambiens dolorificè admodum compungitur, ob collectionem materiæ, sanguinis potissimum, in parte illa fluxæ, & tristem sensationem ex solutione vnitatis

Loc. cit.

Lib. de figur. lapil. & c. cap. 5.

Lib. 2. meth. cap. 2.

tatis inducentis. Qui verò vice lapidis Iudaici ad renum calculos comminuendos illo vtuntur, non omninò aberrare credimus. Etsi enim nondum hoc fuerimus experti,cum prę manibus remedia tutiora, & vsurpata magis in dies sese offerant. Nihilominus conferre posse iudicamus; non enim à lapidis Iudaici natura abesse videtur; potissimum verò,vt quid coadiuuante, aliquo nimirum liquore diuretico, & ad hoc munus obeundum opportuno, si in puluerem redactus exhibeatur. Inter Chirurgos Germanos sunt, qui hisce lapidibus vlcera curant,quoniam exsiccent,& horum propria iudicatio sit exsiccatio.

Quamuis Sectione hac tertia intentio nostra tantummodo fuerit, circa fœtus illos lapideos versari, qui benignitate terræ matris in lucem prodeunt, & industria CALCEOLARIA in vnum sunt collecti, ac varijs formis insculpti, mirabiles sese nobis ostentant; vt indè mirum videri posset,qua ratione ab ijs digressi,in meteora inciderit sermo; attamen similitudine figuræ excitati, lapides illos fulmineos (acuminantur namque hi, vt Dactyli Idęi, Belemnitævè) describere hoc loci placuit, quos vulgus hominum per antonomasiam fulmen appellat; non sanè exhalatio illa fumida, & inflammata, nec non ex vapore calido, & humido, atque exhalatione calida, & sicca in media aëris regione conglobata sub examine exponitur, (& si fulmen nuncupatur) quæ ad terras propulsa propter suam subtilitatem, vt notat Titelmanus in Philosophiæ compendio, corpora rara, & peruia, absque nocumento citius pertransiens, in interiora magis densa, magisque resistentia, solet plerunque desæuire, ipsa confringendo, vel adurendo. Sed lapis ille fulmineus delineatur, cuius corpus est solidissimum, vt potè quod non secus ac in terra ex coniunctione corporis, cum exhalatione generatur lapis, cæteraque mineralia, ita in prænarrato magno fulmine generatur lapis, ex diutina exhalationis valdè terrestris, & densæ inclusione, quæ cum inuehitur in nubem frigidam, & aquosam ab humore circumfuso conglobatur, & conglutinatur, huiusmodique massam,

Lib.6.c.11.

massam, & mixturam facit, sicut farina conglutinatur in massam ab infusa aqua: & quemadmodum lateres ex luto humectato compacti coquuntur, & indurantur in lapidum formam ab igne ardenti in fornace, ita superueniente intensissimo calore, partim ex Sole, & Stellis, partim ex antiparistasi, illa fulminea massa subacta quasi coquitur, & ab igne fulgureo in solidissimum corpus lapideum induratur, quod cum fulmine deiectum, Cuneus fulminis vocatur, & à nonnullis Ceraunius lapis dicitur, ex eo nomen inueniens, aut quod cum fulmine cadat, κεραῦνος enim Græcè fulmen est, aut quòd alicubi non reperiatur, quàm in loco fulmine icto. Et Ceraunios illos montes, qui Epyrum finiunt, ita vocatos, traditur, quoniam summa eorum iuga ob immensam altitudinem crebris fulminibus feriantur. Hoc etiam per transenam annotabimus: Legitur in Attica Pausaniæ. Ptolemæum ex Ægypti Regibus, Lysandræ fratrem (vt quamplurimi alij à virtute cognomina traxêre) Philadelphum & fuisse vocitatum, quia cognoscendarum rerum fuerit perstudiosus, & ex insita corporis imbecillitate noui aliquid semper perscrutari solitus, quò se, & in prosperam oblectaret valetudinem. pariter & κεραυνὸς cognomento dicebatur, idest fulmen, ob tantam in rebus gerendis alacritatem, audaciamque. Huiuscemodi fulminis telum acuminatur, quòd, (vt ab eruditissimo quodam Viro, scriptis est mandatum, cui & leges philosophicę subscribunt) humidum admixtum sicco effugere nitens, ad inferiora tendit, illicq; reprimitur, superiore verò parte conglobatur, vtpotè densius, & figuram cunei, vel Pyramidis suscipit. quod postmodum cum incredibili impetu in antiparistasi è nube deiectum in terram, obuiaquæque scindit, dissipat, inflammat, atque prosternit, prout quàm plurimis exemplis à rei natura erutis à Seneca in naturalibus, ab Aristotele in Meteoris, & à Plinio in naturali historia, præ cæteris auctoribus declaratur. Vt hinc non difficilè admodum sit perscrutari, fulmina hæc naturæ esse igneæ, materiam metallicam participare, & ex consequenti ad comburrendum, dissipandum,

& in

& in cinerem redigendum apta. vt ex locis fulmine tactis comprehendi quàm facillimè poteſt, quæ odorem Sulphuris mittunt, atro colore ſunt infecta, & quaſi calore inuſta. id quod Lucretium Carum minimè latuit: apud quem huiuſmodi carmina leguntur. *Lib. 6. rer. natur.*

Quod ſupereſt, quali natura prædita conſtent
Fulmina, declarant ictus, & inuſta vapore
Signa, notæque graueis habentes Sulfuris auras.
Ignis enim ſunt hæc, non venti ſigna, neque imbris.

Et paulo inferius generationis modum, & eorumdem portentoſos, exitialesq; effectus inquirens, hæc habet.

Nunc, ea quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, vt poſſint ictu diſcludere turres,
Diſturbare domos, auellere tigna, trabesque,
Et monumenta Virûm demolliri, atque ciere,
Exanimare homines, pecudes proſternere paſſim,
Cetera de genere hoc, qua vi facere omnia poſſint,
Expediam. & quæ ſequuntur.

Si quis plura deſiderat, eumdem auctorem adeat. Varias formas lapis hic fulmineus ſuſcipit, varijsq; coloribus exornatus viſitur, prout variæ, ac diuerſæ ſunt exhalationes terreſtres, & metallicæ ab inferioribus partibus in ſuperiores exhalantes; quarum quàmplurimis Muſęum CALCEOLARIVM exornatur. Alij enim ſunt vomeris effigie, marmorea ſubſtantia, duriſſimaque compacti, cuius totum corpus roſeo veluti colore obtectum eſt, magnitudine qui octo digitos non excedunt. Quidam atrouireſcentes conſpiciuntur, ſtrijs, & lineis carentijs figura oblonga ita terminata eſt, vt Cunei formam effingant. Nonnulli ex toto nigricant, alij album colorem repræſentant; qui tamen omnes Cunei forma ab ampla baſi veluti in cuſpidem deſinunt. viſuntur & alij quamplurimi, quibus variæ formæ, & varij colores ſic opifice natura agente, inſunt. Referam quod ex Sotaco in Plinio legitur. Ceraunios nempè aliquos reperiri lapides Securibus ſimiles, vt his liceat expugnare Vrbes, & Claſſes, vocarique Betulos, & qui longi ſunt, Ceraunios. *Lib. 37. c. 9*

Quorum

Lib.37.c.9 Quorum lapidum durities, & magnitudo nobis in mentem reuocauit, quæ aliâs apud Ouetanum in sua historia legimus. In quadam scilicet Orbis noui regione reperiri lapides tanta acie præditos, vt ferro æquentur; & qui Securis, gladiorum, ac reliquorum fabrilium instrumentorum, quæ apud nos ferro conficiuntur, ministerium præbeant: vi aciei quorum excauant ingentes arbores, donec nauigij officium præstent. Sed ad lapidem Ceraunium rursus.

Lib.16.orig. cap.13. Is contra vim fulgurum opitulari creditur, vt dicit Isidorus; quo loci etiam duo Ceraunniorum esse genera constituere videtur. Vnum, quod Carmania regio Orientalis propè Indiam, & Mare Rubrum, (vt ex Strabone habetur) mittit, Crystallo simile, splendet tamen cœruleo colore; & si sub dio positum fuerit, fulgorem rapit syderum. Alterum Hispania in Lusitanis littoribus gignit; cui color Pyropo rubenti, & qualitas, vt igni, est. Id omne ex Solino translatum videtur. qui pariter Ceraunniorum diuersa genera faciens. Subdit. *Germanicum candidum est, splendet tamen cœruleo, & si sub dio habeas, fulgorem rapit syderum.* & capite trigesimo secundo. *Lusitanum littus,* (inquit) *pollet Ceraunio plurimum, quod etiam Indicis præfertur: Huius Ceraunij color est è Pyropo, qualitas igni probatur, quem si sine sui detrimento perferat, aduersus vim fulgurum creditur opitulari.* An verò duo hæc Ceraunniorum genera, quæ sub gemmarum splendentium classe, & quæ fulgorem syderum rapiũt, ab ijs auctoribus, & à Plinio quoque, collocantur, ad cuneum illud fulmineum è cœlo cadens, referri possint: quãuis in re dubia hæsitet animus, nihilominus eorumdem verba perscrutando, cum dicant, Ceraunia in India, & Hispania gigni, non autem è cœlo in terram cadere, & in locis fulmine ictis reperiri; credendum potius est, ad Astrium, Asteriamvè, gemmeos lapides, illa reducenda esse: quos & à Plinio in India, & in Pallenes littoribus nasci, traditur: & sub nomine Ceraunij describuntur, his verbis. *Est & inter candidas, & quæ Ceraunia vocatur, fulgorem syderum rapiens. Ipsa crystallina, splendoris cœrulei. In Germania nascens,*

Geograph. lib.3.

Mem.cap. 29.

Loc.cit.

Loc.cit.

albam esse Zenothemis fatetur, sed habere intus Stellam concursantem forte coruscantem. Qui verò Ceraunij lapides nigri, & rubentes sunt, vt hi, quos paulò ante delineauimus, cum fulmine è cœlo, cadere non est ambigendum: de quorum generationis loco, ratione etymologica nominis, & proprietate, hæc habet Marbodeus.

Ventorum rabie cum turbidus æstuat aër, Dactyloth. cap. 22.
Cum tonat horrendum, cum fulminat igneus æther,
Nubibus illisis cælo cadit iste lapillus,
Cuius apud Græcos extat de fulmine nomen.
Illis quippe locis quos constat fulmine tactos
Iste lapis tantum reperiri posse putatur.
Vnde Cerauneos est Græco nomine dictus.
Nam quod nos fulmen Græci dixere Ceraunum.
Qui caste gerunt hunc, à fulmine non ferietur,
Sed neque nauigio per flumina vel mare vectus.
Turbine mergetur, nec fulmine percutietur.
Ad causas etiam, vincendaque prælia prodest,
Et dulces somnos, & dulcia somnia præstat.

Illud tandem pro Coronide huius tractationis superaddere videtur. Fulmen mundanæ calamitatis typum gerere: quemadmodum enim fulmen quicquid inuenit in terra, ferit, præter Laurum, vt refert Plinius, sic humana calamitas omnia auferre potest, ac euertere, præter virtutem. Est quippe constans, virtus pulchra laurus, semper virens, nullo igne è nubibus erumpente, nullo tormentorum impetu, & ærumnarum exusta, aut labefactata.

Mistiè quid Fulmen.

Lib. 2. c. 55

AD BELEMNITAS, & telum fulmineum, cum Glossopetræ figura ita assimilentur, vt in eodem genere dici possint, ne ordinem peruertere videamur, de ijs pariter nonnulla prælibabimus. Quid sint, habeas. Etsi Plinius Glossopetras linguæ humanæ similes faciat; attamen ex aliorum opinione non in terra nasci, sed deficiente Luna Cœlo decidere illas scribit, & lenocinanti necessaria credatur; subiungatque: quod ne credamus, promissi quoque varietas facit. ventos enim eis comprimi narrant. Nihil ominus lapides

Lib. 37. c. 10

ſunt non in media aëris regione, vt telum fulmineum, conglobati; ſed ſaxis, & rupibus adhærentes, vt plurimum etiam in terra cœmentoſa naſcentes. Et cum ex his, ſinguli aut linguam humanam, aut alterius animalis linguam figura exprimant, cauſam nominis inde traxerunt γλῶττα enim lingua Græcis dicitur: vnde aglotton, loqui non valentem, veluti elinguem dices, & cum epyglottis, & Polluce, ſimplicis voce ſit organum, lingua autem articulatæ, ſi quis linguam habens, neç loquatur, epliglottidis vitrò id euenire putatur. Cardanus huiuſce lapides Glottidas vocat. Et ex Germanis nonnulli, referente Agricola, Natricis linguam nuncupant; Serpentis illius nimirũ, qui nando, in aqua quoque venenum ſpargit, vndè Lucanus,

Lib. 7. de lapidib.
Lib. 6. de nat. foß.
Lib. 9.

Et Natrix violator aquæ.

Sub qua ſignificatione ea pręcipuè videtur recipienda Gloſſopetræ ſpecies, quæ nigricat, & linguæ Pici potiùs, quàm humanæ, ſimilis eſt. Geſnerus in fine capitis de Cane Carcharia. Gloſſopetras ab aliquibus, (quos tamen redarguere videtur) mulierum illarum dentes, quæ Stygum inſtar infantium ſanguinem ſugunt, & Lamiæ dicuntur, nuncupari hiſce verbis refert. *Genus quoddam linguarum, (inquit, cum lapidum dicere debuiſſe linguas referentium figura) in Melite Inſula reperitur: quas aliqui Lamiarum dentes vocant, quod mihi veriſſimile non ſit: alij Serpentium linguas, quod magis probo. Inter ſaxa, & rupes adhærent, tanquàm adnatæ, aut glaciei congelantis vinculo aſtrictæ. Superficies earum pulchrè polita eſt, ambitu denticulato, tàm ſcitè, vt vix aliquis artifex æmularetur. Commendantur aduerſus venenum maximopere, vndè etiam conijcio has eſſe ſerpentium linguas.* Hæc ex Geſnero. Sunt & qui credant veneno præſente hoſce lapides in menſa ſudare, quod tamen læuitati potius, quàm alicui ſpecificæ qualitati lapidi exiſtenti attribuendum videtur; cùm non deſint, & quamplurimi alij lapides, qui & læues, & præduri facillimè ad vaporem ſudant. Inter Gloſſopetras Calceolarias, quæ colore, magnitudine, & figura differunt, extant magnę, roſeo ferè colore, & ſplendido

Lib. 4. de aquatilib.

albican-

albicantes, ſuperficie pulchra, & concinna, vtrinque adeò perbellè ſerratæ, vt naturam artem ſuperaſſe, dices: conſpiciuntur & aliæ magnæ, non ſplendentes, non denticulatæ, ſed aculeatæ potius, in quarum extrema parte latiore, veluti quicpiam ſpongioſum, & illud arenoſum reſidere videtur. Aliæ in candido rubent: aliæ ſatis lucidæ nigricant, quæ non dentatis, aut ſerratis marginibus, Pici, Garrulivè Auis linguæ ſimiles ſunt. Quædam Merulæ Auis roſtri partem ſuperiorem forma repræſentant. Singuli hi lapides non è Cœlo delapſi, ſed varijs in locis Agri noſtri Veronenſis inter rupes, & terram cœmentoſam, ſic ludente natura, reperiri ſolent.

Ne verò à lapidibus illis recenſendis deſtitiſſe videamur, qui in marmoribus, & ſaxis fiunt, nec non extra eorumdem commiſſuras ab aquæ impetus perſæpe protruduntur. Lapis ille delineabitur, qui in ſuperficie cinereus, intima verò parte candidi eſt coloris: quòd in maculoſo domicilio, aut eius, quod in candido cinereum eſt, oriatur: ſic eſt à natura confictus, vt illud inſtrumenti genus, quo luſitant pueri, & in gyrum circumuoluitur, imitari videatur. Trochum nempè à rotunditate dictum. Τρέχω enim curro ſignificat, & Τροχὸς rotam: ab ampla namque ſatis baſi certis lineis, ſine radijs, medium pariter lapidis cum læuore diſcurrentibus, & ita eminentibus, vt ſtriatus appareat, vſque in turbinem inſtar inſtrumenti illius puerilis deſinit hic lapis; vt non immeritò Trochitis nomen aptari ei poteſt. quam ſanè configurationem, natura loci, vbi naſcitur, res efficiens, calor nimirum ſubterraneus, & materia lapidi huic efformando diſpoſita, quæque partem cauſæ ſibi vendicat, imprimunt, & diſtribuunt. Quod idem quamplurimis alijs in lapidibus cernere eſt. alij enim ob materiæ varietatem figuris differunt. quidam veluti fœtu grauidi viſuntur. dantur & alij, qui coti attriti ſuccum reddunt. Cæterum ob cognationem, quam cum lapide Iudaico Trochites habet, nedum ſiue in longum, latumvè, aut obliquũ fractus, vt ille, leuis eſt, & nitet, ſed & eiſdemmet viribus

pollere creditur.

TROCHITI lapidi in ordine subsistit lapis fossilis cinerei coloris, qui ab Agricola Entrochios dicitur. Ex multis namque Trochitis inuicem coniunctis constat; & separatus rotarum effigiem repræsentat. Suos hic habet natales, vt ille, in commissuris marmoris in cinereo candidi, aut in terra glutinosa.

Lib. 5. de nat. foss.

Euosteus. Qui autem Euosteum lapidem, qui fractus ossis speciem repræsentat, videre cupit: CALCEOLARIVM consulat. ibi etiam lapides aliquot coloris candidi, vt in terra argillosa repertos, ac illos solidos, & in duricie asperiusculos, attendet. quos verò, sed fistulosos, color luteus complet, ex agro nostro Veronensi effossos, scias. *Osteocollus.* Osteocollos Chirurgi Germanorum ab effectu nominant: quòd ijs in puluerem redactis, & intra corpus assumptis, aut in emplastra additis, cùm ossa, infantium præsertim, mirificè ferruminandi inesse affirment. *Euorchis.* Contemplari pariter dabitur lapides quosdam candidos, satis politos, qui testium humanorum non ab inuicem separatorum formam circumferentiâ rotundâ exprimunt. *Lib. 37. c. 10.* Euorchim Plinij dices.

Et quemadmodum natura animatis corporibus, quæ tamen monstruosa non sint, propria membra gressui, propagationis, ac alijs vsibus inseruientia, summa benignitate constituit: ita & in inanimatis corporibus suas propagare vires ex innumerabili lapidum collectione, qui diuersas rerum imagines exprimunt, quamfacillimè dignosci potest. Et ne circa Venerem pariter diminuta videatur. Lapides proposuimus, qui humanorum testium effigiem referunt: non subticebimus etiam, in Musæo nostro lapidem quemdam seruari, prædurum valdè, in candido fuscum, & ad ripas Benaci Lacus, districtus Veronensis casu repertum: Qui ita perbellè pudendorum humanorum, cùm sua mentula, & testibus figuram reddit, vt concubitui Venereo aptum dixeris, nisi lapis esset: quem si Diphrim Plinij nuncupaueris, *Loc. cit.* nomen formæ institues, & hortorum custodem facies. Scimus, in Galliæ Narbonensis agro quodam, ac si lo-

ſi locus ille à natura ſpecialiter ſit ad hoc deſtinatus, lapides hac forma priapea conſtructos è terra, pleniore copia pullulare. Solum à pudicis mulieribus deſpiciendum: ne, libidine excitatæ, ad peccata perpetranda, à Diabolo latenter obrepente, in animarum perniciem pronæ reddantur. Quibus vtcumque explicatis, ſupereſt, vt tacitæ obiectioni in calce huius tractationis occurramus. Suſcitabit enim ingenioſus quiſpiam, vndè nam huiuſmodi lapides exprimant tot diuerſas formas membrorum corporis humani? cui reſponderi poterit, humoris percolatione id fieri: Siquidem ex doctrina Philoſophi in libris Meteor. quattuor modis de aquis fiunt lapides. *Vnus eſt* (Ariſtoteles verba ſunt) *quando cangelatur guttatim cadens aqua. Alius, quando de aqua currente deſcendit quiddam reſidens in ſuperficie fundi ipſius, fitque lapis; ſunt etiam certa loca, ſuper quæ aquæ effuſæ vertuntur in lapides diuerſorum colorum: Sunt etiam aquæ, quæ ſeorſum acceptæ, non gelantur, ſed ſi propè alueum ſuccum fundentur, congelentur, fiuntque lapides.* Hæc Philoſophus. Propterea huiuſmodi lapides humoris percolatione ita fiunt, vt reddant membrorum humanorum, & aliarum rerum formas.

AMMONII lapides, cute aurea pręcipuè qui ſunt obtecti, inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas ab auctore illo, qui de naturali hiſtoria ſcripſit, connumerati (qua autem ratione gemmas vocet, non ſatis notum, cùm potiùs lapideũ quid ſint: niſi fortè ad eorumdem perſpicuitatem alludere voluerit. aut quia veluti gemmæ quædam in cultu haberentur: cum geſtanti occulta oſtendere, & futura per ſomnum iudicare ſuperſticioſa, & profana illa gens crediderit. Hi ſanè in colore ſunt varij; qui enim calcis naturam participant, cum ex humore ſatis viuido, & tenaci terræ permiſto temporis tractu in duritiem lapideam deriuent, colore calci ſimiles viſuntur. Alij roſeo ſcatent colore, quos ſuccus quodammodo ruber imbibit: nonnulli ob humorem exuſtum cinericij ſunt. Inter hoc genus lapidum (paucis fortè cgnuitum) duo apud CALCEOLARIVM extant, Lib. 31. c. 10.

quos

quos & color metallicus aureus obtegit, veluti in terra aluminosa, aut atramentosa repertos; quarum terrarum vis est permutare ferrum in Aurichalci colorem, qui auro est similis; hos metallici armatura obtectos vocant, singuli tamen, quoniam ita tortuosi, & inflexi sunt, vt Arietini cornu effigiem reddant, Ammonis nomen sunt sortiti: à Ioue Ammonio denominatione sumpta, qui cornutus fingebatur, & pingebatur: atque in desertis Libiæ sub Arietis forma (vt Pausaniæ placet) colebatur: cuius appellationis ratio
Lib. 8. hæc traditur. Cum Liber Pater, Asia iam deuicta, per deserta illa exercitum duceret, sitíque admodum laboraret, implorato à Patre auxilio, illi extemplo Aries apparuit; quem fugientem dùm persequitur, illo duce ad fontem amœnissimum peruenit: vndè siti extincta, & voti compos factus, cum existimasset Arietem illum Iouem fuisse, templum miræ magnitudinis, & Deo Ammonio dicauit, hoc est Ioui arenario, ab arena sic dicto, quam Græci ἄμμον vocant: quia scilicet locus ille, vbi sub Arietis forma inculta habebatur, vndique desertus, aridus, & arenis coopertus esset; De quo quidem fonte, ab re non erit, recensere ea, quæ ab Historicis non sine stupore traduntur; potissimum
Lib. 3. Lib. 4. verò ab Arriano, & Q. Curtio in vita Magni Alexandri. Scribunt enim, huiusmodi fontem ex nemore oriri, nulla in re cęteris fontibus, qui ex terra existunt, similem. nam meridie aqua frigida est, si quis eam gustauerit, & multò magis, si quis attigerit, ita vt frigidior esse non possit: inclinante autem in Vesperam Sole, calescit, à Vespera porrò calidior fit in horas vsque ad mediam noctem, quo tempore calidissima est: à media nocte autem sensim refrigescit magis ac magis, & manè iam frigida est, meridie porrò
Lib. 2. c. 103 frigidissima. de hoc eodem fonte sic Plinius. *Iouis Ammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet.* Quo loci etiã fontium plurium miras naturas connumerat.

Ex Ammonijs lapidibus, iam est dictum, reperiri nonnullos, qui veluti quadam armatura in colore aureo simili induuntur. dari & alios lapides, qui &si figura Arietino corrui

non

non assimilentur, huiusmodi tamen tunica naturæ ope vestiri, non est, vt quis ambigat. Hoc præ cœteris lapis ille denotare potest, qui & in Musæo nostro adseruatus à Græcis ὁπλίτης dicitur, à voce ὅπλα, qua habitus armorum, vel arma ipsa significantur. Qui enim lapidem hunc intimius perscrutabitur, totum eius corpus, magis autem ac magis superficiem, ferri politi modò nitere videbit (reperiuntur tamen & alij huius generis lapides, qui æris similitudinem gerunt) neutiquam verò est asserendum, duo hæc metalla, æs scilicet, & ferrum in lapideo hoc corpore formando, ad perfectam eorumdem concoctionem, & formam deuenisse, ita vt corpora metallica perfecta dici possint; quinimmo statuendum, à ferri, & æris natura adeò recedere, vt ne tantillum quidem horum ex eo confici possit: verum sit quoddam veluti rudimentum naturæ, ea metalla facere discentis: ita vt, &si lapis hic ortus principia à parente ferro, aut ære traxisse videatur, nihilominus imperfectus, ac informis conceptus, caloris subterranei vitio, vel ob materiæ impuritatem in terræ matris vtero architectatus, quàm secus, nuncupari possit: non aliter ac videmus, ob caloris natiui debilitatem, aut ratione seminis pauci, & morbosi (vt ex Philosopho habetur) inualida existente facultate formatrice, quod in semine est, & natiuo calore, & spiritu tamquàm instrumentis vtitur, in vtero muliebri quoddam veluti frustum carnis rude, & informe generari (μόλην Grçci vocant) quod neque formam hominis, neq; animantis alicuius speciei producere potest. *Lib. 4. de Gen. anim cap. 7.*

Nec præ raritate subticendus videtur lapis ille pariter in Musæo nostro, vt quid singulare, reconditus, qui ex materia nitrosa calore subterraneo, vt opifice agente in substantiam præduram ciņeream & compactus. Cuius totum corpus luciditatis haud immune arenis, veluti piscium ouis minoribus, figura, & magnitudine simillimis miro naturæ artificio ordinatim constructum cernitur. Hammitem Plinius ouis piscium non dissimilem faciens, nuncupat. Et quoniam semina quoq; papaueris exprimere arenulæ hæ videntur, *Loc. cit.*

tur,

tur, ab eodem paulò inferius Meconites vocatur: à nomine Græco μηκῶν, quod papauer eſt: & illud nomen à μήκονεῖν, ideſt à non operando; quoniam vincti papauero ſapore ſenſus, ſtupefactaque membra, nihil queant agere. Et Meconion ex Dioſcoride, & Plinio ſuccus ille dicitur, qui ex decocto capitum papaueris vnà cum folijs, aut ex ijſdem tritis, & prælo expreſſis excipitur: ad differentiam liquoris illius, qui ex vtroque papauere, albo, & nigro, non decoctis, ſed ſponte, aut caulibus inciſis, inſtar lactis, lacrymævè colligitur, & quem Græci κατεξοχήν ὀπόν, & ὄπιον vocarunt. Latini Opium. cuius etiam colligendi ratio à Dioſcoride loco citato traditur. ad quem Lectorem relegamus, ne extra chorum ſaltare videamur. De quo quidem prænarrato lapide, hoc vnum ex mente quorumdam habeatur: illum nephritici lapidis more, ea parte bracchij alligatum, qua dolor infeſtat, ſummopere conferre ad dolores nephriticos compeſcendos, & ad renum calculos tùm comminuendos, tùm expellendos. An verò Cenchritis Plinij, quem lapidem Milij granis veluti ſparſis eſſe ſcribit, dici hic lapis poſſit, vt plerique autumant, dijudicent, qui res naturales tractant. Etſi enim Milij, & Papaueris ſeminibus eadem ferè tùm magnitudo, tùm forma videatur eſſe. Hoc vnum tamen ſcimus. Cenchritem lapidem non ab Ouis piſcium, aut ſeminibus papaueris, vt Hammites, & Meconites, ſed à voce Græca κέγχρος, quæ milium ſignificat, propriè denominari. Et apud nos eſt lapis ſubrotundus, qui vndequaque arenulis eſt conſperſus, granis Milij, quæ ad maturitatem peruenerint, in colore flauo, magnitudine, & forma ſimilibus, hunc ſi Cenchritem nominabis cum Plinio, Plinius eris, nec malè nuncupatum eſſe iudicari poterit.

Lib.4.c.60. Lib.20.c.18

Cenchritis lib.37.c.11.



Opportunè satis actum existimamus, si modò præsens tabella hoc loci exponetur: quò scilicet legentium animi, si fortè in lapidibus hisce nostris reuoluendis plus nimio defatigati essent, ex illius intuitu recreari possint: & ad lapideum hunc nostrum apparatum prosequendum, ac eundem degustandum magis ac magis excitentur. Quicquid in ea manu peritissimi artificis conterranei nostri cœlatum visitur, lapis est ex penu CALCEOLARIO extractus, valdè elegans, non sanè pretiosus, vt gemmam dixeris, sed qui illud instrumenti genus, quod quid abscinditur, exenteraturve, Cultrum nimirum (μάχαιρα Græcis dicitur) non sine aspicientium mira iucunditate exprimit: quoquo enim oculi dirigantur, varijs rerum imaginibus perpulchrè admodum à natura exornatus est; & adprime compactus in egregiam cultri formam, capulo insigni nihil vt deesse videatur: ferro, manubrio artificem superante natura in petræ opificio: an verò repertorem, iuxta illud Plutarchi, in furorem duxerit, ignotum. Qui libro de fluuijs in Berecynto, seu ex alijs Cybele monte Phrygiæ, lapidem reperiri scribit, cultrum, vel gladium dictum, ferro similem; quem si quis inuenerit, quo tempore Priscorum ritu, Matri Deûm Cybelæ, vel Berecintiæ, sic ab illo monte dictæ, mysteria peragebantur, in furorem hic ducebatur.

Præ Lapidum varietate, elegantia, ac eorumdem venustate, quantum natura promerent, demonstrare hucusque à nobis est elaboratum: quò verò eiusdem admiranda opera magis innotescant, haud grauabimur cœterorum lapidum varietatem describere, quorum scelectissimam seriem Calceolarij indefessus labor in vnum collegit. Placet autem de lapide illo primum aliquid dicere, cui Græcum vocabulum ἀετός, quod Aquilam significat, nomen fecit (vndè vulgò Lib. 37. c. 11 Aquilina) aut quia attestante Plinio, Aetites ille, qui colore est albo, & quem inter gemmas enumerat, colori Aquilæ caudicante cauda non sit dissimilis; vel quia huius Auis industria causam nominis illi dederit: quæ, vt fertur, aliundè transportatos Aetites in nidum reponit; de quo qui-

quidem lapide agens loco citato idem auctor, ex argumento nominis magnam famam habere ſcribit, reperiríque in nidis Aquilarum. Et alibi ſex genera Aquilarum deſcribens. *Tribus primis* (inquit hoc eſt Melanaëto, Pygargo, Morphno) *&* *quinto* (hoc eſt Gneſio) *inædificatur nido lapis Aetites, quem aliqui dixêre Gagatem* (quàm inſulsè hoc, dicant, qui naturalia perſcrutantur) *ad multa remedia vtilis, nihil igne deperdens, &c.* Hic fortè erit lapis ille, vt in Aquilæ nido inuentus, & ob ſingularem ad partum promouendum facultatem, à nobiliſſimis fœminis adeò expetitus, vt maximo etiam precio ematur. Cur autem hæc Auium Regina, quaſi de induſtria lapidem hunc in proprium nidum collocatum ſeruet, varij varia ſunt commentati. Ælianus in libris de Animalibus, Aquilam in nidum lapidem recondere notat, tamquàm amuletum aduerſus faſcinationes. Horus auctor non ſpernendus. è mari, vel terra ſublatum lapidem in nido collocare ſcribit, vt pro libramento inſeruiens, nidum ſtabiliorem, & tutiorem, ac à quauis aëris, & ventorum iniuria immunem ſeruet: non ſecus ac pro firmandis nauibus, antequam anchoræ vſus innoteſceret, ſaxa id opis contuliſſe, Appollonico Argonauta inuentore, legitur: vt non inconcinnè Sacerdotes illi Ægyptij, ſub hoc Symbolo hominem ſignificauerint, qui in rebus domeſticis, aut publicis tractandis, non Veſpertilionum volatibus ſimilis, qui nunquam in directum, ſed tortuoſo, & incerto maximè volatu huc illuc temerè pererrant, ac circumuagantur. Sed in propria perſeuerantiæ ſede, veluti ſtabilitatis nido, firmiter permanens, inconcuſſa virtute, contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum, & ſerpentium venenoſiſſimas morſiones, veluti petræ obiacentis fortitudine, & mole, in firma, ſtabilique mentis ſede quieſcens, obſiſtit, multumque ſalis habere cuiuis reipſa demonſtrat. Alij vt viuificentur oua, & ad exactam pullorum formationem hunc lapidem preſto eſſe, atteſtantur. Quidam & partum promouere dicunt, aliâs abſque eo parere minimè poſſe referunt. Ex quo

Lib. 10. c. 3

Allegoricè quid Saxum in nido ponere.

Lib. 2. Vitæ Apollonij. Philostratus. *Aues* (inquit) *quis non videat pullorum causa multa facientes, veluti Aquilas, & Ciconias, quæ nunquam nidos struunt, quin lapides illis imponant: hæc quidem à se Aquilinum vocatum, illa verò Lychnitum appellatum: ideò quod facem adhibent, vt oua fœtum producant, & Serpentes nidis non appropinquent.* Magnus ille Albertus (quod vt magis probabile nobis arridet) lapides hos nido adhiberi scribit, vt ouis Aquilinis, quæ nimium feruent, & præcalido Aquilæ ventri, temperiem inducant, alioquin caloris intemperie, oua cubanda percoqueret. vndè Lucianus. *Lib. 2. tract. 2. cap. 6.*

Fœta tepefacta sub alite saxa.

AETITES sonitu dignoscitur, est enim in eius meditullio cauitas, in qua veluti in vtero alium lapillum conceptum, sonitu manifestè quassatus prodit. Quemadmodum autem in vesicæ lapidibus incrustationes alias super alias per additamenta, atque accrementa fieri patet: ita circa lapillum illum iam confectum offundit sese materia, ab illo separata papillatim concrescens, quæ postea indurata lapidem facit Aetitem, vteri prægnantis speciem præbentem: at nunquā peperisse compertum, & fides sit penes Theophrastum, & Mutianum, qui, Plinio attestante, tradunt, aliquos esse lapides, qui ex se pariant. Et quod de Adamantibus scribitur: quos in montibus, ac cautibus quibusdam iuxta Bristoliam in Anglia oua sua parere, & fertiles esse, à nonnullis auctoribus refertur, fabulosum meritò censendum est: qua enim ratione in durissimis lapidibus, vt Adamas est, humor manare possit, qui in lapidem durescat, dicant, qui figmenta hæc, vt vera, scriptis mandarunt. *Lib. 36. c. 18*

Plinius Aetitarum genera quattuor constituit: Africanum, scilicet, pusillum, ac molle, intra se, velut in aluo habens argillam suauem, candidam, ipsum friabile, quod fœminei sexus putant: Arabicum (& hoc marem) durum, gallæ simile, aut subtilum, in aluo habens durum lapidem. Tertium, quod Cyprium nominat, colore in Aphrica nascenti simile, sed amplius, magisque dilatatum, tàm molle, vt etiam digitis frietur, & in cuius aluo arena, & lapilli sunt.

Quartum

Quartum Taphiusium propè Leucadem repertum, candidum, & rotundum, cui in aluo, est lapis, qui vocatur Callinus, nec quicquam tenerius. Ita & CALCEOLARIVS varias seruat Aetitarum species, ex Oriente, Germania, Apulia, & alibi transportatas, colore, figura, & magnitudine destinatas. Inter quas, vt habeas, Agrum nostrum Veronensem vti quamplurium aliorum lapidum conspicuorum, ita & Aetitarum feracem esse. Extant Aetites lutei coloris, figura satis rotunda. quorum cortex exterior scabra est, vt ex arena crassiore facta constructiue videatur. Hi sanè, quamuis prægnantes, vice lapidis argillam, vel margam friabilem bolo armeno haud absimilem, velut in vtero inclusam, & à toto corpore solutam habent, ita vt conquassata, concussaque sonitum edat. Lapides hos amœnissimi quidam colles suburbani gignunt, qui Villulam (cui nomen Auesa) Perillustris familiæ Dalbene exornant, venustamque reddunt.

AETITES lapis suas & ipse in re medica habet facultates exsiccat namque, quidam etiam astringunt. Dioscorides, & cum eo Plinius, lapidem hunc, qui præsertim alium lapillum in aluo continet, grauidarum mulierũ sinistro brachio alligatum, cum lubricæ sunt vuluæ, & parum tenaces, ijsdem conferre, partumque continere dicunt: cui rei assentiri videtur Galenus libro de remedijs facilè parabilibus: ibi enim testatur, hanc gemmam locos muliebres mundificare, qui non mundificati, nec à superflua illa humiditate lubricitatis causa aliqua ex parte exsiccati, plerumq; origo sunt abortus: qui pariter lapis femori alligatus fœtum promouere, pariundique facilitatem inducere dicitur. Necnon trahere ad se pactum experientia, & multorum testimonio notum habetur. vbi primum autem in lucem fœtus peruenerit, statim amouendus est lapis, alioquin hoc diutius permanente, vi sua potente, quàm à Venere, & Luna habere dicunt, matricem non sine illius excidio attrahit. Extat in re proposita apud Valeriolam Medicum prestantissimum, exemplum de muliere illa Valentia, cui ab ædito partu cũ lapis Aetites femori alligatus, præ obliuione non fuisset

Lib. 5. c. 118.
Lib. 3. c. 14.

amotus,

amotus, post paucas horas in lucem prodeunte vtero, extincta est. Minor autem quæ modò Plinius Aetitem partum custodire, & contra omnes abortuum insidias pollere scribat. Serapio verò partum accelerare absolutè dicat; hæc enim inter se opposita esse, manifestum est: Serapionis autem verba ita intelligenda esse dicamus: Aetitem partum accelerare, hoc est ægrè parienti coxæ alligatum auxiliari, fœtu quidem tempestiuè, non autem ante debitū tempus in lucem prodeunte.

Sunt qui affirmant, lapidem hunc tritum, ceratuque exceptum epilepticos paroxismos lenire: In quibus verò lapidibus Argilla inclusa reperitur, illam terræ sigillatæ facultatem obtinere asserunt; lotà namque, & aqua pentaphylli, aut acetosæ propinata pesti, febribusq; pestilentibus correptis mirificè præsto est, sudore omne malum expellendo, ac cor ipsum recreando, & à quauis malignæ in humoribus existentis qualitatis infortunio præseruando. Quæ verò à Dioscoride pro furtis deprehendendis de hoc lapide in pane exhibendo prædicantur. Etsi adagium illud sit, Aetiticum panem illi porrigendum, in quo furti suspicio vigeat: nihilominus singula hæc, & alia multa, quæ carminibus hisce à Marbodeo de huius lapidis viribus celebrantur, vt medicinæ, & naturæ limites egredientia, ad curiosorum mentes relegamus; penè quos fides esto: nos potius, vt quid superstitiosum, & à pio Christiano omninò alienum, respuentes. Marbodei carmina hæc sunt.

Inter præcipuos lapides numeratur Aethites,
Quem petit extremis orbis Iouis ales ab oris,
Custodem vidi, defensoremque futurum,
Quo valeat pullis dubios auertere casus.
Continet hic alium prægnantis more lapillum,
Creditur ergo potens prægnantibus auxiliari,
Ne vel abortiuum faciant, partuvè laborent.
Appensus læuo solito de more lacerto.
Confert præterea gestanti sobrietatem.
Auget diuitias, & amari cogit habentem,

Victo-

Victoremque facit, populique fauoribus ornat,
Incolumes pueros dat viuere siue puellas,
Atque caducorum fertur prohibere ruinas;
Si quis suspectus tibi sit de fraude veneni,
Tuque probare velis sua num sit iniqua voluntas,
Participem mensæ quem fercidas adhibeto,
Pulmento posito cui sit subuersus æthites,
Si frans corde subest, tentans glutire nequibit,
Si tuleris lapidem cupidè gustata curabit.
Puniceum lapis hic memoratur habere colorem:
Oceanique latens in litoribus reperitur,
Aut Aquilæ nidis, aut Persarum regione,
Quem gemini Pollux, Castorque tulisse feruntur.

Ex Aetitarum stirpe, vt ex eadem materia in natalibus constans, est lapis ille, qui ex argumento à Græcis λίθος γεώδης, & à Latinis propriè, nec ineptè Geodes appellatur; quia scilicet ad illius differentiam vice lapidis terram, vel arenam non sonantem in caua eius parte contineat: & si detur & Geodes, qui non terram, sed arenam induratam sonantem in se habeat, hic tamen Aetitis nomen non meretur, sed Geodis. Inter hos lapides apud CALCEOLARIVM reperiuntur, qui in colore ferrugineo, orbicularis figuræ, sed depressæ sunt, terram flauam intra se velut in aluo quodam includentes. Alij verò candidi sunt ex Argilla condensata constantes propè Aretium in collibus sabulosis, & argillosis reperti: ijs figura est oblonga, vtrinque acuminata, quos si frangas ex eadem materia argillosa friabili, sed per crustas, non secus ac lapis Bezuar aggregata coaluisse depræhendes. Dicamus etiam, lapidem illum, quem proximè in suburbano Perillustris familiæ Dalbene numerosum satis reperiri retulimus, & in Aetitis quādam speciem collocauimus, cum argillam induratam, & sonantem in se conclusam habeat, ad Geodis naturam posse reduci; vt & Aetitis species ex Plinio in Africa nascens, Geodes & hic non ab re dici potest, cum Argilla quædam videatur lapidosa. Referam in Musæo nostro esse Geodes lapides rubiginis

colore

colore, quos à Cl. Viro, & Medico præstantissimo Iohanne Oberdonffero Ratisbona aliquot abhinc annis accepi, pugno maiores, & rotunditatis adeò absolutæ, vt Bombardis explodendis vsui esse possent.

Lib. 5. c. 126 Dioscorides de Geode lapide mentionem faciens vim astringendi, & siccandi ei tribuit: quæ obscurant oculos vt caligines, & id genus alia, discutiendo purgare, & cum aqua illitum inflammationes mammarum, & testium sedare scribit: hoc idem astruit Galenus libro nono de simplicium medicam. facultatibus. An verò lapis hic eadem polleat facultate in conceptu custodiendo, & partu accelerando, vt Aetiti attribuitur, vt nonnullis affirmare placuit: fortasse quia ijsdem constent natalibus, in terra glutinosa vt plurimum in commissuris marmorum, aut saxorum acquisitis: attestentur si qui sunt, qui rem hanc fuerint experti; &si enim vnicuique speciei suum dicatur esse astrum: attamen apud probatissimos auctores de lapidum virtutibus difusè, & doctè tractantes, nondum peculiarem hanc Geodi attributam potentiam legisse meminimus.

Inter Aetites, & Geodes lapides non sine causa possunt connumerari lapides quidam in districtu nostro Veronensi reperti, & ad manus CALCEOLARIAS peruenti: in horum enim vno, qui paruus, & modicus rotunditatis est absolutæ, & in candore leuis, &si lapis, aut Argilla, arenavè in eius cauitate inclusa non sit: nihilominus quasi fœtu cum videatur prægnans, intus succus teneris, vel aqua, non secus ac in ouis liquor, ad motum fluctuare persentitur; vt
Lib. 37. c. 11 Enhydron Plinij esse fatearis, & non nisi contento ab Aetite differre dices: quemadmodum enim in Aetite lapide,
Lib. 4. de ort. & caus. subt. ne ab Agricolæ verbis discedamus, & ob materiæ varietatem, aut quia eadem magna ex parte ad figuram globosam, vel quàm proximam, accedat, alius persentitur lapis, quoniam materiæ pars interior ab exteriori, aut calore coacta

coacta mox diuiditur, aut aliquo post temporis spacio discedit, abitque ipsa pars interior in lapidem, non secus ac arefactæ auellanæ nucleus à putamine discedit, & à cauitate nucis diuisus, separatusque cernitur, & conquassatus dignoscitur: ita in Enhydro lapide, cum portio succi tenuis, & aquei in eius ortu concurrat, nec possit hic aut à calore dissipari, vel absumi, nec à frigore condensari, in cauitate permanens ad motum fluctuat: vndè Isidorus lapidem hunc ab aqua vocatum scribit, exudat enim adeò aquam, (inquit ille) vt in eo clausam putes fontis scaturiginem. quod tamen à Solino ad verbum translatum videtur. cuius sanè lapidis naturam perbellè satis expressit Marbodeus, inquiens.

Orig. lib. 16. cap. 13.

Memor. cap. 38.

Cap. 27.

Perpetuis fluctus lachrimis distillat Enhydros,
Qui velut è pleni fontis scaturigine manant,
Cuius naturæ graue sit deprendere causam,
Nam si decurrit lapidis substantia, quare?
Non minor afficitur, vel non omninò liquescit?
Sin res exterior descendat ad interiora
Vt semper refluat, cur se non impedit ipsum?
Scilicet ingrediens contrarius egrediente.

BARTHOLOMAEVS Anglicus Vir doctissimus dum studet suis in scriptis causam inquirere, quia scilicet si gutta defluit de lapidis substantia quare non minor efficiatur, vel omninò liquescat, si verò ros, vel aliud ingreditur, quid est, quod ingrediens non repellat egredientem? asserit, esse posse, quod virtus lapidis condenset in aquam, aërem sibi vicinius propinquantem, vt iam videatur exire de substantia lapidis, quod egreditur de substantia aëris circumstantis. Quod etiam in alijs quibusdam lapidibus politis euenire videmus, quorum nimia frigiditas aërem tangentem lapidem, continuò in aqueam mutat substantiam.

Orig. lib. 12. cap. 2.

Ex hac Enhydri Etymologia, Enhydrim Bestiolam esse nuncupatam, refert Isidorus, quod in aquis versetur, & maximè in Nilo. quæ si inuenerit dormientem Crocodilum, volutata primum in lutum, intrat per os in eius ventrem, & carpens omnia interiora eius exit viua de visceribus Crocodili, ipso mortuo: vndè traxit illud Adagium.

Allegoricè quid Colubrum in sinu fouere.

Colubrum in sinu fouere.

De homine illo dictum, qui amore complectitur, studioq; prosequitur hominem ingratum, & aliquando per occasionem nociturum: quod etiam auctor quodam antiquus Iambis hisce significauit.

Sinu fouebat quidam agricola viperam
Gelu rigentem, at hæc calorem vt senserat,
Ferit fouentem, moxque perimit vulnere.

Ex quo elicitur (vt nobis quoque persæpe accidit) ingratum in hunc modum benemeritos tractare.

Alter autem lapis, qui speciem quandam Aetitis referre videtur, figura est oblonga, superficiem scabram in cinereo albicantem habet: in cuius parte caua, ac si vteri formam gerat, non sine intuentium spectaculo, vice lapidis, Argillæ, succine aquei, fluores crystallini quadranguli Adamantem gemmam mucronata forma, & nitore æmulantes adhærent; ex succo puro tenui, & aqueo in lapide albicante in duritiem crystallinam compacti. vt ventrem crystallinum à Plinio descriptum esse dices.

Vt verò grati animi specimen aliquod exhibeamus, cum inciderit sermo in lapidem illum, qui succum aqueum in se à natura habet: non inuitus referam, frustulum Crystalli, in cuius medio succi crystallini guttulas innatare oculis ipsis dignoscitur, dum hæc scriberem, dono non vulgari nos accepisse à GABRIELE BERTAZOLIO, Viro ob indicibilem ingenij in rebus varijs architectandis, eisdemque admirandis perspicacitatem, magnopere suspiciendo: atque ob ingenij præstantiam Serenissimo FERDINANDO GONSAGAE hominum virtute clarorum Mœcenati Magno apprime caro.

DE OSTRACITE lapide, qualem in Musæo se gerat, hoc scias: vt legitimum, nec adulteratum, iuxta Dioscoridis mentem, lapidem esse testæ similitudinem habentem: qui testa superiore ablata, in plures alios lapides intercedente semper crusta scindi potest; non autem lamina, vt quidam locum illum Dioscoridis exponunt: vndè ei nomen: ὄστρακον enim Græce testa dicitur, quasi tosta, quia vas hoc figlinum ex molli creta fabrefactum torreatur, deinde coquatur: & ὀστρακίτης, aut ὀστρακῶδες illud significat, quod ex testæ est, siue quod testæ duritiem imitatur. A quo sanè lapidem differre asserimus, Ostracitis illam tertiam speciem, quæ inter gemmas à Plinio refertur, & Ostraciam his verbis nuncupat. *Ostracis, siue Ostracitis est testacea durior, altera Achatæ similis, nisi quòd Achates politura pingnescit: duriori tanta inest vis, vt aliæ gemmæ eius tramentis scalpantur.* Lib.5.c.122 Lib.37.c.10

Dioscorides Ostracite à nobis antè descripto, pumicis loco ad pilos auferendos, & cutem læuigandam antiquas illas mulieres vsas esse tradit: potum in vino dragmæ pondere menses fluentes sistere; à purgatione sumptum prohibere conceptionem: & cum melle impositum mammarum inflammationes lenire; nec non vlcera illa serpentia, quæ Græci νομὰς vocant, cohibere scribit. cuius etiam lapidis facultates significauit Galenus, inquiens. *Porrò Ostracitem vocatum lapidem prædicare quosdam audio, quasi desiccandi valenter facultatem obtineat temperatam ex adstrictione, & acrimonia. Velut Geodem nomine, pupillas expurgare, & vberum, testiumque phlegmonas sanare, ex aqua videlicet inunctum.* Lib.9. de simpl.med. facult.

Ne verò lucubrationes hæ nostræ, quales, quales sint in Ostracismum ab hominibus illis relegari possint, qui corrupta mente, & liuoris ebrietate agitati, nil aliud struunt, & machinantur, quàm in aliena scripta debacchari, pro viribus ingenij mei conabor, vt pœnam hanc effu-

effugientes, testæ suffragijs illis minimè sit opus: sed per ora virûm animi candore, & virtute præstantium, absque canum oblatrantium morsu passim diuulgentur; qui & si vt nouæ Cicadæ, nunquam satuli in propria garrulitate videantur, nihil ominus, vbi primum oleo veritatis sunt inuncti, statim obmutescunt, nec amplius reuiuiscunt.

LAPILLI, seu aptius, crustulè lapideas, ob orbicularem formam, veluti nummos magnitudine varios, exprimentes; punctis quibusdam extuberantibus impressæ, colore ex ruffuo albicante; quarum ortus non aliunde prouenire creditur, quàm ex euaporationibus subterraneis cum terra ipsa in huius superficie, siue calore, vel gelu diuidente, condensatis, & in figuram hanc peculiarem deriuantibus. Ex monte Bonino propè Suapium Oppidum ditionis Veronensis, à cuius loci Incolis ob numerosum prouentum Nummi de Bonino appellantur: qui si quando ære alieno grauentur, (vt iocosa quandoque series misceamus) dicere in vsu habent, ni nummos de Bonino suppeditem, nil aliud mihi est, quod solutum.

Hic acerbissima morte præuentus Excellentissimus CERVTVS (proh dolor) Musæi descriptionem absoluere non potuit: quam absoluendi prouinciam ANDREAS CHIOCCVS ex Collegio Veronensi Medicus, & Phil. CHRISTO Auspice, & DEIPARÆ VIRGINIS Sanctissimæ adspirante fauoris aura Anno M DC XXI. suscepit.

ANDREAS CHIOCCVS
MED. ET PHIL. VERON.
Candido Lectori S. D.



VM hucusquè ſcribendo perueniſſet D. BENEDICTVS CERVTVS diligens, & enucleatus Muſæi CALCEOLARII Deſcriptor, eccè tibi (Lector optime) acerbiſſimo ſæuientis Fortunæ ictu perculſus, è viuis ſubreptus tàm præclaro labori extremam manū imponere non potuit: Sciebam ex Publio Syro hominem vitæ cōmodatum, non donatum eſſe; legem eſſe vniuerſi, quæ iubet naſci, & mori; naſcentes nos mori, finemq; ab origine pendere; at virum Medicum iam ſenem, nulli noxium, omnibus beneficum, vitæ, & morum moderatione conſpicuum, validis naturæ, & bonæ valetudinis præſidijs ſatis etiam munitum, crudeli adeò Fato defungi nouum multis, inauditum, & miſerabile viſum: Ego tametſi & familiaribus occupationibus, & aſſiduis medendi officijs ſatis præpeditus, tum alijs iam cæptis lucubrationibus abſoluendis, & limandis, & conſultationibus pro exteris ægrotis ſcribendis, qui me labor ſæpenumerò vel occupatiſſimum neceſſariò detinet, vix otium ad huiuſmodi prouinciam abſoluendam, & colophonem Muſæo huic ampliſſimo imponendum nanciſci poteram: Sum tamen exorari facilè paſſus, vt ſaltem ſubciſiuarum horarum partem aliquā ipſi impartirer, tum vt FRANCISCO CALCEOLARIO Iuniori mei amantiſſimo gratificarer, tum vt indè mihi aliquod veluti honeſtum animi laxamentū compararem. Accedit, quod licet liuidorum, rudiū, & fulguritorum ingeniorum omnia ſint plena; primi tamen

Subſellij ſcriptores candidos, & doctos facilè veniam mihi daturos confidebam, ſi vt habet prouerbium τέττιξ μεν τέττιγι φίλος, μύρμηκι δε μύρμηξ, & ὅμοιον ὁμοίω ἐφίεται, in phyſica, & medica materia deſcribenda tantiſper verſarer, in qua elaboranda, & ſedulò perueſtiganda Medici doctiſſimi ſumma cum laude inſudarint Dioſcorides, Galenus, I.C. Scaliger, Ruellius, Geſnerus, Aldrouandus, Agricola, Cæſalpinus, alij: Hinc enim præter ingenuã animi voluptatem, & maiora ad artem exercendã præſidia mihi conciliabam, & præclaros phyſicos, qui ſpartam, quam nacti erant, eximiè ornarunt, mihi ad imitandum aliqua ex parte proponebam: Homine imperito nihil iniuſtius, vt ille ait, eſſe, non eram neſcius, qui niſi, quod ipſe facit, nihil rectum putat, ſed altius defixum iampridem id in animo habeo, contemptum maleuolorum contemnere, & cum Lucillio profiteri; malo me à paucis ſapientibus eſſe probatum,

Ἢ πάσιν νεκύεσσιν καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

In rebus deſcribendis breuitati, & perſpicuitati potiſſimum ſtudebo, parum fructuoſa, & valdè fabuloſa prætermittam, probatorum, & claſſicorum Auctorum teſtimonio nitar, & licet tanquam Theſei filum non ſim CERVTI Excellentiſſimi methodum habiturus, haud valdè tamen ab eius ſcriptionis formula recedam, quamquam illud Pindari mihi ſemper arriſit

Συγγενεῖ δε τὶς εὐδοξία μέγα βρίθει,

& alibi

χρὴ εν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φυᾶ.

quod eſt proprij ingenij viribus vnumquemq; debere ad decus anniti, & aſpirare.

DE

DE LAPIDE NEPHRITICO ISADA *ab Hispanis vocato, & primum breuiter de occulta rerum proprietate.*



OCCVLTAM rerum proprietatem, & facultatem maximam ingenuis, & philosophicis mentibus admirationem parere, nemo est qui ignoret, eam verò in rerum natura concedendam esse, vel lapis hic nephriticus, quem prę manibus explicandum habemus, satis declarat, quem mirabili, & stupenda ratione è vesica, & renibus arenulas eijcere depræhenderunt: illam porrò rerum abditam proprietatem Ficinus, Mæsueus, Fernelius, Arabes complures Astris acceptam referunt, Iulius Alexandrinus, Montanus noster rerum temperamento, quod totam esse rei substantiam asserunt, quamuis Montani opinio non probè, & enucleatè sit ab alijs percepta. Fracastorius seminarijs, & analogijs, à quibus rerũ omnium admirabiles sympathias, & antipathias ortũ ducere putauit; quamquã libello de differentijs medicamentorũ à Montano nostro irrideatur doctiss. Fracastorius, quod consensus formarum, & dissensus ad absurda quædam seminaria, & Epicureorum figmenta retulerit: Ipse porrò existimat rerum formam non esse primarum qualitatum contemperantiam, sed harmonicam perfectionem, quæ ex ea contemperantia resultet, quæ etiam, Platonis in Timeo videtur fuisse sententia: Hæc harmonica proportio (subdit præclarè Montanus) est quodam longè diuinius, & extra materiæ conditiones sese attollens, quam quis ineruditus, & philosophicis mysterijs parum exercitatus, imaginari possit: à formę igitur admiranda potestate, non à commixtione primarum qualitatum has admirabiles proprietates, vt remoræ insistendis nauigijs, & torpedinis in manu piscatorum stupefacienda prodire contendit, hoc pacto arduum problema diluit, cur reperiatur medicamentum odore & sapore iucundum, quod tamen homines interimat: odorem .n. & saporem commistionem primarum qualita-

tum ſequi, vim interimenté formę acceptam referendam, quæ corporeę qualitatis non eſt particeps,cum penitus ſit incorporea, & diuina: hæc ſanè docta eſt Clariſs. Montani ſententia, Nihilominus diuinum Fracaſtorij ciuis noſtri ingenium in inueſtiganda rerum ſympathia, & antipathia collaudandum erat, nec figmenta epicureorum appellanda, quæ ipſe ſummo ſtudio, atque ordine inter ſe apta, & connexa compererat, principia nempè partim generalia partim effectibus magis propinqua,quàm quæ ab alijs erant excogitata: Omnia quippè à tanto viro rationibus, & experimentis ſtabilita, nihil ex fortuito atomorum impetu,& concurſu petitum,nulla finis qui rationem boni obtinet, ratione habita, quod fuit genuinum Epicuri, & Democriti figmentum: Omnia enim in eo Fracaſtorij libello ex proprijs cauſis oſtenduntur & problemata difficilia poſitis acutè principijs conſentanea explicantur effectricis & finalis cauſę accurata ſemper excuſſione propoſita, quæ germana & vera eſt Ariſtotelis, & Peripateticorum philoſophandi ratio. Vtcunque res ſe ſe habeat, non eſt præſentis inſtituti de hac quæſtione ſubtilius, & vberius agere: Si quis curioſius iſthæc perquirat, Quatuor libros Io. Franciſci Vlmi Medici Cl.mi mihi olim ſumma neceſſitudine coniunctiſſimi perlegere poterit, in quibus de occultis in re medica proprietatibus tam copioſè, ſolidè, & eleganter diſputat, vt alijs omnibus in hoc ſcribendi argumento palmam præripuiſſe videatur: Scripſit & longam diſputationem Fabius Paccius Vicentinus Medicus doctiſſimus amicus meus, quam Commentarijs ſuis in Gal. Methodum Medendi adiunxit, in qua contrariam Vlmo ſententiam; Montani & Alexandrini Dogma aſtruere viſus eſt. Hos viros Philoſophiæ, Medicinæ, & linguarum cognitione florentes, & percelebres honoris cauſa nominatos volui, tum vt iam defunctorum memoria mea hac qualicunque ſcriptione renouetur, tum & vt eximio animi candore præſtantes, & de me optime meritos aliqua præconij laude proſequerer: illud etiam accedit me libris meis xxxvij. obſeruationum Philoſophicarũ & Medicarum, & ſeptem libris quæſtionum phyſicarum multa ad hoc argumentum pertinentia exactius attigiſſe, & explanaſſe

nasse, quæ omnia Deo fauente aliquando publicam lucem videbnut, & in litteratorum manus peruenient; ad lapidem redeo.

DE LAPIDE NEPHRITICO ISADA Ab Hispanis nuncupato.



IRIDEM Thaumantis filiamfuisse ingeniosè finxit erudita vetustas, hoc est Philosophiam ex admiratione prognatam esse, quod & Aristoteles tantus Philosophus in libris rerum diuinarum scriptum reliquit, cum ergo animi causa in Musęum amplissimũ FRANCISCI CALCEOLARII diuertissem, statim in oculos mihi incurritLapis Nephriticus Isada ab Hispanis vocatus à Serenifs. VINCENTIO Mantuæ Duce FRANCISCO CALCEOLARIO Seniori dono olim missus vnà cum alijs exoticis, & ex Orbe alio petitis rebus: Is porrò lapis cui non admirationem pariat: qui duntaxat gestatus dolorem renum lenire, & calculos, arenulasque eijcere et expellere planè est depręhensus? hoc plurima experimenta confirmant & apud nos, quorum auritus, & oculatus testis esse possum, & apud Nicolaum Monardum in Medicamentorum Simpl. Historia ex nouo Orbe delatorum, qui nobilem virum sibi notum eum Brachio gestasse, & tantam arenularum copiam eijecisse testatur, vt formidans ne tanta copia eiectionis sibi noxia esset lapidem istum interdum deponat, nullumque mox calculum extrudat: sed denuò premente dolore eum gestans leuatur, aut minuitur dolor cum multa arenularum, & lapillorum eiectione. Ea etiam abdita ui est præditus, vt à nephritico dolore præseruet gestatus renum feruorē temperando: Ducissæ etiam cuiusdam historiam subdit Monardus, quæ ter renum dolore vexata, armillam sibi ex eo lapide confecit, quam perpetuò gestans ex illo tempore, quod decennium superat, dolore nunquam amplius est conflictata ob hanc causam in maximo pretio sunt huiusmodi lapides, nec tam facilè comparari possunt, vtinitio euenit, teste eodem Monardo quoniam Reguli, & illarũ Prouinciarum Dynastæ soli eos possi-

possideant, cum adeò admirandas facultates obtineant: Ex noua.n.Hispania deferuntur Prassio lapidi persimiles ad viridem colorem lacteo permixtum vergentes præferuntur viridiores. Aduehuntur porrò, teste eodem Auctore, varijs formis effigiati, alij Piscium forma, alij auium capitibus, alij Psittacorum rastro similes, nonnulli rotundi sphærularum modo, omnes perforati quoniam Indi appensos ad dolorem renum mitigandum, & ad calculos, & arenas deturbandas gestare soliti erant. Hunc etiam (quem in Musæo conspeximus) quadrata figura ab arte concinnatum cum eminentia quadam in altera planitie depræhendimus: Recentiores quidam Auctores Smaragdorum, & Iaspidum naturam, & formam huiusmodi lapides redolere docent, qui lapides vi refrigerante sunt præditi, quocirca & Iaspidem orientalem ad affectus renum, & arenularum mirificè conferre. Hinc non esse mirum si renes ab illo frigore roborati expeditiùs arenulas illas, & calculos eijciunt: Sed profectò facultas illa, & uis maior, quam vt in primas elementorum qualitates referri debeat: Deposito enim lapide cessat expulsio calculorum, & arenularum: brachio appenso illico ferè succedit, & dolor renum lenitur quemadmodum & congruente interstitio ferro apposito id euestigiò à Magnete pertrahitur: Hæccine sanè philosophia adulterina est Thaumãtis hoc est admirationis Filia: nec elementarij, & materiarij Physici ex Alexandri Aphrodisęi schola quicquã emunctæ naris viris, aut eruditis auribus dignum afferre possunt, in quo mens possit conquiescere: ista enim cum in naturę contemplationem est defixa facilè caligat, & cæcutit ὥσπερ καὶ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ ἡμέραν vt nimirum Vespertiliones ad lucem conuersæ meridianam, vt cum Aristotele in metaphysicis loquamur. Quis non maxima admiratione afficiatur, cum Coriandri folia virentia, & flores fœtidissimi odoris esse, & planè venenum intelligit, eorum semina desiccata gustu, & odore iucunda stomaco grata, & vtilia existere: Præterea in extremis occidentalis Indiæ regionibus radicem esse frequentissimam cuius succus præsentaneum est venenum, solidum eiusdem corpus vitæ humanæ salubre, ex eoque vulgò panem optimum confici;

Non

Non igitur ex aliquo temperaturæ modo, aut affectu admirandas lapidis Nephritici vires proficiſci putandum : Sed quoniam talis eſt eius forma cœleſti aliqua virtute afflata, vt Auicennas, & Fernelius non contemnendi Auctores cenſuerunt hũi admirabiles effectus prodire veriſimile eſt : Tantum admiratores ſumus, aiebat Montanus noſter ciuis, & cum per ſpecies varias rerum diſcurrimus, effectus quoſdam formarum obſeruamus, qui humani intellectus menſuram omninò excedunt : Ab hac rerum naturalium inueſtigatione abſterritum Socratem aiunt hoc omne ſtudium prætermiſiſſe, quo incerta & numquã perfectè explorata tradebantur, ita enim apud Platonem loquitur ὑπὸ ταύτης τῆς σκέψεως οὕτω σφόδρα ἐτυφλώθην, ὥστε ἀπέμαθον καὶ ταῦτα, ἃ πρὸ τοῦ ᾤμην εἰδέναι: obcęcatum quippè ab hac ſe contemplatione profitetur, & dedidiciſſe iſthæc omnia, quæ prius ſe ſcire exiſtimabat. Verum ſi cum Hippocrate eius coętaneo putaſſet ſicuti in morbis nonnullis, ita in rerum naturis θεῖόν τι diuinum quid ineſſe, vndè admirabiles iſti effectus prouenirent haud tam facilè hoc omne ſtudium, tamque inane deſpexiſſet: cæterum iſthæc ſemel & ſatis de abditis hiſce proprietatibus quantum inſtituti noſtra ratio poſtulat, dicta ſunto. Cum hæc ſcripſiſſem incidi fortè in Scaligeri V. Cl. locum exercitationis CXXV. vbi Cardanum refellit exiſtimantẽ lapides in Cancris, Teſtudinibus, atq; alijs huiuſmodi genitos, à frigore eſſe concretos; prohibere in renibus lapidum generationẽ, genitoſque diſſoluere : Obijcit Scaliger eas igitur inter ſe coërcent vires, quæ à contrarijs profectè cauſis vno in ſubiecto à nulla natura componi queunt; renum calore, vel ſublato, vel diminuto fateor amoueri cauſam denſationis, cohęſionis, duritiei, at quæ diſſoluunt arenarum corpora, quæ in lapidis maſſam coiere neutiquã ijs ineſſe refrigerandi facultatem palam eſt, tenuium partium eſſe illa omnia par eſt, quæ ſubeant, induantque ſeſe inter lapidis coagmentatas portiunculas : colligit paulò poſt Scaliger neminem ad renum refrigerationem Iudaicum lapidem, & eum qui in ſpongia, quique in Tauri fellis veſicella calidus eſt, & arabicè dicitur Harathzi exhibere : locus ſanè ſumma notatione dignus cum recentiorum quorundam ſupra à nobis perſtrictam de Nephritico lapi-

de

de ſententiam egregiè conuellat. Non grauabor hîc deſcribere Epigramma noſtrum extemporarium aduerſus elementarios illos phyſicos, qui omnia quantumuis arcana primis elementorum qualitatibus metiuntur, quod mihi multis ab hinc annis excidit cum Iunior Medicus admirabilem Nephritici huius lapidis proprietatem, & effectum obſeruaſſem.

Si quis Alexandri terreſtria dogmata iactat
Turbidus, & pecudum more tuetur humum,
Iſadæ lapidis vires exploret, & ipſis
Ille oculis ſabulum renibus ire ſuis
Conſpiciat, ſæuoſque ſimul lenire dolores
Appenſum manibus, Cruribus, & Pedibus,
Concretum lapidem fundit lapis alter amicus
Humano Generi: Turba proterua ſile.

Hæc olim iunior ludibundus effundebam, quorum præproperam fæturam, vel ruditatem, iam Senior, me haud præſtare debere, (quæ ingenuorum lectorum eſt humanitas) exiſtimarim. Viri Tetrici, qui res volunt, non verba, tranſiliant hæc amæniora, & ad ſerias deſcriptiones diuertant.

DE BEZAARTICIS LAPIDIBVS.



POst Nephriticum lapidem in Muſæo Calceolarij ſeſe obtulerunt Bezaartici ſex lapides, quorum vnus magnitudine, & pulchritudine alios præcellebat, quos Orientales eſſe omnes præter illius teſtimonium, ſigna omnia, & admiranda, quibus præcellunt, facultates experimentis comprobatę, ſatis teſtabantur. Verum & vnum Bezaarticum lapidem Oui Anſerini formam exprimentem contrectauimus; hunc in Braſilia elaboratum tradunt cum Reſina, & fructu Crunacinæ, nec non Radiceæ Drakenæ, quam luſitani herbam Contraherbam vocant: in ſuperficie flaueſcit, intus cinerei eſt coloris, iactant etiam aduerſus omnia venena febres mali moris, & peſtilentes vnicum eſſe, & ſingulare remedium: adeò Ars cum naturam ritè imitatur res admirabiles è ſuo etiam ſinu proferre valet, hunc lapidem

De Bezaartico factitio Oui Anſerini forma.

dem ſibi à Patre Soc.Ieſu donatum Anno M D C. Calceolarius profitetur. Accedo ad Bezaarticos lapides naturales,qui in animalibus naſcuntur, Orientales,& duos Occidentales, qui poſtmodum mihi fuerunt oſtenſi. Qui ex Orientali India aduehuntur,eodem pacto inueniuntur,& æſtimantur,quo ex Occidentali India aduecti; Vt enim illi ex Peruanis,animalibus Capris ſimilibus,quæ in Montanis locis degunt, præſtantiores eximuntur, quam ex cãpeſtribus capris,quæ ad lanienã duntaxat aſſeruantur,ita Orientales hi lapides longè meliores, & probatioribus notis inſigniti,qui ex animantibus in Perſiæ montibus degentibus educuntur,quàm qui ex capris in planis, & campeſtribus Malacę viuentibus, quæ pariter ſolum ad lanienam ſeruantur; cum non adeò ſalutiferas depaſcantur plantas, vt quæ in Montanis degunt; quocirca & lapides non in eo pretio habentur,nec eas proferunt vires,quas Perſici Orientales, & Occidentales peruani, ſed Montani obſeruat porrò Nicolaus Monardus lib.de Simpl.medic.hiſt. cap. xxxiv. Orientales multos adulterinos aduehi, vt è centum vix denos legitimos inuenias, nam & ipſimet Indici Auctores fatentur illic multos conflari adulterinos. Monet etiam Monardus ex animalibus in planis degentibus erutos improbos eſſe, nec vlla medica facultate præditos: Primum illorum obſeruatorem qua ratione in illis Capris gignantur,perſpicere cupientem ſuis ipſummet manibus earum Anatomen feciſſe, mox ipſi ſignificaſſe gigni in receptaculo quodam faſcię modo confecto, & villoſa carne conſtante duorum palmorum longitudine,& trium ferè vnciarum latitudine ipſi ventriculo parte interiore adhærente alios alijs maiores, & eo eordine diſpoſitos, quo nodi veſtem anteriori parte claudentes. Generari verò ex ſalutiferarum herbarum ſucco per ruminationem illam concreto. Andreas Cęſalpinus Vir grauiſſimus lib. ij. de Metallicis cap. xlvj. cuius Auctoris ingenium, & Peripateticum ſtudium ſemper probaui, ex Luſitanorum qui Indiam incolunt teſtimonio, Capras hunc lapidem ferentes ſylueſtres eſſe figura Ceruis ſimiles tradit Cornibus Hirci. In eorum ventriculo reperiri lapides, quos Arabes extollunt aduerſùs

De Oriẽtali Bezaartico

venena: animal in Perſia, & Coraſone Pazan vocant, ideſt, Hircum lapidem Pazar, Indi Bazar, Arabes Bezaar: quamquam ego I. C. Scaligero, quem virum in miraculum æui noſtri natum, cum Lipſio exiſtimo, atq; naturæ humanæ faſtigiũ exceſſiſſe, licet rudes quidam homunciones, & Magiſtelli impudentiſſimi, vel Theatris ridiculis propoſitis ipſum traducere non vereantur, ò mores, ò tempora. Ipſe igitur cum tanto Viro putarim, omnia Antidota vitam conſeruantia, & aduerſùs venena vim obtinentia patria lingua, ea voce ab Arabibus nuncupata, Bezaharth enim eſt vitam conſeruans: Hoc & Cęſa'pinus confirmare videtur, qui omnia Antidota à tota ſubſtantia venenis aduerſantia Bezaartica vocari ſcribit: concreſcere (ſubdit) hunc lapidem in ventriculo propè meatum, vnde pabulum ruminatum, in alterum ventriculum tranſmittitur initio, iuxta paleam quandam tenuiſſimam ex pabulo ruminato congeſtam, ſucco ambiente in cruſtam friabilem tranſeunte, ſuperficie admodum leui, & ſplendida, colore herbaceo nigricãte, aut palleſcente, aut cinereo, figura in pleriſque oblonga glandis effigie interdum alia, atq; alia forma: ſuperuenit proceſſu temporis alius, atq; alius ſuccus, vndè lapidis coagmentatio fit per cruſtas inſtar cępæ: Maximi non excedunt Oui Gallinacei amplitudinem: pleriq; vt oua columbarum, & exiliores reperiuntur: quò maiores, eò valentiores exiſtimantur, ideò in maiori pretio habentur; Perſici reliquos bonitate antecellunt: Reperti poſtea ſunt, & in India Occidentali magna copia in ſimili animali; ſed caret cornibus, degitq; in locis frigidis in montibus Perù: Differunt quoq; eius lapides, nam cruſtę non eiuſdem coloris ſunt intùs, & extra, vt Orientalium, ſed extra quidem vt plurimũ nigræ ſunt, aut fuluæ, aut cinereę minùs ſplendidæ: ineſt aliquando veluti aureus puluiſculus ſplendens: intus autem omnes ſubcandidæ ſunt, veluti ex fibris compoſitæ; idcircò minùs adulterari poſſunt, quam Orientales. Deprehenduntur adulterati; nam calefacti molleſcunt, ſi ferro candenti perforentur, ſynceri nequaquam: Præterea adulterati ſi frangantur, non habent in meditullio cauitatẽ, neq; paleam, ſed aliquid aliud. Hæc ad verbum

De Occidentali Bezaartico.

verbum Cæsalpinus, qui in describendo huiusmodi lapide, mihi videtur fuisse diligentissimus, nam & quosdam fabulatos ait, lachrymam esse Ceruorum in angulis oculorum congelatã forte, quia hic lapis aliquando lachrymam præsefert tereti figura nullo intùs cauo instar guttæ congelatam. Cæterum, reliqua quæ optimè is scripsit apud ipsum legantur, quæ nimirum ex Serapione, & Rhaze profert, neque enim singula, quæ apud probatos Auctores habentur, describere nostri consilij est; libros eorum indicasse contenti vtiliora tantum, & magis necessaria litteris consignabimus: ad facultates lapidũ transeo. Cum experimentis plurimis compertum sit, Orientales plantas gemmas, metallica longè esse præstantiora Occidentalibus: idq; oculata experientia ostendat Bezaar lapis Orientalis, quem omnium cæterorum optimum esse ex Persiæ montibus orientis tractus aduectum nemo, diffitetur; forsitan, nimio contradicendi studio transuersum actum Scaligerum, quis putarit, dum Cardano negat, Aurum, & perfectissima, quæq; in oriente inueniri: Haud ego quidem omnia crediderim, vt amplissimæ, & præclarę inductionis Scaligeri rationẽ habeam, cum eam, & ad Vinum pramnium, mores, virtutes, ingenia, opificia, quæ omnia meliora in Europa, & Occidente esse contendit, traducat, verum plantas, aromata, lapides admirandæ facultatis ibi generari, quæ apud nos prouenire nequeant, vel si sata aliquo modo adolescant, imbecilla, & longè infrugifera prouenire satis compertum est; Hac de re in varijs nostris obseruationibus subtilius, & vberius aliàs disputatum: Cardanus in meliorem coctionem orientalis cœli caussam refert, quodve Solis orientis radij salubriores: Cœlum, quippè, & solum maximæ rerum procreandarum causę; si ex Theophrasto ἔτος φέρει οὐκ ἄρουρα, tantò magis cœli tractus exorientis Solis, qui perpetuo afflatu terram afficit, & potissimum montanas plantas, quarum esu capræ illæ lapidem hunc Alexipharmacum ex concreto succo progignunt. Non igitur maxima, & fœtidissima contradictio, vt vocat subtilis Scaliger, vt modò Cardani pro ęquo, & bono patronum agam, dicere, orientem esse occidente calidiorem, & mox occiduis

radijs torridum esse aërem: nam & Galenus, tantus Physicus, Pueros Iuuenibus calidiores putat caloris, scilicet primigenij substantia, & copia: Iuuenes calidiores acri, & mordaci calore: sic orientem calore vitali,& vegeto calidiorem existima: occidentem retorrido, atque acri,qui ad res procreandas alendas augendas, præ orientis calore, neq; hylum proficit. Bazaarticus igitur lapis, orientalis præcipuè, secundum totam substantiam (ait Cæsalpinus)omnibus venenis aduersatur tum calidis, tum frigidis seu intùs assumptis,seu ictu venenosorum animalium inflictis, tàm haustus, quàm gestatus, & impositus super plagas. Assumptus pondere xij. cum granorum Hordei, aut plagæ illitus liberat à morte,& expellit venenum per sudorem, quod planè ego sum expertus in nobili Moniali D. Claræ, quàm febre putrida mali moris laborantem cum Cardiacis Symptomatis,alterna nocte ab assumptione pulueris Bezaar copiosè sudantem pristinæ sanitati fœlicissimè restitutam memini. Subdit Cæsalpinus,confert etiam annulo, inclusus si ore exsugatur: Vlcera purulenta ex veneno puluis inspersus purgat: Razes testatur bis vidisse huius lapidis efficaciam aduersus Napelli venenum, quod est toxicum validissimum, quam nec in Theriaca, nec in alio vllo antidoto vidit: Accepi ego aliàs, duobus canibus exhibitum Arsenicum, eum solum à morte vindicatum, cui Bezaar Orientalis fuerat administratus.

Lusitani ab Indis edocti eius vsum ad alios morbos transtulerunt; nam pondere trium granorum Hordei, cum aqua florum Citri, aut ea quæ ex floribus Aurantij habetur aduersus omne venenum exhibent, cũ aqua verò Acetosæ ad febres pestilentes, ad animi deliquium, quod per interualla repetit, ad stomachi vexationes, vteri molestias vertigines morbum comitialem, & tandem in omnibus morbis melancholicis, veluti in scabie ferina lepra, prurigine. In Quartana cum aqua Buglossæ ieiuno ventriculo, sæpius post vniuersales purgationes propinant. Ad præseruationem ab ijsdem morbis solent quinque diebus post purgationem huiusmodi lapidem sumere, quidam pondere decem granorum pro singulis vicibus, cum

aqua

aqua rosacea exhibent, alij audent vsque ad triginta propinare non timentes noxam ex medicamento, cui nulla sit insignis qualitas. Verum animaduersionem vtilem interijcit Cęsalpinus Medicus grauis (cum sæpè exteri Medici pro rebus nugas speciosas venditent, & tumore Hispanico venales laudent, cum volunt obtrudere, merces) scribit igitur. Sed cum metallica omnia & quæcunq; venenis aduersantur aliqua ex parte inimica sint naturę humanæ, haud tutum est in magna quantitate ijs vti, vt Galenus testatur lib. v. simpl. xviij. Inquit enim, quæ deleterijs aduersantur si largius sumpta fuerint; grauiter animantis corpus oblędunt: Quamobrem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibere oportet, vt neq; copia nimia corpus offendant, neq; exiguitate sua à Deleterijs vincantur. Hæc Galenus. Ideò meliùs qui circa Ormuz degunt, nonnisi in exigua quantitate exhibent trium granorum pondere in morbis diuturnis quotidiè pluri tempore, cum vino si absit febris, cũ aliqua ex prædictis aquis si ea adsit. Verum vrgente qualitate venenosa: eius ampliori pondere vtendum, idq; rarius, vt vnica, vel altera vice vincatur venenum, tardare enim, & mollius agere periculosum est: Compertum porrò experimentis est dentes eorũ, qui hauserint nigrescere, cauent proinde cum deuorant, ne dentes medicamento attingantur, cocleari intrà fauces demisso. Hoc argumento colligit Cæsalpinus vim aliquam continere deleteriam, vt solent Alexipharmaca: Quoniam verò Bezaar Occidentalis minoris efficacię compertus est, eius augent Dosim, vsq; ad sex grana: Aduersus etiam lumbricos & tineas ventris valere sibi experimento compertum tradit Monardus cap. cit. exhibuisse enim pueris, cum herba lubricorum semine santonici, Portulacæ, & Carlinæ, etiam cornu Cerui vsto omnibus in tenuissimum puluerem redactis. Cæterum si quis vberiorem tractationem exposcit de lapidibus his Bezaarticis præter commemoratum Cæsalpinum, & Monardum, qui se de ijs peculiari etiam libro egisse profitetur: Christophorum à Costa Aphricanum adeat Medicum, & Chirurgum ex idiomate Hispanico in Italicum conuersum, neq; .n. Nomenclatoris institutum fert,

vt vndiquaq; oĩa veluti inferciantur,& πλείω ſint πάρεργα τῶν ἔργων. Antequam tamen ab horum lapidum deſcriptione digrediar: illud primum monuerim Cardanum decipi, qui lapidem hunc ab omnibus laudari à nemine fermè cognoſci ſcripſit lib. vij. de ſubtilitate, niſi ipſum excuſare velimus, quod eius ætate non ita exactè orientalium rerum vires eſſent excuſſæ: In eo verò collaudandus Cardanus, quod Scribonium Largum, quamuis Cæſaris Medicum, damnat, dum falsò ſcribit lachrymam eſſe Ceruorum in Sicilia repertam, cum conſtet in Paly Orientalis Indiæ regione ſolitam inueniri: Illud etiam non incurioſum adnectam, quod ſcribit Raymundus Myndererus doctiſſimus Reipublicę Auguſtanæ Phyſicus, qui ſuperiori anno non ſine ſummo ſuorum Germanorum Catholicorũ potiſſimum mœrore diem ſuum obijt. Is igitur libro vnico de peſtilentia cap. xv. quo me pro veteri, & mutua amicitia donatum voluit, ita ſcriptum reliquit: *Lapis Bezoar è Caprarum Indicarum folliculo filleo, vel ſtomacho erutus facili ferè techna lapidum ab equis ſimili planè forma, & magnitudine quandoque inſigni prodeuntium ęgnulatione, ſua laude qua Magnetibus is olim commendatus extiterat defraudari poteſt. Conſimiles politos lapides Equus Illuſtris, & generoſi Domini Baronis cuiuſdam hac ipſa in Ciuitate quotãnis per ventrem excreuit, quales alij quoque equi molis ſatis magnæ in ſeſe continuerunt, qui poſt mortem diſſecti tanti prout videri potuiſſent pretij lapides Bezoar nobis reliquerunt, vt ſui corporis virtutis, ac agilitatis, & æſtimationem, & exiſtimationem centuplo lapidis in ſeſe contenti valore videantur recompenſaſſe*, hæc ille, quæ lubens adſcripſi, vt amęna aliqua lectione hanc noſtram deſcriptionem condirem. Quod ſi hinc confectum putat Mynderervs lapidibus his in peſtilentibus febribus, & veneno non eſſe fidendum, quod in magnis, & multæ æſtimationis medicamentis omnis nebulonum occupatio, & vigilat, & laborat ſedulò, proculdubiò cum Cratone, & Iordano deciperetur, quos ait, multis periculis factis, non vidiſſe eos effectus præſtitiſſe Bezoar; nedum in peſte, ſed nec in benignioribus morbis, quos inſignes Medici multo teſtimonio pollicentur. Fatendum .n. eſt ob duarum cauſarum alteram id omninò eueniſſe, aut enim

verum

verum Bezaar non habuerunt, quem summis impendijs, & solis Principibus viris comparandum, priuatæ Germanorum Respublicæ non tam facilè possunt nancisci, sed occidentales, & equinos istos in ludibrium medicinæ progenitos vsurparunt, aut non benè purgato prius corpore exhibuerunt: qui est deprauatus curandæ pestis, & venenorum quorundam mos, ad Alexiteria illicò, nulla totius corporis habita ratione, transilire: nos in Italia periculis multis factis contrariam possumus sententiam astruere, & è catalogo pestilentium remediorum quiduis aliud potiùs expungere: Verum hæc de Bazaar satis superque.

DE ALECTORIO LAPIDE.



SVPERIORE ætate Hieronymus Cardanus, qua erat effreni ostentandi ingenij cupiditate; & veteres auctores Plinium potissimum nostratem Ciuem febriculosarum narrationũ insimulandi, miram excitauit controuersiam, an ambàges potiùs verè febriculosus? Lapides ait frigore concrescere gemmas, vt duriores maiore, non posse igitur gigni in animalibus, vbi nihil esse potest frigidissimum, si omninò aliquis generetur lapis qualis Alectorius, si gemma sit, & vires habeat vita carere non potest, non posse igitur esse adeò duram in animali genitam gemmam, nam liquido humore nutriri non posset, nec mollis alioquin gemma non esset, initio igitur mollem esse, & nutrici ope spiritus, & humoris, mox habetata vita concrescere, vt in vtero molam calore, sic duriorem reddi, donec extracta, vel mortuo animali frigore concrescat, sed hoc est sortiri digitis, quod ambitiosa subtilitate ignaris obtrudatur; forma enim rerũ essentialis è sinu materiæ à solo calore educitur: lapidibus, gemmis, metallis frigus σύστασιν firmiorem, & duritiem conciliat: ita enim probatiores Philosophi Peripatetici respondent cum quæritur, Frigus ne per se ad lapides, & metallica producenda concurrat, tamquam præcipua, & proxima causa: omnia quippe huiusmodi calori humidum lentum, cum terreo puriori, &

desę-

defęcato permiſcenti, & terminanti accepta referenda: quibus deinceps frigus condenſans, & indurans ſuperuenit; Par ergo eſt ortus lapidum in animalibus, & exterius in maiori mundo. De gemma Alectoria verba ſunt Plinij noſtri lib.xxxvij.cap.x. *Alectorias vocant in ventriculis Gallinaceorum inuentas chryſtallina ſpecie, magnitudine Fabæ, quibus Milonem Crotonienſum vſum in certaminibus inuictum fuiſſe videri volunt.* Albertus Magnus lib.ij. tract. ij. cap. 1. de lapid. precioſis Alectorius gemma eſt, inquit, quæ vocatur lapis Galli, & eſt albus nitens, chryſtallo obſcuro ſimilis, extrahitur autem è ventriculo Gallinacei, poſtquam fuerit vltrà quartum annum, & quidam dicũt, quod poſt nonum extrahitur, & eſt melior, qui eximitur è Gallo decrepito; Maxima autẽ huius quantitas eſt accedere ad quantitatem Fabæ. Virtus autem eius eſt excitare Venerem, gratum, conſtantem, victorem, & diſcretum facere, oratoriam tribuit facultatem, amicos conciliat, & contentus ſub lingua ſitim extinguit, vel reprimit, & hoc vltimum expertum eſt. Hæc Albertus, cuius auctoritas, tamquam poſt Plinium noſtrũ vetuſtioris, non eſt elato ſupercilio aſpernenda, vt multi faciunt grammaticè tenùs phyſici, qui neſciunt, tametſi infęlici ſæculo, & rudi vexerint Albertus, & D. Thomas, hos nihilominus barbariem in ore, in pectore Mercurium geſtaſſe, vt Io. Picus eleganter monuit, detracta orationis rudioris ſcoria aurum ſapientiæ puriſſimum, & ſplendidiſſimũ ſe prodere, non in verborum ſono, ſed in rerum ſenſu veram conſiſtere ſapientiam, quod teſtimonium, & à pietatis orthodoxæ hoſtibus veritas ipſa extorſit. De Alectoria gemma, & Franciſcus Rueus Medicus Inſulanus lib. ij. cap. xvij. de Gemmis præclarè ſcripſit, eam ſcilicet in Capri ventriculo reperiri, obſcuri chryſtalli ſimilem & colore, & ſubſtantia, niſi quod paulo craſſior apparet, non excedens Fabæ magnitudinem; probari, quæ intùs velut ſtagnantem ingeſti cibi micam modicam, nec vſque adeò obſcuram oſtentat. Sunt quoq; qui audeant affirmare caponem in quo Alectorius ſit abſolutus bibere nunquam, ideoq; Strenuis militibus ex vſu eſſe creditur; quæ ſequuntur apud Ruęum ex Alberto ad verbum excerpta videntur; pro-

pterea in ijs describendis immorandum non est: lib. 1. cap. 1. Rueus duplicem lapidum causam coniunctam agnoscit calorem, scilicet in materia terrea persistentem, & humidum tenax per terreæ molis tenuissimas quasque partes deducentem, digerentéq;, & ab excrementitia fęce optimè terreas, atq; aqueas portiones pro lapidis, gēmæq; forma despumantem: At quod frigus etiam pro causa huiusmodi agnoscit superuacanenm humorem exprimens, vt hinc inuitandę formæ materia disponatur, non possum omninò probare; cum enim ex optimorū philosophorum placitis eamdem causam effectricem constet materiam disponere, & formam introducere, existimandum potius eadem facultate materiam gemmarum calore. s. & spiritu affici, & formam earum progigni, qua genita, mox à frigore; quod nunquam per se opera naturæ ingreditur, vt aiunt, superueniente constantiam, & firmiorem duritiem ijs comparari: Nec quod de earum vita somniat Cardanns admitti potest: ex actionibus quippe nutriendi, augendi, & procreandi vegetalis facultas dignoscitur, quæ gemmis, & lapidibus non conueniunt; illud enim eorum incrementum nouę potius materię adiunctio, & appositio existimari debet, quam nutritio in omnes quoquouersum partes diffuso, & distributo alimento. Hæc verissimæ Plantis, & stirpibus tantum congruit, quæ in primo viuentium, gradu, atq; ordine constituuntur, quamquam mirabile, & silentio minimè prętereundum, quod scribit Franciscus Rueus lib. 1. de gem. cap. 1. relatum sibi iampridem à teste fide digno Matronam ex Luxemborgorum illustri genere oriundam duos seruare hæreditarios Adamantes, qui alios crebro tanto naturæ miraculo producant, vt eos quicunque statis temporibus intueantur συγγενῆ, ideft congenerem sibi prolem eniti palàm indicent, cuius causam ipse philosophico Aristotelicorum more conatur adducere, quod vis, scilicet cœlestis parentibus tenaciter insinuata, quam adamantificam quis nominauerit aërem circunfusum in aquam primum, congruamq; substantiam demum in Adamantem gemmam durauerit transformaueritq; sequitur idem Rueus; *Quod ne iusto plus admiretur quispiā Auctor est Theoprastus esse lapides, qui pariant nimirū quod*

virtus illa cœlestis tenaci materia vti præstruximus semel transfusa subiectæ contumacius cohæret substantiæ, quæ videlicet, quò vehementiorem cœli actionem experta est, eò pertinaciùs hanc retinere intelligitur: Hanc problematis propositi rationem, quoniam satis verisimilem puto, libenter amplector qua intelligimus non esse illam Adamantis veram auctionem, sed nouæ materiæ Adamantinę aggeneratione, & πρόσθεσιν appositionem.

Sed nemo fortasse diligentiùs, & pleniùs Alectorij lapidis, qui ἀπὸ τοῦ ἀλέκτορος à Gallo, scilicet nomen est adeptus descriptionem attulit Georgio Agricola, quem vnicum, & sine pari Germaniæ Aristotelem soleo nuncupare; is igitur lib. vj. de natura fossilium: hæc præclarè scripsit, quæ ad verbum ediscéda à rerum naturalium studiosis existimo. *Lapides præterea in animantium corporibus nati in gemmarum numero, locoq; ducuntur, quod genus inuenitur in Auibus, in Piscibus, in Conchis, itaq; Alectoriæ ex Gallus Gallinaceijs nomen duxerunt, etenim quamquam raro in eorum, atq; etiā Castratorum ventriculo, & Iecore gignuntur, sed in Iecore plerumq; maiores, nam nuper in capo inuentus est longus vnciam, latus digitum, altus sexcunciam*, inferior pars, quæ lateor, humiles habet cauernas, superiorq; angustior ad dextram extuberat, ad latum humilis est, & fusca, cum reliquum eius corpus in fusco candidum sit; At in ventriculo reperti non raro ferè figura sunt Lupini magnitudine eiusdem, aut Fabæ, modò in cinereo candidi, modò fusci coloris, sed diluti, nunc chrystallini specie, sed coloris obscuri, quam venulas interdum habent subrubras; His (vt Plinius) Milonem Crotoniensem vsum in certaminibus inuictum fuisse videri volunt; chrystalli similis si politus inter oculum, & palpebram inferiorem interponitur, & ex vna parte ad alteram transfertur oculum non lædit, quod idem facit Sapphiras, vel Onyx, vel alia gemma polita interposita, modò parua sit; hæc Agricola: Nuper quęsitum ab amicis est cur de hisce gemmis non egerit Galenus in lib. de simplic. medicamentis, quibus sanè planè ipsemet satisfacit, dum scribit lib. ix. cap. de lapid. Vires hos habere partim, secundum totius substantiæ proprietatem, partim secundū

qua-

qualitates effectrices; ſibi propoſitum agere de ijs, qui ſecundũ effectrices agunt qualitates in quibus eſt & vtendi ratio, & methodus: facultates à tota ſubſtantia pendentes à methodo, ac ratione alienus eſſe, & perſolam noſci experientiam. Nam cur hic lapis tacto vulnere, vndè ſanguis prorũpat, curſum eius ſiſtat, haud nouimus, at cur lapis, quem Hæmatitem vocant in oculares facultates indatur, haud latet, nã id rationis inuentum eſt, ſi enim cote oculari eum tritum cum aqua donec mollis craſſitudinem accipiet, guſtare volueris, adſtringentẽ facultatem percipies: hæc Galenus noſter.

Iam verò in Calceolarii noſtri Muſæo Alectoriam gemmam conſpeximus figura ferè triangulari ad ruborem aliquem vergentem: nam & varietatem colorum in ea agnoſcit Agricola, ita vt & venulis ſubrubris prędit.as viderit: Senioris Francisci Viri ornatiſſimi ſchædula manuſcripta ſimul conſpicitur, qua teſtimonium eius gemmæ exhibetur, tamq; ſibi olim à percelebri Io. Baptiſta Porta Neapolitano donatæ.

DE LAPIDE ASIO.



NON eram neſcius (candide Lector) fore nonnullos ex eorum numero (quos πολυπράγμονας nodum in Scyrpo quæritare aiunt) qui fortè admirentur curioſius, quàm par ſit, cur narrationes allegoricas, & moralia interpretamenta, & παραινέσεις rebus deſcriptis (Cervti imitatione) non adiungamus. Nos ſanè plures inſtituti noſtri rationes afferre poſſimus: Imprimis, plenum ingenui pudoris eſſe profiteri per quem profeceris, quare nolui ex alieno labore laudem præripere, & meum nomen ornare: Socratisque præceptum deſpicere; Quod videris vis, eſto, cum potiſſimum viri docti, & pij, qui id opus præſtare poſſunt, nomen ſuum operi præſcribi non patiantur; præterea nunquam Theologum egi, quem nec præpropera, aut extemporaria Sanctorum Patrum lectio poteſt extemplò efficere apud Diuum Thomam, Sanctum Auguſtinum, & Ambroſium, ea-

tantum per otium legi, quæ mihi, non alijs inseruirent, nec probandos eos Physicos putabam, qui ostentandæ potius doctrinæ gratia accuratissimam operam ei studio dabant, cum sapientiores eo duntaxat tempore dederunt, cum senescentes demissa medendi arte salutari animi excolendi scientia sese oblectare, & iuuare voluerunt, quod Leuinum Lemnium Medicum optimum, cum sacris initiatus Medicinam prætermisisset præstitisse accepimus: Accedit maximum scribendi præceptum, vt omnia inter se apta, & nexa sint, vt ex omnibus vnum conficiatur, quod & in poëmatis præcipit Horatius,

Deniq; sit quoduis simplex duntaxat & vnum,

Illæ verò allegoricę interpretationes sæpenumero ἀεροβατοῦσιν nec in scopum aptè collimant, quas curiosè excogitare (præter eas, quæ à Sacris Doctoribus literis sunt proditæ) nihil aliud sit, quam τὰς ἐν ἅδου τριακάδας subtiliter scrutari: & quemadmodū Laurentius Pignorius Vir Clarissimus, & mei amantissimus Hieroglyphica putat difficulter posse à quouis, vel perspicaci, & luculento ingenio explanari, ita isthæc allegoriarum congruentes applicationes haud ita promptè in numerato haberi possunt: Ijs igitur omissis semel inculcatum volo D. Augustini aureum dictum; Non intelligendi subtilitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit; & illud Senecæ, Nihil Deo clausum est, interest animis nostris, & cogitationibus medijs interuenit: Insculpi verò in memoria velim quę Galenus vir maximus ad componendos mores, & vitam sanctè, & sapienter instituendā lib. iij. cap. x. de vsu par. nobis scripta reliquit, vt in rebus omnibus creatis Dei Opt. Maxim. sapientiam, & bonitatem agnoscentes animum purum, & liberum à tribus corruptissimis vitæ communis Idolis seruemus ambitione, auaritia, & voluptate, ita Diuinæ naturæ assimilamur, quatenus potest, in qua similitudine vniuersam nostram perfectionem, & fęlicitatem sitam esse in Philæbo Plato diuinè admonuit ὁμοίωσιν τῷ θεῷ κατὰ τὸν δυνατὸν aureis verbis illam definiens, ὁμοίωσις δὲ δίκαιον, καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι, quod est assimilatio porrò iustum, & sanctum, cum prudentia esse: Galenus ego noster aduersus nonnullos scribens, qui rerum generationē casui, & fortunæ adscribentes

nullam

nullam esse diuinam Prouidentiam iactabant in hæc verba, Quouis auro, quibusuis gemmis digniora diuino quasi percitus spiritu prorupit.

At verò si de eiusmodi pecudibus plura verba fecero, melioris mentis homines meritò mihi fortè succenseant, dicantq; me polluere sacrum sermonem, quem ego conditoris nostri verum Hymnum compono, existimoq; in eo veram esse pietatem non Taurorum Ecatombas ei plurimas sacrificare, & casias, aliaq; sexcenta odoramenta, ac vnguenta suffumigari, sed si nouerim ipse primus, deindè & alijs exposuerim, quæ nam sit ipsius sapientia, quæ virtus, quæ bonitas, quod enim cultu conueniente exornare, omnia nihil suis beneficijs priuatum esse voluerit id perfectissimæ Bonitatis specimen esse statuo, & hac quidem ratione eius Bonitas Hymnis nobis celebranda est, hoc autem omne inuenisse, quo pacto omnia potissimum adornarentur summæ sapientiæ est, efficisse autem omnino, quæ voluit virtutis est inuictæ ac insuperabilis: His verbis Physici eruditissimi recentiores Sanctissimæ, & Indiuiduæ TRINITATIS attributa significari existimant Potentiam Patris, Sapientiam Filij, & Bonitatem Spiritus Sancti, quæ omnes supercœlestes dotes in rebus creandis, & ornandis admirabiliter eluxere. Iam verò si Auctores isti fidei lumine destituti, sola rationis, & ingenij luce manu ducti, non sine tamẽ diuinæ beneficentiæ munere, tum præclarè nos ad Dei amorem, & venerationem per creatas, & conditas res animarunt, atq; excitarunt, quantò nos suffundi rubore debemus, qui tot pietatis veræ adminiculis instructi, tribus illis pessimis Idolis manus damus, & quod deterius est, turpissimorum Hypocritarum more, sub pietatis prætextu illorum cultum, & obsequium mirificè prouectum volumus, sed hac de re satis: Ad lapidem Assium veniamus. Huius insigne frustum in Musæo comperimus; in Asso prouenit, ait Gal. lib.ix. simpl. quem ob id ipsum Assium cognominant; assumi debet pumicosum læuis fungosus, item friabilis, teste Dioscoride lib. v. cap. cxxxiij. Eius flos salsugo subflaua est summo lapidi insidens, compage tenui, vim vterq; habet adstringentem, & modicè erodentem; longè verò validior

Hymnus Galeni admirabilis.

lidior

lidior flos existimatur. Subdit Dioscorides ἐν περισσοῦ δὲ τοῦτο ξηραινόμενον τὰ παλαιὰ, καὶ δυσκατούλωτα ἕλκη ἰᾶται, Marcellus Virg. vertit pręter antedicta siccatus hic, & cet. Ioannes Ruellius cæterum siccatus flos vetera vbera, & cicatrici repugnantia sanat: verterem ego magis ad fidem Græci exemplaris: ex super abundanti, vel exactè admodum hic flos siccatus: id enim significasse Dioscoridem per illa verba ἐκ περισσοῦ existimo, qui fuit in scribendo pressus, & laconicus, non asiatica Galeni redundantia diffluens: Prodest phthisicis linctu, ait Ruellius: græcè tamē est ἐκλειχόμενον δὲ τὸ ἄνθος μετὰ μέλιτος τοὺς φθισικοὺς ὠφελεῖ; fidelius igitur Marcellus prodest, & Tabidis cum melle linctus: illud enim μετὰ μέλιτος necessario vertendum erat cum melle, nam & sine melle lingi potest aliquis puluis: paulo post scribit Dioscorides καὶ σοροὶ σαρκοφάγοι γίγνονται ἰσχναίνουσαι τὰ πολύσαρκα, καὶ παχέα σώματα. Marcellus vertit fit ex eodem farinæ modo puluis: sed perperam, nam σοροὶ σαρκοφάγοι, sunt vinæ, & loculi carnem absumentes: optimè ergo Ruellius fiunt quoq; loculi, qui corpora erodunt, & luxuriantem carnem, & corporum crassitiem absumunt, vice nitri in Balneo, θηριώδη ἕλκη vertit Ruellius tetra, Marcellus malefica: Ferina ego verterem, hoc est, quæ feritate sua, & vetustate inexpugnabili instar fungorum concrescentia vim medicam exsuperare videntur: Proprie profectò scribit Dioscor. & res ipsas repręsentat, quocirca ridiculum, & noxium est in tam necessario, & vtili Auctore conuertendo elegantiora apud latinos nomina, & voces conquirere, quod multi vanitate ingenij, & gloriolę apud sciolos aucupandæ gratia faciunt: cum de generis humani salute agitur, & re medica tantopere necessaria omittenda orationis venus, & sobria latini sermonis norma tenenda, qua in re suo exemplo nobis præit Dioscor. verè magnus, & prudens Medicus, qui simplici sermone σαφαστέρον, ne dicam ἀμεθέστερον rem medicum nobis exarauit, vt propterea sæpè mihi venerit in mentem interpretationem illius nouam moliri, & tanti Auctoris imitatione, græcas omnes voces simpliciter, & fideliter reddere. Profectò valdè scire intererat an Petræ Asiæ flos ἐκ περισσοῦ siccandus erat, nec ne, idcircò id nos Dioscorides affirmando docuit, quod prætermissum in versione

à Mar-

à Marcello, & Ruellio Viris alioquin eruditis, & Græci sermonis peritis miror, ex abundanti ergo, & insigniter siccatum, vt omnis salsugo, & acrimonia deponatur, illum florē oportuit, vt vetera vlcera, & cicatrici repugnantia sanet, ne ea magis irritando contumaciora, & sordidiora redderet non benè desiccatus: Galenus ix. lib. simpl. eadem cum Dioscoride sentit de huiusmodi lapide, nec longè breuius (vt ait Marcellus) cęteri græci, quam Dioscorides lapidis Assij, florisque vires, & dotes tradiderunt: nam Galenus satis pro rei necessitate diffusus est: Assiæ petræ florem tenuium esse partium, & sine morsu nimis molles carnes, & fluidas eliquare docens petram in qua nascitur vim habere illi similem, actionis tamen vehementia inferiorem esse: Verum, & physicam coniecturam affert, qua floris Assij ortum, & causas procreationis pernoscamus, dum subdit, habet & salsedinem quandam in gustu hic Assiæ petræ flos, vt coniectura sit illum nasci ex eo, quos Ros ex Mari in petram recidens, postea à Sole desiccatur. Hermolaus Barbarus Patritius Venetus, eruditorum sui sæculi facilè Princeps, cui quem in Italia comparem in præsentia, haud facilè reperio, dum fucum, & colorem amęniorum litterarum duntaxat sectantes à seria, solidaq; doctrina multi encyclopodiæ fama percelebres destituuntur: Hermolaus igitur Barbarus lib. v. Corollarij hæc de hoc lapide ad verbum habet. Asius, & Asia petra dicitur, est & Assius per duplex ss ab Assio Troadis (vt inquit Plinius) sed ab Asio diuersus, ille Sarcophagos quoq; nominatur ab effectu, qualis & in Lysia, & in Oriente habetur, & in Mysia quoque inueniri eum Stephanus affirmat, at noster hic per simplex s ferè scribitur ab Auctoribus nostris, gustu salsus; corpora defunctorum condita sarcophago consumi intrà quadraginta dies, sed illato quoq; mortuis lapidea fieri traduntur; in Oriente adalligata viuentibus erodunt ea: hæc ille; De Assio lapide legendus, & Cæsalpinus lib. ij. cap. 11. qui scribit hodiè lapidem hunc non esse vulgò notum, reperiri tamē in Ilua, & alibi, vbi Alumen fossile, & Chalcanti vena foditur. Cæterum Agricola noster exactiùs, vt qui φυσικοτέρως has res sibi explicandas assumpserat; Ex Cad- *Lib. 9. de nat. fossil.*

mia

mia, ait, partim conſtare Aſſium lapidem hinc intelligimus, quod carnem conſumat (qua de cauſa Sarcophagus nominatur; etenim corpora defunctorum, inquit Plinius, condita in eo abſumi conſtat intra quadrageſimum diem exceptis dentibus ea verò Cadmia, idcircò videtur eſſe atramentoſa, quod ex ipſa candidum quiddam ſalſugini ſimile effloreſcat. Dicitur autem Aſſius lapis ab Aſſo, vt Galenus auctor eſt, vbi naſcitur, quod oppidum Plinius Troadi, Alexander, Cornelius, Myſiæ aſcripſit, nec verò ibi tantum naſcitur, ſed eius generis, vt iterum tradit Plinius, & in Lycia ſaxa ſunt, & in Oriente, quæ viuentibus ad alligata erodunt corpora; idem etiam dicitur Aſius, quod in Aſia reperiatur, at verius vocabulo iam olim per librarios corrupto, qui vnam Aſſij litteram, vel inſcitia, vel negligentia omiſerunt: Eundem enim lapidem vocari Sarcophagum, Aſſium, Aſium, partim ex Medicorum ſcriptis perſpicuum eſt, partim ex loco in quo naſcitur, & eius viribus, quocirca Plinius non rectè Aſium ſeparatim, tamquè à Sarcophago diuerſum perſequitur, vt alias vberius explicabo, hæc Agricola: Forſitan ſe vberius explicaturum pollicetur in libris quos ſe editurum in quadam ſua epiſtola profeſſus eſt: cætera quæ ſubdit Agricola ex Dioſcoride, & Galeno deſcripta videntur: Videtur porrò lapidem Aſſium ſub ſexto miſtorum genere complecti, quod ex lapide, metallo, & ſucco concreto conſtat: metallum eſt Cadmia foſſilis, quam Plinius dicit lapidem eſſe æroſum; ſuccus concretus atramentum ſutorium, quæ omnia diligenter apud Agricolam expoſita legi poſſunt, qui etiam ſubdit, ex ipſo lapide quondam factas Carniuoras arcas in quas mortuorum corpora condebantur, vt citò conſumerentur ex eodem fiebant vaſa σορὸι apud Dioſcoridem, in quæ Podagrici pedes vtiliter imponebant: De Aſio lapide, & medicinis eius legendus Plinius lib. xxxvj. cap. xvij. vbi Sarcophagum ab Aſio diſtinguit; Mutianus, ait, ſpecula quoquè, & ſtrigiles, & veſtes, & calciamenta illata omnia lapidea fieri auctor eſt (de Troadis Sarcophago loquitur) ſubdit Plinius, mitoir eſt autē ſeruandis corporibus, nec abſumēdis chernites ebori ſimillimus, in quo Darium conditum ferunt:

De

De Asio præter ea,quæ ex alijs Auctoribns attigimus, hæc habet Plinius loco cit. Præterea omnia crurum vitia in ijs lapidicinis sanantur, cum in metallis omnibus crura vitientur: Verum hæc de Asio lapide satis.

DE LYDIO LAPIDE.



HVNC etiam in Musæo lapidem elegantissimum deprehendimus, de quo Plin. lib. xxxij. cap. viij. Coticulam vocat, docetq; quondam non solitum inueniri nisi in flumine Tmolo, vt Autor est Theophrastus, nunc verò passim, quem alij Heracliũ, alij Lydium vocant, esse modicos, nec quaternas vncias longitudinis, binasq; latitudinis excedere, quod à Sole fuit, in his melius, quam quod à terra: subdit Plinius, His Coticulis periti cum è vena, vt lima rapuerunt experimentum protinùs dicunt quantum auri sit in ea, quantum argenti, vel æris scrupulari differentia mirabili ratione non fallente; Agricola, veluti Plinium lib. v. fossilium vberius exponens, Coticula, ait, probatur aurum, & argentum, hanc multi ex Græcis, vt Pindarus, Sophocles, Antiphon, Theognides Βάσανον vocant, quod aurum ipsi attritum colore, tanquam trutina, examinet, alij eadem de causa χρυσῖτιδα, Lydium lapidem alij, quod in Lydia reperiatur: alij Heracleum ab Heraclea Lydiæ Vrbe: Coticulæ autem, & si circà Ephesum etiam in Ionia repertæ sint tamen omnes Theophrasti temporibus inueniebantur in Tmolo fluuio: Plinij passim; subdit Agricola deinceps varia loca, vbi huiusmodi reperitur lapis in Germania potissimũ; plerisq; omnibus colorem esse nigerrimum, & læuorẽ insignem; quamquam scribat Plinius, eas quaternas vncias longitudine binas latitudine non excedere, tamen longas senas vncias, inquït, aut amplius repertas, latas ternas, & quidem maxime circa Visam pagum: qua in re Agricolæ magis credendum, quàm Plinio; hic enim sæpissimè ex Comment., & aliena fide scribe-

bat, ille ex certo oculorum, & examinis experimento: subiungit ille, tamquã & magni Theophrasti expositor; *Inuentarum autem partes, quæ respiciunt Solem, esse meliores ad experimentum, quæ humi iacent, deteriores Theophrastus tradit, iccircò quod superiores sint ficciores, etenim humor impedit, ne auri, argentivè colorem capiant; quocirca magnis etiam caloribus experimentum fit deterius, quod tum propter humorem, quam ex sese emittunt, lubricæ sunt;* hæc ille. Cardanus lib. vij. de lap. vt potè qui subtilitatem profitetur, Lydiam cotem nigram esse, substantia admodum tenui splendentem mira subtilitate referre metallorum colores, quo auxilio Aurifices auri, & argenti puritatem intelligunt, tenuitate sua detrimentum non afferri, vt liceat millies experiri, vel sine vllius grani iactura, nigredine autem ostendunt colorem metalli, nam nigredo colligit nitorem, & colorem: hæc Cardanus, quæ à I. Cæs. Scaligero acutè refelluntur; Nigrum, inquit, neq; colorem vllum colligit, neque nitorem, si enim hoc nigri esset, omne nigrum id faceret: nempè sic loquuntur Philosophi non triuiales (per hos Scaliger mea sententia intelligit, qui libros Analyticos posteriores Aristotelis præ manibus habent, vt sequellas necessarias teneant à per se ad de omni) at Ebenum id non facit, non Bubalinum cornu, non vitrum nigerrimum, non Gagates, non serici panni, quibus nulla nox atrior est: laudat porrò Scaliger Theophrastum, qui vim illam excipiendi attribuit lapidi non colori nigro, cum circumspectis verbis scripsit δύναται γὰρ ἐκλαμβάνειν τὴν ἑκάστε φύσιν; vniuscuiusquè naturam scilicet posse lapidem excipere: Et qm̃ Theophrastus docuit temporibus æstuosis emittere humorem quendam, causam attulit Scaliger, quod fluuiales lapides ortus sui appetentes sint à fluuijs extracti humorem nacti furtim hauriunt, humorem æstus excoquit; bulliendo igitur euocatur, redundãs incomprehensibilibus sensu ampullis: hæc ille plenius, & longè subtilius, quam Cardanus. Andreas Cæsalpinus lib. ij. de Metall. cap. xiij. scribit, duas columnas atri coloris intercursantibus raris venis albis positas esse in campo Sancto Pisano ad monumentum, quod Gregorius XIII. Pont. Max. fratri posuit, vocari hoc genus Marmoris Paragone;

Sine libris Analyticis Aristot. physici fiunt empirici rudes.

quia

quia eo instar Basanitis lapidis vtuntur ad examinandum aurum, & argentum. Quondam ad huiusmodi vsum factas Coticulas ex lapide Lydio: Ex his Cæsalpini verbis colligimus, alios præter Lydium fuisse lapides illorum metallorum exploratores, & vsum coticulæ Lydiæ, apud veteres solum viguisse. porrò Bacchyllides vetustissimus Poëta moralem allegoriam ex simili huius lapidis nobis reliquit, quæ pro multis allegorijs inseruire poterit, Λυδία μὲν γὰρ λίθος μανύει χρυσόν, ἀνδρῶν δ' ἀρετὴν σοφία τε παγκρατής τε ἐλέγχει ἀλάθεια. i. Lydius enim lapis iudex est auri: hominum verò virtutem sapientia, & omnipotens veritas arguit: quo docemur prudentes, & sapientes viros, qui non aliud ore promptum, aliud pectore clausum gerunt, verè viros, qui pristinam, & veram Christicolarum, & Italicorum synceritatem retinent recentium quorundam vafra dissimulatione corruptã.

DE GAGATÆ LAPIDE.



VT iam ad Musæi Gagatem describendum accedamus, obseruandum est, Nicandrum vetustissimum Medicum, & Poetam, tum accuratissimum rerum descriptorem Gagatem lapidem a Thracio distinxisse: in Theriacis enim suis ita de Gagate scribit,

Ἄλλοτε δ' ἀζαλέην καίων ἐγγαγίδα πέτρην
ἥν οὐδὲ κρατέροιο πυρὸς περ καίνυται ὁρμή.

Quod latinè est, aliquando verò siccum vrens lapidem Gagatem, quem neque validi ignis impetus domat: paulò post de Thracio agens lapidẽ ait, καίου γε θρηΐσσαν ἐνὶ φλέξας, & quæ sequuntur, quorum sensus est, aut Threicium in igne lapidem vrens, qui aqua respersus flammescit; extinguitur autem exiguo oleo insperso, lapidem hunc à Thracio flumine Pastores, quod Pontum vocant, afferunt; Qua in re ipsi omnino assentiri videtur Dioscorides: qui diuersa de vtroque lapide capita constituit; Verum quoniam de Thracio dixit δύναται δὲ τὰ αὐτὰ τῷ γαγάτῃ, idest potest Gagatæ eadem, vel vis ei Gagatæ, vt Ruellius vertit,

ansam præbuit Plinio nostrati Ciui, vtriusq; lapidis notas, & euentus permiscendi, vt ritè obseruauit Marcellus Virgilius, Dioscoridis interpres. Hic porrò lib. v. cap. c xxxvij. de Gagatæ docet præferendum in lapidum Gagatum genere, qui celeriter accenditur, & odorem Bituminis reddit, nigrum communi ex parte κοινῶς, squallidum, crustosum, perq; leuem: Vis ei molliendi, & discutiendi, sequitur Dioscorides ἐστὶ δὲ ἐπιληπτικῶν ἔλεγχος ὑποθυμιαθεὶς, hoc est comitiales, & epilepticos per suffitum deprehendit: Ruellius Sonticum morbum (ex Plinio voce desumpta) conuertit. Verum, vt alibi perstrinximus, hæc nimia vocum antiquarum, obsoletarum, ne dicam impropriarum, affectatio, & inculcatio in Medicina præsertim, arte adeò necessaria, non videtur probanda; Proprietas, & pespicuitas primæ sunt, & potissimæ orationis virtutes. ὑστερικὰς ἀνακαλεῖται; Ruellius vulue strangulationes recreat, longè melius Marcellus strangulatu vulue (rectiùs vteri) procidentes reuocat; aliud enim est recreare, aliud reuocare; quod est omninò ad sese redire: In Cicilia nasci solet, qua influens amnis in mare effunditur, propè oppidum, quod Plagopolis dicitur: vocatur locus, vel Amnis Gagas, in cuius faucibus ij lapides inueniuntur: Contendit tamen Marcellus vertendum esse ἐν Λυκίᾳ in Lycia, non in Cilicia, idq; ex melioribus Geographis, & Plinio ipso. Huiusmodi lectionem, & Galenus probasse videtur lib. ix. simplic. cap. de Gagate, eius verba sunt. *Est & alius lapis colore atro, qui vbi igni admotus fuerit persimilem Bitumini odorem exhibet, quem Dioscorides, nonnulliq; alij in Lycia inueniri prodiderunt ad fluuium nomine Gagatem, vndè & ipsi lapidi nomenclaturam inditam dicunt: Ego tamen eum fluuium non vidi, tametsi parua nauicula totius Lyciæ littora legerim, quo videlicet, quæ in ea sunt inspicerem;* quo sanè suo instituto ostendit Galenus id esse verissimum, quod Iul. Cæs. Scaliger docet, ex libris colligere, quæ prodiderunt Auctores, longè esse periculosissimum rerum ipsarum veram cognitionem è rebus ipsis esse: scimus ipsum & in Lemnum, & in Cyprum nauigasse, vt medicamentorum quorundam certior fieret, quod si nos facere possemus nugas speciosas pro exoticis medicamentis nobis sæpè vanitate obtrudi

trudi Iberica, facilè intelligeremus. Hinc etiam coniectura duci possumus veriorem esse lectionem Dioscoridis vulgatam, vt potiùs in Cilicia, quàm Lycia nasci credatur Gagates: pau o post Galenus ex auctoritate Nicandri, cuius carmina antè à nobis commemorata adducit, Gagatem à Thracio lapide destinguit, quem nullius esse, ait, in medicina vsus, neq; Nicandrum præter graueolentiam, quæ suffitu feras fugat, quicquā ei adscripsisse: At Plinius noster (vel inuitis Nouocomensibus) Ciuis lib. xxxvj. cap. xix. Gagatem lapidem nomen habere loci, & amnis Gagis Lyciæ memoriæ prodidit, nigrum esse, planum, pumicosum, non multum à ligno differentem, leuem, fragilem, odore si teratur grauem, fictilia ex eo inscripta non d leri, cum vritur odorem sulphureum redd re, Dioscorides tamē dicit ἀσφαλ ίζοντα τῇ ὀσμῇ, cum vritur, bituminis odore sentitur, vertit Marcellus; sulphurei odoris nu la fit mentio, vt proindè existim n Plinium non vni Dioscoridi addictum ex alijs etiam haud semper probatis auctoribus multa transcripsisse, vt, quod subdit, eo vti Magos in ea, quam vocant axinomantiam, idest diuinatione, per securim, & dolabram, & peruri negant, si euenturum sit, quod aliquis optet. De hoc lapide legendus Agricola lib. primo de natura fossilium, qui Obsidium lapidem, quem & Gagatem dici tradit pro imagine vmbram reddere scribit, & lib. iv. de fossilium natura Bitumen, ait si fuerit durum, vt poliri possit, Gagates vocatur: Vt verò tueatur veterem sententiam de oppido, & flumine Gaga, quæ certis Auctorū testimonijs afferuntur, videri posse, ait, simul cum deserto oppido paruum amnem nomen mutasse, idem Bitumen durum dici lapidem Obsidianum, quod in Æthiopia inuentum sit ab Obsidio, ex quo fiunt gemmæ, quæ Obsidianæ nominantur. Non est prætermittenda difficultas, & quæstio praxi Medicæ va dè necessaria, quam mouit I. Cęs. Scaliger aduersus Cardanum: Asphaltum, aiunt, in tertio calidum, & siccū esse, Gagates cū nil aliud sit, quam solidum Bitumen, etiamnum siccius erit, emolliri tamen tumores ab eo, scripsit Dioscorides, & Galenus expertus est, at si superat sicca crasis sup rabit, & potestas sicca non emollient igitur illa

sicci-

ſiccitate, quæ ſanè dubitatio non eſt contemnenda; Cardanus pinguedine Gagatis mollificari tumores putauit. Hoc fieri non poſſe Scaliger docet: vinci namq; gradum vnum à tribus gradibus neceſſe eſt: non mollificari Gagate, niſi frigidos tumores, idq; incidendo, & attenuando facere, ignem in Aſphalticis iſtis eſſe efficaciorem, quo craſſa frigida ſoluuntur, & in tenuiores partes digeruntur, quia multum ineſt aëreæ liquiditatis, quæ deprehenditur in Aſphalto, cum modico lenteſcit calore: negat Scaliger abundantem in Gagate pinguedinem, concedit aëream liquiditatem, quoniã illa ab elemento aqueo exuberante prouenit, iſta ab aëreo elemẽto, vt propterea videatur Galeno noſtro aſſentiri Scaliger, qui lib. v. ſimpl. medic. cap. vij. emollientia medicamenta haud inſigniter calefacere, & deſiccare voluit: licet vtrumque præſtare debeant calore, fundendo concretum ſuccum frigidiorem; deſiccatione euacuando alienum, & ſuperuacuum humorem iam calore ſolutum, (quicquid doctiſſimus Valleſius in eius loci Commentario perplexa, & in Galenũ parum æquã diſputatione concludat) acutè profectò Scaliger craſſa frigida in tenuiores partes ſoluta, non abſumi calore illo Gagatis docet; quia multum ineſt illius aereæ liquiditatis, quæ vim emolliendi adiuuat, nec ſinit calore illo Gagatis igneo ſubtiliores partes ſuccorum digeri, craſſioribus remanentibus, à quibus duriorem fieri, & contumaciorem tumorẽ contingit: Debebat ſanè Valleſius melius hanc aëream humiditatem emollientium ab aquea diſtinguere, quo pacto cum Scaligero ſubtiliſſimo Phyſico rectiùs rei veritatem attigiſſet. Cæſalpinus lib. ij. cap. liij. ſcribit, Meſuem oleum ex Gagate per ignem extrahere, quod laudat ad Epilepticos, Dęmoniacos, Paralyſim, conuulſionem Tetanum, præſtare magnum auxilium præfocationi vteri, iuuare ad conceptum; ſimile oleum extrahunt ex ambra nigra, & ex electo, Bituminoſa enim eſt eorum natura, hæc ille; quæ ad Medicam praxim ſummoperè faciunt. Fabulas, & vulgares Cardani narrationes hac in re nihil moror. Illud verè monuerim Muſæi noſtri Gagatem deſcriptis iam dotibus, & viribus præditam eſſe, vt ſæpè oculatis experimentis eſt exploratum. Sed & propediem

dabitur

dabitur opera, vt oleum illud Mesuæ eliciatur, vt remedijs efficacibus abundet seplasia, non solum Musæum ad prospectum exornetur, vt iam cesset exclamare Plinius Hominum fraudes, & ingeniorum capturas officinas inuenisse istas, in quibus sua cuiq; venalis promittatur vita: apud Christianos verus zelus, & communis boni studium hominum saluti semper excubare debet.

DE CHELIDONIO LAPILLO.



CVM de hoc Lapillo Dioscorides lib. ij. cap. ix. scripserit, Dissectis, inquiens, hirundinũ pullis, qui primo partu exclusi sunt, in ventre eorum lapillos offendes, è quibus duos vnum versicolorem, alterum purum eximes, ij priusquam terram attigerint in iuuencæ corio, aut ceruina pelle lacerto, aut collo adalligati comitialibus proderunt, & sæpè prorsus eos recreabunt, græcè est πολλάκις δὲ καὶ παντελῶς ἀποκαταστήσεις vertit, Marcellus sæpè omninò & ad sanitatem restitues, malè Ruellius recreabunt, quod verbum semel à Plinio arreptum passim inculcat, sed aliud est mitigare morbum, aliud omninò tollere; Galenus noster nihil de eo Lapillo memoriæ prodiderit; adeundi igitur erunt Plinius, Albertus Magnus, Agricola, qui de eo meminisse, haud alienum è re proposita putarunt, & Dioscoridi consentiunt: ille sanè lib. ij. cap. xxxvij. ita scribit: In ventre, Hirundinum pullis lapilli candido, aut rubenti colore, qui Chelidonij vocantur, Magicis narrati artibus, reperiuntur, & lib. xxxvij. cap. ix. Chelidoniæ duorum sunt generum hirundinum colore, & altera parte purpureæ nigris interpellantibus maculis: addit magnus Albertus hos lapides valdè paucos existere, se tales vidisse mense Augusto exemptos de ventre hirundinũ, quo tempore extracti magis valere dicuntur, vt plurimum duos in vna hirundine inueniri: Duas eorum haberi species vnam nigrorum, alteram coloris ruffi, qua in re Plinio adstipulatur, nosq; in Musæo CALCEOLARII eas planè deprehendimus. Ruffum (Albertus ait) panno lineo, vel corio vitulino inuo-

lutum

lutum, & ſub ſiniſtra axilla geſtatum, valere contra inſaniam, inueteratos languores, & lunaticam affectionem, ex Conſtantini ſententia valere contra Epilepſiam eodem modo geſtatum: ex aliorum placitis aduerſus noxios humores, & febres: facundum, gratum, & placentem efficere, contra iras, & minas amulætum, lotum aqua oculos ſanare cęptum negotium ad finem lætum perducere: Hîc naſuti quidam phyſici, & elementarij philoſophi, qui vires rerum abditas derident, & nos forſitan talia literis mandantes elato ſupercilio ſubſanabunt: atq; adeò naſo ſuſpendent adunco; ſed quæſo ſolidorum Peripateticæ Philoſophiæ axiomatum recordentur, nec in ſemel arrepta opinione obdurantes, ea temerè proijciant: Deus, & natura nihil fruſtrà moliuntur; quod ſemper, vel frequenter fit, ſtatis naturæ legibus procreatur, quod ex Cardano promptè etiam recipit doctiſſimus Scaliger : at in capite piſcium, ventre, & alijs partibus auium, & quadrupedum gignuntur huiuſmodi lapilli; non igitur fruſtrà facti dicendi ſunt: porrò omnis cauſa efficiens naturalis ab intelligentia non errante veluti manuducta propter aliquem finem agit, quæcunq; molitur; propterea ſi multorum ſęculorum experimentis huiuſmodi lapillorum vires ſunt aliqua ex parte comprobatæ, quæ inuidia, aut obſtinata animi peruerſitas fuerit; omnia negando, aut irridendo, ſcriptorum auctoritati penitus refragari, cum vtrinq; aduerſis, ſententijs pugnatur, media ſimilia veri ſunt, ita me olim docuit Iac. Zabarella Vir Clariſſimus Doctor meus, veriores ſemper eſſe ſubcontrarias propoſitiones, cum contrariæ magnis ſe viribus & argumentorũ præſidijs tueri conantur: aliquibus ergo lapidum viribus, & facultatibus adhibenda fides, & in vſum illæ, & experimentum reuocandæ, atq; adhibendæ; non omnia ſuperſtitiosè admittenda, aut exploranda, vt Mulierculæ, & imperitum vulgus facit, quorum ridicula credulitate ſæpiſſimè magi, & callidi Agyrtæ, & impoſtores ad ſuas fallaces Technas obtrudendas, & promouendas abutuntur; Iſthęc igitur naſuti Peripatetici accuratiſſime expendant, & ſine prauo animi affectu meditentur, & tandem aliquando exiſtiment non omnes rerũ naturalium vires, & effectu in quatuor elementorum

rorum qualitates referri posse, aut debere, & modestè, & sobriè philosophantes præ se spernere iam desinant; omnia profectò propter hominem fecisse Deum naturamq; sapientiores fatentur; Sumus enim nos rerum omnium finis, dicebat Arist. maximus naturæ interpres : ortusque huiusmodi lapillorum Alectorij Chelidonij, aliorum, est secundum naturam, non præter naturam & morbidus (vt in hominibus solet euenire, & Scaliger testatur Statis naturæ legibus eos lapillos generari, ijque maxima ex parte, & vt plurimum in ijs gignuntur animantibus à calore naturali, & vi cœlesti : hoc enim negare, cęcorum, & rudi, stupidoq; ingenio præditorum esset, qui sensus visus pœna indigerent; Colligendum ergò, & concludendum omninò, nisi aduersari principijs physicis, & diuinæ sapientiæ obstinatè velimus, huiusmodi lapillorum virtutes non esse omninò omnes in vniuersũ repudiandas: nec nos eas semper inanibus promissis lactare; causam efficientem, & finem perstrinximus : porrò materia, ex qua procreantur, succus erit alimentarius probè concoctus, & ad vnguem elaboratus, non sinè terreis partibus, qui alendo non sit ea animantia, quæ cum voracia sint, passim multa ingurgitant, quæ concoqui ab ipsis, & elaborari ad suornm corpusculorum nutritionem non semper possunt : ista igitur sapiens natura in lapillos conuertit generi humano fructuosos, & salutares, si ritè eorum vires pensitentur, & continuatis experimentis explorentur; ex multis enim experimentis fiunt memoriæ, ex multis memorijs proloquia generalia, ex quibus artes constituuntur, ad vitam benè degendam accommodatæ: optimæ elaborationis, & coctionis lapillorum, durities, lęuor perspicuitas splendens color, leuitas, quæ exiguam terram inesse, vel optimè cum reliquis elementis permixtam arguit, durationis perpetuitas satis sunt conspicua argumenta; illa rursus abditæ & secretæ facultatis, & virtutis, nec inanis, & superuacaneæ procreationis inditia, quæ ex sola materiæ necessitate proueniat : subest quippè τὸν διότι, καὶ τινὸς ἕνεκα non solam τῆς ὕλης ἀνάγκη, vt cum Aristotele loquar: fateantur igitur oportet Alexandræi seueriores statis ijs naturæ legibus, quibus fieri hos lapillos statuit Scaliger, contineri

omne cauſarum genus effectricem, formam, materiam, finem; ex quarum exacta notitia gigni ſcientiam, Ariſtoteles eſt auctor: Axiomata igitur phyſica, quibus vires horum lapidum, aſſeruntur (neceſſaria enim denuò repetere non erit inutile) ſcitè enim à Platone illud iactatum δὶς, καὶ τρὶς τόγε καλῶς ἔχον ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖ, quod honeſtum, ſcilicet & pulchrum eſt, iterum id, & tertiò repeti ſermone debere; primum erit, Deum, ac naturam nihil fruſtrà facere; ſecundum, quod ſemper, vel frequenter contingit, id ex naturæ certis legibus fieri; tertium, nos eſſe omnium Dominos, & finem rerum à natura procreatarum ex Diuinæ Prouidentiæ præſcripto, & Ariſtotelis teſtimonio: illud mox adnecto; huiuſmodi lapides ſecundum naturæ leges fieri, non præter naturam, vt in hominibus morbo affectis, ergò neceſſariò finem vtilem, & non ſpernendum in rerum natura eos habere: hic cum ad vtilitatem, & incolumitatem generis humani referatur, nemo niſi mente captus inficiabitur, hos lapillos magnis, & admirandis viribus eſſe donatos; vt de ipſis id rectè occini poſſit, Regnat in exiguo præcellens corpore virtus: vt optimè monuit Franciſcus Rueus, cuius totum caput xxij. lib. ij. de gemmis diligenter à curioſo Lectore perlegendum eſt; qui non leuem oſcitantiam cuiuſdam ſcoliaſtę Marbodei arguit, qui, quæ de Herba Chelidonia Plinius diſſeruit, ille ineptè ad gemmam Chelidoniam rettulit, quam probatiſſimam Rueus eſſe comperijt, quæ ſubſtantia puriſſima, ac ſimpliciſſima, & aureis guttis inſignitur. Hermolaus Barbarus lib. 1. cap. CCLIX. diſertè ſcribit, Hirundines Græcè χελιδόνες lapillum dicuntur excluſo pullo dare. Trium earum genera Vrbanarum, Sylueſtrium, quæ nidorum figura deprehenduntur: Riparium, quæ ita vocantur, quoniam in riparum cauis nidificent; hęc doctiſſimus ille Auctor, quę volui idcircò adſcribere, vt etiam Hirundinum genera pernoſcantur, vndè lapis ille comparari poſſit. Sed imprimis verba Agricolę notanda lib. vj. de natura foſſilium circa finem. *Chelidoniæ verò ex Hirundinibus, in quorum ventriculis reperiuntur, nomen traxerunt; his figura globi ferè dimidiati: ſemperque intùs caui, qua de cauſa admodum tenues exiſtunt, in eminentia ſunt plerumq; rauo,*

ſed

sed diluto colore, in caua conuexitate purpureo, nigris interdum interpellantibus maculis, atq; ob id duæ earum species videntur esse, adduntur ad oculorum collyria; de collo puerorum suspensæ ad Comitiales morbos vtiles esse perhibentur: quę verba ob duas causas adscripsi libentissimè; tùm vt sobria philosophandi ratio, quę non omnes vires lapidibus abrogat, tanti Auctoris testimonio illustraretur, tùm quoniam si Chelidonios lapillos Musęi perspexisset Agricola, expressiùs, & pleniùs eos non potuisset describere.

DE LAPIDE BVFFONITE, vulgò Crapaudino, vel del Rospo.



BORAX Lapis (ait Cardanus) sunt qui Chelonitem vocant; inuenitur in capite Buffonis; hoc in loco iure merito Scaliger Cardanum linguæ Græcæ imperitiæ insimulat, qui nescisse videtur, quid inter Buffonem, & Testudinem intersit: χελώνη enim Testudo est, quam Itali haud magna elementorum corruptione Galanam nominant; ab ipsomet Scaligero confictum nomen adiectiuum à Buffone putatur, & lapidem Buffonitem vocatum. Sapientis enim est, & summo ingenio viri, noua rebus imponere nomina, cum prius non erant imposita; id certè mirum ab eo frustrà diù quęsitum, quo nomine Gręci Buffonem vocarent: qui μυοξὸν ab ipsis nominatum putant, tantum, inquit Scaliger, à veritate abesse, quantum à Glire Buffo: Sed quid de hoc lapillo scribat doctissimus vir, & nunquam satis laudatus Hermolaus Barbarus lib. ij. cap. CCLXXXVIIJ. Corollarij operæpretium est diligenter animaduertere: *Buffo inde (ait) vt arbitror à Vergilio, & vulgo dicta, veneficiorum plena, præcipuè officulis duobus, quorum in sinistro latere inuentum* ἀπόκυνον *vocatur, quia canum impetus cohibeat. Recentiores lapidem in capite huius ranæ haberi tradunt, quem ad dolores ilium gestatum probent; sed qui viua ea sit exemptus, quales vulgò magna etiam copia feruntur annulis, quamquam hunc elici potius, quàm eximi viuentibus*

tibus constat puniceo in panno, cuius plurimum colore delectantur; ita dum ipsi feriando relaxant se capitis onus deponunt, id mox in subiectam cistam è medio foramine collabitur, alioquin ea est ijs inuidissima natura, vt lapidem eum, nisi tolleretur, resorbeāt; Hactenus Barbarus, cuius auctoris solido ingenio, & doctrina testimonium ad verbum volui adducere, quoniam haud omnibus passim eius est obuium corollarium; vbi obseruandum, testari Hermolaum huiusmodi Buffonitem lapidem esse recentiorum inuentum; frustra ergò quæri apud veteres Plinium, Galenum, Dioscoridem: Recentiorum illorum nomine potuit Barbarus Albertum Magnum, & illius tempestatis harum rerum peritos auctores innuere: sub Boracis nomine, de hoc lapide scribit Albertus lib. ij. de lapid. pretiosis cap. ij. & vulgò Crepodinas vocari huiusmodi lapides: duorumq; esse generum, album aliquantulum fuscum, & nigrum, quod si à viuo palpitante Buffone extrahatur, oculum in medio habet quasi cęruleum, glutitum sordes, & excrementa purgare intestinorum: subdit Albertus, & temporibus nostris extractus est de Buffone paruus viridis; aliquos etiam vidimus Buffones habentes in se depictos, qui de hoc genere dicebantur: quales nos oculata fide eos existere testari possumus, qui in Musæo asseruantur: Horum auctorum testimonio accedit, & Io. Baptistæ Portæ lib. ij. cap. xxviij. de rebus naturæ admirandis auctoritas, qui sanè (vt nonnulli mihi retulerunt, qui ipsum viuentem nouerant) nihil ferè scriptis mandauit, cuius exactissimum periculum non prius fecisset: is igitur eadem cum Alberto, & Barbaro sentit è capite scilicet Buffonum huiusmodi lapillos eximi, tū eximendi rationem plenissimè docet, nisi quod feriando se relaxare, & capitis onus deponere Buffones non tradit, sed verberum vi antea ad iram inflammatos, per os sponte lapillum euomere: Quæ cnm ita se se habeant, & multorum annorum experimentis sint comprobata, ex Buffonis, scilicet capite erui, & colligi hosce lapillos, facilè quispiam miretur, cur percelebris in Italia Musęi Italicus descriptor asseruerit ex falsa vulgi sententia, *In Buffoniam capite hos lapillos inueniri, cum in saxis fungorum paruorum instar nascantur, quibus non solum figura, sed colore*

lore

lore sunt persimilos, aduersus venena alexitorium existimari, & vim renum lapidem frangendi, & rigores febrium expellendi obtinere: Profectò grauissimorum Auctorum non est spernenda, aut irridenda auctoritas, qui hos lapillos in capitibus Buffonum oriri constanter periculis etiam factis asseuerant: Ne igitur in vitiosa illa opinionum ex aduerso pugnantium extrema impingerent, quæ semper falsitatis suspicionem emunctæ naris viris incutiunt, poterant cum maiori cautione affirmare, & contendere multos ex ijs lapillis in saxis ortos comperiri, qui aliqua similitudine cum Buffonite nos facilè decipiunt, hosq; ab illis proprijs notis propositis exactiùs distinguere: hoc quippè docentis munus erat, non veritatem tot annorum experimentis corroboratam, & probatorum Physicorum testimonijs firmatã, sine vllo rationis, aut experimenti præsidio euertentis. Anne cum Cicerone dicent, opinionum Commenta debet dies, naturæ iudicia confirmat; at eam inueteratam in sapientum mentibus sententiam non deleuit dies, sed potius ostendit nonnullorum inertiam, qui laborem, vel difficultatem ex Buffonibus eliciendi lapillos subterfugientes (vt ex labore procliue est humanum ingenium ad ignauiam, & incuriam.) propter figuræ, & coloris similitudinem istos in saxis enatos admiserunt; alijs spretis, qui in Buffonum capitibus oriuntur; ita facili compendio in veritatis dispendium nos adduxere: ἀμείνω αἴσιμα πάντα meliora, scilicet mediocria omnia monebat Homerus, nec præter Dialecticæ leges argumentatio à κατὰ τὶ ad κατὰ ἁπλῶς erat vsurpanda, quæ ineptissimi Paralogismi vim continet, non enim si aliquis eiusmodi lapillus est saxorum ἀπόφυσις quasi fungosum germem, omnis Buffonis lapis talis est putandus. Quod eo consilio per strictum volui, non vt quidpiam labis, aut reprehensionis tanto illius Musæi scriptori adspergerem, quem eruditum virum, & istarum rerum peritissimum promptè agnosco, & libenter profiteor: Sed potius vt primos Auctores nouitiæ huius sententiæ de Buffonite lapillo modestissime obiurgarem, potius monerem, ne quod à summis proditum est Auctoribus protinùs despicerent, neque arbitrandum temerè, & absq; experimento loquutos, quamquam nobis

bis experimenta minimè ſucceſſerint: quod prudentiſſimum præceptum Antonius Muſa Braſſauolus lib. de medicinis purgantibus cap. ij. tradidit, cum vim capparorum in purganda pituita craſſa ex Dioſcoridis, & Galeni ſententia expenderet: nos enim alioquin ij ſumus, qui ex animo, & candidè viros probos, & eruditos diligimus, & teſtimonio eorum induſtriæ ampliſſimo ornatos volumus; nec quemque ſuorum laborum fructu, qui ſolida eſt non adumbrata gloria, & generis humani commodum, defraudandum iudicemus: qui verò ſe ex deprauata mentis Philautia nullo adhibito critirio, dictatores ſciẽtię, & omnigenę doctrinę conſtituunt; eos Narciſſi ſortem nanciſci, haud grauatè ferimus, tametſi veros criticos ſolem, & ſalem litterarum exiſtimen, ſed monere, & moneri libere velint, nę nimis intelligendo efficiant, vt nihil intelligant. Hæc eò dixi, vt eum errorem, & fallaciam conuellerem, quæ in hanc materiam metallicam, & gemmariam irrepſit, dum nouitij Scriptores ex vna obſeruatione fortuita, & accidentaria ſtatim negant receptas à grauiſſimis Doctoribus ſententias perindè, ac eſſent vulgares fabellæ; ſed proculdubio paralogiſmus eſt, & elenchus reprehenſione dignus, cum ex particulari concludimus vniuerſale, quod hæretici faciunt, cum aiunt hoc miraculum falſum eſt deprehenſum, ergo omnia D. Virginis miracula ſunt inania; quo argumentandi genere nullũ inanius, & ridiculum magis adde noxium, & pernicioſum artibus, & doctrinis; Multi enim propter imperitiam Logicæ, id quod eſt per ſe, ab eo, quod eſt per accidẽs, diſtinguere neſciunt. Obijciunt, ad deſtruendum vnum ſufficere ex recepta Peripateticorum ſententia: reſpondeo id vnum debere eſſe per ſe (non ex accidenti) & quatenus ipſum, & in materia neceſſaria; inductiones ex pluribus particularibus fieri debere, quod præceptum ritè executus eſt contra Cardanum Scaliger, cum Lydium lapidem non ratione coloris nigri explorare aurum, inductione neceſſaria demoſtrauit: quod ſupra perſtrinximus. Prædictis de lapillo Buffonum teſtibus quartus accedat, non contemnendus Auctor, Braſſauolus, cuius nuper mentionem feci, quem Cardanus lib. vij. de ſubtilitate citat ille diſertis

verbis

verbis se in capite illius animalis inuenisse, eum lapidem profitetur, esseq; potius os, quam lapillum: Duplicem esse cauũ, ossiq; persimilem colore fusco pallente, & alterum qui in osse lapidem contin t, verum os capitis existere, quod vetustate concrescit, quia terra alitur. Prudenter, & acutè Tertullianus, Nihil erubescit veritas, nisi solummodò abscondi: vt igitur hæc magis in lucem proferretur, & explorata elucesceret, constitui denuò Musæum nostrum adire, & Buffonitas hos lapillos explorare, & examinare; cum eccè tibi FRANCISCVS CALCEOLARIVS Musæi luculentissimi Dominus, multos mihi huiusmodi lapillos ostendit, quibus coniecturam meam solidè, & planè αὐτοψίᾳ, & oculato experimento confirmatã statim deprehendi: qua re summoperè pro immensa, qua ducitur, indagandæ veritatis cupiditate lętatum vidi ornatissimum CALCEOLARIVM; Aderant Buffonites solidi, & maiusculi variorum colorũ, quos verissimè è Buffonum capite erutos non est dubitandum; aderant, & parui intus caui saxeæ materię adhærescentes, potius adnati, hos duntaxat effigiatos, & descriptos (cum omnes propositæ notæ optimè respondeant) à percelebris illius Musæi descriptore inconfesso est; prætermissos cæteros, qui solidæ substantiæ sunt, & maiusculi diuersorum colorum, vt iam supra exposuimus; quocircà argumentum certè inualidum fuerit: figura, & colore sunt fungis persimiles, ergo ijdẽ omnes, hoc est è saxo procreati: exploranda enim erat substantia, soliditas, magnitudo, colorum varietas, quæ in hac distinguendorum lapidum disciplina sunt differentię, non solum accidentari e, sed & οὐσιώδεις, & essentiales, cum ab inseparabilibus accidentibus, & proprietatibus hauriantur: hæc omnia inditia, & notæ cum non conueniant lapillo illi saxeo; fatendum erit alios Buffonitas Musæi lapides longè ab illo discrepare; cuius veritatis, quæ iam in posterum non erubescet, testimonium à solertissimo Porta eorum ciue (ni fallor) petere poterãt, qui verum Buffonitẽ è capite Buffonum extractum agnoscit, vt supra etiam admonuimus: Hac de re latius disputauimus, tum vt probatorum, & magnorum Auctorum doctrinã sanctam tectam tuerer, tum veritatem ipsa oculorum fide explo-

exploratam illuſtrare, ὅσιον γὰρ (vt cum Ariſtot. dicam, προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν: ſanctum ſcilicet eſſe, veritatem rebus omnibus & amicitiæ etiam anteponere, quam à nobis candido animi affectu (cuius nobis in ſcribendo conſcij ſumus) explicatam eſſe & Deum teſtem laudamus & viros eruditos huiuſmodi rerum, & diſceptationum æquos æſtimatores, qui ſummam eruditionem & diſputandi acumen cum candore, & philoſophica modeſtia coniungunt; garrulos enim, & blaterones ſophiſtas, tumore & oſtentatione Iberica inflatos nihil moramur, à quorum more alienos eſſe ornatiſſimos illius Muſæi ſcriptores, pro certo habeo.

Vix huius lapilli deſcriptionem abſolueram, cum Patauio redditæ mihi ſunt doctiſſimi Pignorij litteræ, in quibus certiorem me fecit, Clariſſimum Virum Adrianum Spigelium Chirurgiæ, & Anatomes primarium Patauij profeſſorem exiſtimare, & pro certo tenere lapillum hunc Buffonitem eſſe partim Metallicum (mineralem vocant) & foſſilem, partim ex Buffonis capite erutum, & naturalem, genusq; oſſis eſſe quale etiam in capite Cyprini inuenitur; Mineralem in Germania reperiri: ſolemnem verò illam, & operóſam extrahendi rationem riſu potius dignam exiſtere, cuius & nos fidem penes Auctores à nobis citatos eſſe volumus. Gallos Crapaudine hunc lapillum vocare, Crapaul enim apud ipſos Buffonem dici. Gauiſus porrò ſum valdè tanti viri, cui primas in hoc genere libenter viri docti deferunt, teſtimonio, & auctoritate noſtram ſententiam de duplici illo Buffonitis genere comprobari.

DE CANCRORVM FLVVIATILIVM LAPILLO.



SSERVARI hunc etiam lapillum in Muſæo deprehendimus ijſdem notis, & viribus à natura donatum, quas optimè, & breuiter deſcripſit Agricola lib. vj. de natura foſſilium verſus finem: reperiuntur, inquit, etiam bini lapilli, ſeu globi dimidiati figura, in cancrorum fluuiatilium capitibus, quos

non-

nonnulli funda claudunt, mouent verò vrinam; De ijsdem scribit Cardanus lib. vij. de subtilit. tradens, alios lapides fieri à frigore, alios à calore: lapides omnes, qui in Cancris, Limacibus, ac Piscibus, alijsque multis huiusmodi gignuntur, lapidum generationem in renibus prohibere, genitosque dissoluere; nam hi lapides in his animalibus immodico frigore concrescunt; epotos igitur renes refrigerare: in hominibus lapides calore immodico generari: talem autem materiam lapideã esse, & frigidissimam: Hinc colligit, vrinæ copiæ, quæ calore renum, vel siccitate fit, præsens afferre auxilium: Verum isthæc censuræ subijci possunt; omnes enim lapides à calore fiunt, si formæ illorum eductionem è materia spectemus; at animantia minùs calida, quæ frigida dicuntur, Limaces, Cancri, Pisces proprium temperamentum lapillo genito impertiuntur, hic igitur effectus prædictos præstabit: at lapides in Taurorum vesica fellea, & hominum, inuenti, si à calore fiunt, minùs debebunt refrigerare; at propter materiam frigidissimã, & lapideam refrigerant: omnes ergo quoad vires, erunt eiusdem conditionis, cum caloris vestigia in lapidibus non remaneant, sed omnes frigidi sint, & terrestres nullis partibus calidis insigniti, nec pinguibus, aëreis donati; quod floribus, radicibus, fructibus, gummatis succis concretis plantarum maxima ex parte cernimus euenire: Hæc diligentius à Cardano erant consideranda, nec impotenti ingenij feruore distinctiones rerum afferendæ, quæ nullæ sunt; vt præ alijs omnibus multa sapere, & reconditæ doctrinæ arcana tenere videretur; Verum ipse, vt lib. xvij. de scientijs profitetur, tardè rationem tradendarum scientiarum à Galeno didicit, cum casu à numine oblato coactus est de ea Galeni sententiam intelligere: sed profectò multa eius errata, eaq; grauissima Iul. Cæs. Scaliger aperuit, à censoribus etiam hæreticæ prauitatis proscripti libri qui superstitiosa multa; & aliena à nostra Sanctissima Religione inculcant: Possumus tamen (ni fallor) de libris subtilitatis, & varietatis rerum id verè, & syncere asserere, quòd Poëta ille de suis Epigrammatis,

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura.

De Cancris pulcherrimam Epiſtolam Chriſtophori Guarinonij, Collegij noſtri Medici Clariſſimi, lib. Conſultationũ cap. xxxv. qui Pragę ſuperioribus annis defunctus eſt, dum Rodulpho II. Imperatori eſſet à Conſilijs valetudinis, ad ſeniorem FRANCISCVM CALCEOLARIVM ſcriptam, per otium lector, & animi cauſa perlegat; qua docet, noſtros vulgò vocatos Gambaros non eſſe Cancros veterum καραβους, qui cauda carebant, & erant rotundi, ab Ariſtotele ſine nomine deſcribi, ob paruitatem non eſſe Aſtacos, ob formam non eſſe fluuiales Cancros: Vide Epiſtolam illam.

DE STELLARIA GEMMA, QVÆ ASTRIOS, Aſterios, Aſteria, Aſtroites, & Aſtrobolos, & Solis Gemma à diuerſis Auctoribus vocatur.



HANC Gemmam, quam in Muſæo pulcherrimam conſpeximus, ex criſtallino ſucco candido gigni, Auctor eſt doctiſſimus Agricola: intus veluti Stella radians candido; vnde à diuerſis Auctoribus, quorum ſcripta collegit Plinius noſter, varijs eadem nominibus videtur nuncupata; quamuis ille Aſteriam dictam putet, quoniam contraria Soli regerat candicantes radios Aſtrium, quod Aſtris oppoſita fulgorem rapiat, ac regerat; Vnam verò eſſe gemmam non plures, probat Agricola; quoniam eadem eſt ferè nominum ratio, eædem regiones, in quibus naſcuntur, Carnania ſcilicet & India; idem color candidus, eadem lux candida, quia rotunda eſt; alius pupillæ, alius Lunæ plenæ, alius Solis orbi perſimilem facit, lucem illam gemma transfundit, cum inclinatione, velut intùs ambulantem ex alio, atq; alio reddens, quæ radiat candido, melior eſt, quæ cęruleo, deterior; vocaturq; Ceraunia, quod in loco à fulmine percuſſo inueniri falsò perſuaſum ſit; quæ colore lumini lucernarum ſimili peſſima, laudatiſſima eſt in Carmania nata, nullaque minùs vitio obnoxia, proxima in India, tertia in Pallenes peninſulæ Thraciæ littoribus, quoniam duro

admo-

admodum gemma eſt, ob id difficilis ad cælandum redditur. Sudines oculis piſcium ſimilem Aſtrobolum dixit: Addit Cæſalpinus, omnes hos lapides hodie vocari oculum felis, qui pupillæ modo radiant, vt felis, modo clarius, modo obſcurius; in omnibus enim inſpicitur lux veluti Stella aut Sol, aut Luna obambulans in declinatione; Aſtroites in magicis à Zoroaſtre miris laudibus decantata, quã tamen inter gemmas non agnoſcit Cardanus, nec Michaël Mercatus à Cæſalpino citatus: parum nomine, ait ille, ab Aſteria differt, multum viribus, & ſubſtantia; nam nec gemma eſt, nec perſpicua, maculis cinerei coloris tota diſtincta eſt: ſponte in Aceto, ac etiam vino mouetur, ac animalium inceſſum imitatur; procedens indè ad latus, indè retrò gradiens: frequens apud nos, & vilis pretij: lapidem conſtare tenui humido, quod ab aceti, & vini vi in vaporem verti poſſet; vndè quærens exitum, nec inueniens, huc illuc lapidem alioquin etiam leuem facilè impellat; tenuitatis vaporis inditium eſt, quod Bullas non mittit, vndè nec meatus habere magnos illum credere oportet; ſunt, qui exiſtiment, collo appenſum victoriam geſtanti conciliare: Hanc igitur cauſam admirandi illius, & plauſibilis apud vulgus effectus Cardanus excogitauit; quam deteriorem putabit ea, quam attulit Agricola, quicunq; Ariſtotelicæ philoſophię ſacris ſit ritè initiatus: ſic enim Agricola. *At quod Aſterites in acetum poſitus vertitur nonnihil in orbem & mouetur de loco hæc cauſa eſt. Stellæ eius ſunt raræ, intermedium verò denſum eſt: earum igitur foramina cum combiberint acetum, expellunt aerem qui lapidem commouet.* hæc profectò ratio veriſimilior: quomodo enim ab aceto, & vino actu frigidis excitari vapores è tenui humido poſſint, cum actiones à δυνάμει tali potentia ſcilicet (agentem virtualem vocant Scholaſtici) non prodeant, niſi ad actum redigatur, excipio cœlum, quod maximis viribus in inferiorem mundum agit & omnia fouet, & tuetur, licet actu tale nõ ſit, lumine. n. & motu tum ſecreta vi influxus primas qualitates gignit, tametſi ijs præditum minimè ſit, vt gemmæ frigidiores cum ſint omnes, & Aſtroites ipſe, quî ſtatim liquores illos ad actũ redigere queant, vt motus à vaporibus ipſi comparetur? hoc igitur Cardanus

viderit: nec cautè satis scripsit Agricola à foraminibus gemmæ, cum combiberint acetum, expelli aerem; quæ enim potest in ijs esse expultrix facultas, quæ viuentium propria est, vel etiam alicuius generis Magnetis, aut electri: dicendum igitur erat, spontè exire aerem, corpori grauiori introeunti cedere, Vt mutua vitetur corporum penetratio, atque insinuatio: Marsilius Ficinus lib. 3. de vita cap. 14. (de vita cœlitus comparãda librum illum inscripsit) multa ex Platonicis recentioribus, & Magis Arabibus congessit, quæ nunquam fortè Platoni in mentem venere: Vt spiritus vitalis, & animalis Solaris fiat, præcipit, vt proprias illus syderis res per gradus descendentes arripiamus, solares scilicet homines, Bruta, plantas, metalla, lapillos, & quæ ad hæc attinent; sic virtutem Solis vsquequaque combibi: inter lapillos nominat Solis oculum figuram pupillæ habentem, ex quo lumen emicat: hic nostra est Asteria: Ex his dominante Sole componendum esse aliquid, quod spiritus solares efficiat: axioma enim est magicum satis vulgatum, per inferiora superioribus consentanea posse homines temporibus opportunis ad cœlestia quodammodo trahi, atque etiam per cœlestia super cœlestia nobis conciliari, ac prorsus insinuari: Sed prudenter adiecit Ficinus, hoc postremum illi viderint: illud certè Platonicum videtur, quod sæpè Franciscus Picolomineus Doctor meus inculcabat: Ita Mundi machinam secum esse connexam, vt in terris cœlestia sint conditione terrena, in cœlo vicissim terrestria dignitate cœlesti; quæ omnia sobriè, & per quandam moralem analogiam accipienda sunt: Hæc enim magna fuit errandi ansa, & occasio; quoniã multi expositores, vt Proclus, Plotinus, & Porphyrius alij, quæ à Platone per allegoriæ inuolucrum, & moralem præceptionẽ dicuntur, ipsi statim, iuxta nudum sensum, vt verba sonant, arripiunt, & mille ridicula somnia fingunt: quod potissimum Arabicis Astrologis euenit, vt sagax, & doctus Ficinus talium alioquin non incuriosus, tandem deprehendit, & ingenuè confessus est. In figuris, & imaginibus gemmarum Agyrtarum ridicula vanitas potissimum elucet: & in medicamentorum illis confectionibus operoso simplicium delectu paratis, quæ à medicellis

auram popularem captantibus mirè,tamque arcana multis talentis redimenda,recipiuntur. Sed Marsilij tempestate nundum Plinius proprium nitorem, & veram lectionem recuperauerat,quam ex Barbari Veneti Patritij Clarissimi castigationibus primum,mox & ex aliorum non aspernandis laboribus ipsi conciliatam cernimus: Sed nec Dioscoridis,Aristotelis,& Galeni summorum virorum lucubrationes vigebant, sed ijs sordida barbarie oppressis, vel potius sepultis,Barbarorum,& Mauritanorum libri præ manibus habebantur, quare ex impuriis lacunis haurientes, illius sæculi studiosi viri superstitiosam magna ex parte doctrinam obtrudebant: tandem aliquando viri eruditissimi ex illo doctrinarum squallore, & cęno caput erigentes commodis, & genuinis interpretationibus, & scholijs proclamarunt ἅλις δρυὸς. Inter hos principem locum Hermolao Barbaro, Leoniceno, Manardo, mox Agricolę libens concedo: sequuti mox sunt laboriosi compilatores alienæ industriæ: quos omnes Philosophiæ, & Medicinæ studia plurimum adiuuisse inconfesso est. Cum hæc scripsissem, incidi forte fortuna in librum Corr. Gesneri de rerum fossilium lapidum, & gemmarum figuris, & similitudinibus, quem misit ille auctor ad FRANCISCVM CALCEOLARIVM seniorem,magnum illius ætatis Botanicum, & huiusmodi rerum perstudiosum, tum indefessum in conquirendis, & examinandis simplicibus medicamentis percelebris Mattheoli comitem. Hic propterea primus Veronæ(& forsan in Italia nostra) Musæum hoc medicũ percelebre instituit, & mirificis rebus pro tempore semper ornatum esse voluit: Is igitur Gesnerus cap.ij. Asteriam vnum separatum delineauit, tum octonos cohærentes ita concinnè iunctos, & aptatos (separabiles tamen) vt nullus artifex potuisset melius: singulis vtrinque stellæ figura, ceu sigillo impressa, vel insculpta videtur. Radij eminent suis angulis quini, inque singulis radijs cauitas media est,margines strijs transuersis sulcantur: substantia eorum prædura est: subdit mox: res admiratione digna, quod non in superficie solum vndique, sed intus etiam in profundo stellarum imagines habet: Suidas in voce ἰχθὺς hæc habet Æsopus, qui Mithridatis à lectionibus

fuit

fuit librum de Helena edidit, in quo tradit, Pana vocari piſcem cetaceum, in quo Aſterites lapis inueniatur, qui accendatur à Sole, & ad Philtra faciat: ritè Geſnerus obijcit non eſſe veriſimile lapidẽ in piſce, aut ceto repertum Sole accendi, eſſe Aſteriam Plinij, neq; reuera accendi, Solis tantum, & Syderum radios regerẽdo ardere, & accendi videri. Diſtinguit etiam Aſteriã à Pęderote, quod hic ad inclinationes colorem mutat, ille rotundam lucẽ incluſam transfundit cum inclinatione, à Dionyſio Afro Ἀστέριος vocatur his verſibus.

Φύεται ἀστέριος καλὸς λίθος, οἷα τις ἀστὴρ
Μαρμαίρων, λύχνις τε πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη.

Laurentius verò Pignorius Patauinus Vir Clariſſimus, & mei amantiſſimus in quadam ſua ad me Epiſtola inueniri teſtatur Aſteriæ, vel Stellariæ genus, cum Crucis figura vtrimq́ue expreſſa hoc pacto  Iam verò quam nam allegoricam pręceptionem ex pulcherrima hacce gemma colligemus? An ad cœleſtium, & beatarum mentium ſplendidiſſimas ſedes noſtrã mentem aſſiduè è terrenarum rerum cęnoſis ſenticetis eſſe erigendam, cum hic ſedem permanentem non habeamus, ſed nobis promiſſum cœleſte domicilium expectemus, huius rei nos à ſplendido, & ſtellato hoc lapillo commonefieri, vt ſępè cum D. Gregorio Nazianzeno ſic nos excitemus.

Θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων τ' ἐπιλήθεο πάντων·

Animæ ſurſum ſpecta, & mortalium omnium obliuiſcere.

ne ſanè vitam tranſigamus, veluti pecora, quæ natura prona, & ventri obedientia finxit, vt ille ait: audiamusq́ue Perſium nos verè increpantem; O curuæ in terras animæ, & cœleſtium inanes. Sed tanti Auctoris, licet Ethnici, altius animo infixum præceptum retineamus.

Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalę lippa propago
Compoſitum ius, faſq; animo, ſanctoſq; receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Pudeat

Pudeat tandem nos tot præſidijs Chriſtianæ pietatis munitos, & ſubnixos, fœdo vitiorum cęno demerſos à gentili Poëta ad lucem, & ſplendorem virtutis, & humani decoris vocari, atq; inflammari. Illud adijciam, clariſſimum Pignorium in ſuis nuperrimis ad me litteris lapidem Crucis ſe habere ſignificaſſe hac figura expreſſum.



Crux eſt candida, vtrimque ducta paribus interuallis.
Lineolæ ad dextram etiam ipſæ albeſcunt.
Reliqua planities lutea.

DE CHRYSOCOLLA.



DE hac Dioſcorides, Plinius, Galenus, Agricola, Cæſalpinus optimè tractarunt; nos ex ijs ea colligemus, quæ ad rem noſtram faciant, & Chryſocollam in Muſæo aſſeruatam benè deſcribant. Duplicem eſſe Chryſocollam, natiuam, & factitiam ex Plinio colligit Agricola lib. iij. de natura foſſilium.: nomen hoc primum inditum factitiæ à Gręcis, qua aurum cum auro conglutinetnr, indè in natiuam, & alterius generis factitiam deriuatum propter coloris ſimilitudinem, quæ his ſolet eſſe cum illa, ait Agricola: natiua, aut reperitur per ſe plerunq; arenæ ſimilis, vel materiæ metallicæ adhæret, naſcitur enim in ærarijs metallis, ex ære.n. tantum fit. Ex Armenia allatam, quæ ad ſatietatem calorem praſſij imitatur, Dioſcor. omnibus præfert; ſecundas tribuit Macedonicæ, ſed doctè monet Agricola noſter, eius bonitatem rectius ſpectari ex colore, & viribus quam æſtimetur ex loco in quo naſcitur: Color enim omni natiuæ eſt viridis: Sed quæ viret ad ſatietatem, vt adhuc metallicę materię adhęreſcens ad Smeragdi viriditatem videatur accedere, longè optima cenſetur; alia habet viriditatem dilutam, alia mediam, quæ proindè viliores exiſtunt; prima in Muſæo, vt præcisè deſcripta eſt, aſſeruatur; Factitia Chryſocolla duplex;

duplex; altera fit ex dura natiua,tingiturq; herba lutea, ob id herbacea dicta, atq; ea laudatiſſima, natiuaq; pretioſior, cuius conficiendę rationem tradit Plinius: eius erui color eſt, vndè ὀροβῖτις à Græcis vocatur; Altera, qua Aurifices vtuntur, & quam Dioſcorides in Æruginum numero repoſuit,dicitur Santerna, conſtatq; ex Cypria Ærugine, pueri impubis vrina, nitro, Galenus lib. ix. de ſimpl. Dioſcoridem ſequutus, ex ęrugine, & vrina tantum fieri ſcribit: omni Chryſocolla Pictores vtuntur, Aurifices ea ſola, qua aurum cum auro, argentum cum argento conglutinatur: eadem vtuntur Medici, & foſſili, propterea Græcè ἀκέστις nominatur; vtraq; digerit, & exſiccat, & cum carnes liquefaciat,non tamen vehementer mordet; idcircò aptiſſima vlceribus,quæ curationi contumaciter reſiſtũt: Factitia quanto magis deſiccat, minus verò mordet, quam natiua,tantò magis tenuas habet partes; quod ſi vſta fuerit,multò fit tenuior, ſicuti aliæ res foſſiles, vt rectè docuit Galenus, modica potu mouet vomitiones, interficit multa. Chryſocolla Nero princeps ad ſpectacula eſt abuſus, ea enim arenam Circi ſtrauit, cum ipſe (inquit Plinius) concolori panno aurigaturus eſſet: antè verò eum Caligula eundem Circum minio, & Chryſocolla conſtrauit: hæc ex Agricola, & Plinio lib. xxxiij. cap. v. qui & dari in Angina orthopnęaq; miſcendam cũ melle docet, concitare vomitationes, & miſceri collyrijs ad cicatrices oculorum, ac viridibus emplaſtris ad dolores mitigandos, & cicatrices trahendas. Cæſalpinus lib. ij. cap. LXIIJ. breuiter, & diſtinctè ſuo more ex Plinij, & Dioſcoridis auctoritate de Chryſocolla agens,ſic ſcribit, Chryſocolla inter pigmenta recenſetur colore virenti, limus autem potius eſt, quam lapis humor per venam auri defluens craſſeſcente limo rigoribus hyberins vſq; ad duritiem lapidis: reliqua apud eum legat candidus Lector, loco citato, & Hermolaum lib. v. cap. CMXL. Corollarij, Dioſcoridem lib. v. cap. XCV.

DE

DE LAPIDE LINCVRIO, vel LYNCIS.


TANTA eſt veterum in hiſtoria Lyncurij varietas (ait Marcellus Virgilius) vt nihil cenſere de eo audeamus, Dioſcorides lib. ij. cap. lxxiij. ſcribit. Lyncis vrina, quam Lyncurium dicunt, creditur eiecta ſtatim lapideſcere, ſed falsò, διὸ καὶ ματαίαν ἔχει τὴν ἱστορίαν, eam ſcilicet ob cauſam ſtultam habet hiſtoriam; eſt enim Lyncurium, quod à quibuſdam electrum πτερυγοφόρον, quod eſt plumas trahens, dicitur. Id in aqua potum ſtomacho, & fluenti aluo accommodatum eſt, hæc Dioſcorides, Plinius lib. xxxviij. cap. iij. falſum docet eſſe, gemmam ea appellatione reperiri, nec æuo ſuo viſam, & falſum totum, quod de Medicinis eius proditur, & foliorum, aut ſtramentorum tractione. At lib. viij. cap. xxxviij. de Lynce loquens, Lyncum humor ait ita redditus vbi gignuntur glaciatur, areſcitq; in gemmas carbunculis ſimiles, & igneo colore fulgentes, Lyncurium vocatas, atq; ob id ſuccino à pleriſque ita generari prodito. Nouere hoc, ſciuntq; Lynces & inuidentes vrinam terra operiunt, eòq; celerius ſolidatur illa: hæc ille, quibus non omninò ſibi conſtare videtur. Hoc poſtremo tamen loco Plinius noſter lapidē Lyncis, de quo optime tractat Cæſalpinus lib. ij. cap. xlv. viſus eſt deſcripſiſſe ex vrina Lyncis procreatum, qui vulgo Lupus Ceruarius vocatur, hæc micta in montibus coagulatur in lapidem, qui in Domo ſeruatus gignit optimos fungos toto anno: valet cōtra dolorē ſtomachi icterum, & fluxus ventris: hæc ex Arabis Euacis ſententia refert Cæſalpinns; Alij gemmam diuerſam ab Electro igneo colore carbunculo ſimilem, atq; frigidam quæ & ſcalpatur, è fœminis præſertim cicuribus candidam, & languidam exiſtere putant, nec frondes & acus modò rapere, ſed æris quoq;, ferriq; Bracteolas, vt Diocles, & Theophraſtus referunt; Idem Theophtaſtus Lyncurio tribuit fungos ferre: ſubdit idem Cæſalpinus; Hodiè Neapoli notiſſimus eſt lapis, qui Domi aſſeruatus, ſi irrigetur, fungos fert toto anno; de quo Hermolaus

lib. iv. Corollarij cap. de fungis,inquit;oritur fungus,& è ſaxo, ideſt lapide Lyncurio, ſine Lynce vulgari voce dicto, admirabili natura, præciditur hic in Eſum, & alius ſubnaſcitur anno toto pediculi pars relicta duratur in Silicem, atque ita ſemper creſcit lapis reſtibili fęcunditate, nec credidimus, antequam domi natos ita manducaremus, hæc Barbarus: Corticem populi cæſum, & ſulcis ſtercoratis mandatum omni anni tempore fungos ediles proferre, Dioſcorides etiam; tradidit hos vel ex loci natura, vel ob certam irrigationem, & ſtercorationem, vel ex Lyncum vrina concreſcere in lapides,cenſet Cęſalpinus: nam & in vrina humana ineſſe vim petrificam, aut lapidificam eo argumento probat; quoniam matulæ loricam contrahunt, & veluti cruſtam lapidoſam; non ex illo humore conſtare hos lapides, hoc enim iure viſum incredibile, & ματαίαν ἱστορίαν (vt ait Dioſcorides) continere,ſed ſuccum lapideſcentem,qui in vrina latet, ad eorum concretionem facere; colligit demum non eſſe repudiandos hos lapides, qui quaſi per manus hucusque ſunt ab antiquis traditi hoc nomine: Recipitur lapis Lyncis à Nicolao Alexandrino in compoſitionibus facientibus ad calculum & vitia renum, & veſicæ, quod & populi albæ cortex facit, teſte Dioſcoride: Hæc ſanè Ciſalpini viri prudentis,& excuſſi iudicij ſententia longè magis mihi probatur, quam aliorum, qui vel idem cum ſuccino, & electro faciunt Lyncis lapidem cum electrum ſuccus terræ pinguis ſit, & Bituminoſus, vt alibi ex Agricolę ſententia optime oſtendit Excellentiſſimus Cerutus Muſæi pag. cxxc.; vel omninò repudiant tamquam fabuloſos lapides, vt ſoli ſapere videãtur omnia audacter, & elato ſupercilio negant, hæreticorum more conſenſum Doctorum, & totius antiquitatis flocci facientes: vt in lapide Buffonite perſtrinximus, non diſtinguendo quod eſt per ſe ab eo, quod per accidens exiſtit, & ex vno fallaci, vel captioſo experimento de toto genere perperam, peruerſèque ſentientes.

DE

DE OPHITE.



SSERVATVR & in Musæo lapis Ophites Gesneri, quē sub hoc nomine donauit CALCEOLARIO Seniori Prosper Borgoruccius, Reginæ Galliæ præstantissimus Medicus, hic ad secundam speciem Ophitis à Dioscoride positam pertinet; ita de eo Gesnerus lib. de figura Gemmarū non longè à principio, Ophites quidam cinerei coloris, & punctis varius est κατεστιγμένος Dioscoridi, Epiphanius Sapphiri speciem χρυσοστιγῆ facit, punctis maiores sunt Bullæ, & verrucę, hæc ille. Dioscorides ὃ δὲ σποδοειδὴς τὴν χρόαν, καὶ κατεστιγμένος quidam cinereo colore, & punctis variatus; talis profectò est Musæi Ophites, quem ritè conspeximus, & manibus contrectauimus. Omnes adalligati (subdit Dioscorides) contra serpentium morsus, & capitis dolores εὐχρηστοῦσιν vtiles sunt: ex alijs generibus vnum est graui odore, & nigrum, ita multi vertunt: Sed cum simpliciter βαρὺς scribat Dioscorides, sine additione ὀσμῆ odore, aut non dixerit βαρύοσμος, cogitent eruditi, an grauitas hæc, ad pondus referri debeat, alterum genus candidis lineis intercurrentibus: ὄφις Græcè serpens, à cuius tergoris colore dictum Ophitem putandum est.

DE BELI OCVLO.



E hac gemma præclarè, & breuiter doctissimus Agricola lib. vj. de fossilium natura scribit; cuius verbis expressum, & delineatum Musæi Belloculum intelligemus, vt Achatæ, & Ponticæ interdum imagines rerum reddunt, ita Oculum Gemma, quam veteres Beli oculum nominarunt, quod & Belo Assyriorum Deo esset sacrata, & Oculi effigiem quodammodo exprimeret: Iuniores, corrupto vocabulo, Belloculum, & si ipsi ita se gemmam appellare aiunt, quod pulchra sit, & aliquam ad Oculum similitudinem habeat: albicans enim (inquit Pli-

nius lib.xxxvij. cap. x.) pupillam pingit nigram, è medio aureo fulgore lucentem, hæc propter suam speciem Sacratissimo Assyriorum Deo dicatur: aliam autem, quam Belum vocant, in Arbelis nasci, Democritus tradit nucis iuglandis magnitudine vitrea specie. In eodem capite paulò post subdit Plinius: Eumetrem Beli gemmam Sanctissimi Deorum sibi Assyrij appellant porracei coloris, superstitionibus gratam; Vt verò naturæ lusus egregios spectaremus, quæ in rebus mutis, & sensus expertibus animantium partes solet affabrè repręsentare, Lycophthalmom gemmam reperiri scimus ex oculo lupino, cuius figuram exprimit, nomine imposito sit ægophthalmum ex caprino, hyophthalmũ ex Sicillo: Triophthalmum ex tribus hominis; non sine fortasſè arcano facultatis mysterio, qua prodesse illarum animantium oculis iuremeritò credi possint.

DE OBSIDIANO LAPIDE PLINII.



PLINIVS lib. xxxvj. cap. xxvj. de hoc lapide plura eleganter scribit: In genere (ait) vitri, & Obsidiana numerantur ad similitudinem lapidis, quem in Æthiopia inuenit Obsidius nigerrimi coloris, aliquando & translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine vmbras reddentem: Gemmas multi ex eo faciunt, vidimus & solidas imagines Diui Augusti capti materia huius crassitudinis, dicauitq; ipse pro miraculo in Templo Concordiæ Obsidianos quatuor Elephantos; subdit paulo post, Ex quo apparet antiquior materiæ origo, nunc vitri similitudine interpollata. Xenocrates Obsidianum lapidem in India, & in Samio Italiæ, & ad Oceanum in Hispania nasci tradit; paulo post: maximus tamen honos in candido translucentibus, quam proxima crystalli similitudine, qualis ferè illa est gemma, quam in Musæo nostro asseruari vidimus. Cæsalpinus lib. ij. cap. xiij. hodiè (ait) foditur Serauitiæ, & Carrariæ in Etruria quoddam adeò atrum, vt cum perpolitum est, speculi modò synceras imagines reflectat; huiusmodi visitur Pisis ad postes templi Episcopalis.

Agri-

Agricola lib. iv. de natura fossilium initio ex succo pingui naturali cognatione cum sulphure iuncto, quem Græci Ἄσφαλτον Latini nominant Bitumen, constare Obsidianum lapidem testatur; alibi in eodem libro docet, idem Bitumen durum dici lapidem Obsidianum, quod in Æthiopia inuentum sit ab Obsidio, ex quo fieri gemmas, quæ Obsidianæ nominantur. Indię populos (aiunt) ex eo gladios, & nouaculas conficere, & in suprema hastilium parte arctè obligatas in gerendo bello eas vsurpare.

DE TAVRORVM FELLIS, & Renum lapide.



INVENIRI in his Taurorum, aut Bouum partibus lapillos fetetur summus vir I. Cæs. Scaliger exercit. cxxv. contra Cardanum, cum scribit. Iudaicum lapidem, & eum, qui in spongia, quiq; in Tauri fellis vesicella calidus est, & Arabicè dicitur Harathzi, ad renum refrigerationem, qui det, inueniam neminem: paulò post idem Scaliger: Eum, qui est in felle Tauri, ad Icteritiam facere, Moses Kymhi scriptum reliquit in suis Commentarijs: Gesnerus cap. xij. par. iij. de figuris lapidum ita scriptum de his lapillis reliquit: De lapide in felle Bouum; Taurorum maxime iam olim annotaui quædam in historia quadrupedum de Boue pag. lxx. & in Tauro cix. De eodem lege Auicennam in vltimo ex quatuor illis capitibus, quæ libro ij. eius Bellunensis præmisit; vbi & descriptionem eius, & ex eo remedia ponit: Syluaticus Massatium interpretatur lapidem, qui in felle Bouis inueniatur. Scaliger Haratzi Arabicè dici, scribit: Eum, qui est in felle Tauri ad Icterum facere Moses Kimhi scriptum reliquit in suis Commentarijs, Ego talem ab amico missum habeo, ruffi caloris, friabilem. E' rene Bouis lapidem Aldrouandus Bononiæ habet: hactenus Gesnerus: alij tradunt lapides fellis esse friabiles non duræ, & solidæ substantiæ, colore felli bubulo haud dissimiles,

apud

apud Turcas, & Iudæos maxime æſtimari, quibus nullum præſentius remedium ad morbum regium propulſandum norunt: in renibus inuentos Taurorum rubentes eſſe veluti aura tunica nitente opertos, duros admodum, alios rotundos, alios oblongos, alios planos, vt in noſtro Muſæo videre eſt, quibus notis vtriq; lapides inter ſe facilè diſtingui valeant.

Lapidis Fellis Tauri mentionem fecit Io. Baptiſta Oliuus, Medicus Cremonenſis in ſua Teſtificatione de reconditis, & præcipuis collectaneis Muſæi CALCEOLARII abhinc quadraginta, & ampliùs annis impreſſa, dum ſcribit, Lapis in felle Taurino repertus, de quo Auicenna, colore auri, haud ſecus, ac alia peregrina, hic inuenitur; hunc libellum Clariſs. Mercuriali dicatum, præ manibus Lectori habendum cenſeo, cum breuiſſimum, nec omninò ſterilem catalogum contineat pręcipuarũ rerum, quæ eo tempore duntaxat in Muſeo aſſeruabantur.

DE PYRITE LAPIDE.



INEPTVS ſim, ſi quæ de Pyrite lapide optimi Auctores tradunt, velim omnia huc congerere, vel tranſcribere Galenus, Plinius, Agricola, Cęſalpinus; quæ expeditè cuiuis apud ipſos, & alios legere licet: locum Dioſcoridis conſiderabo, quem & Cęſalpinus examinat: Pyrites, inquit, lapidis genus eſt, à quo æs extrahitur, ἀφ᾽ οὗ χαλκὸς μεταλλεύεται, à quo æs foditur: alij experientię, à quo æs conflatur, obijcit Cęſalpinus hoc repugnare experiẽtiæ, quod enim ignis ſcintillas edit ſterile reperiri, at æris vena, ſeu terra, ſeu lapis ſit ignem attritu non edit, ergo Pyrites non eſt dicenda: Hęc enim ex igne nomen inuenit, quòd ferri, aut alterius duri lapidis conflictu ex ipſo elici poſſit: Ariſtoteles, & Theophraſtus πυρίμαχον vocarunt, quod igni repugnet, nam in ardentes tantum fornaces coniectus fluit (ait Agricola) at vbi defluxerit in Catinum rurſus concreſcit, & dureſcit: aliquando effoditur Pyrites, qui de materia, quæ in terra tamquam in fornace fluxit, ortus videtur eſſe,

esse, & quamuis nihil interdum in se continet metalli, lapis tum purus non est, sed mistum, costatq; ex lapide, & materia quadam metallica, cui propria est forma: ea licet malleo non possit tractari, igni liquescit, & fundi potest, in Pyrite tamen sępius insunt metalla, testè eodem Agricola accuratissimo materiæ metallicæ exploratore, vt qui vanitate ingenij, & innouandi cupiditate contra eum sentiat, nihil sentiat: nominat loca vndè effoditur, metallo aliquo insignitus, & vbi nihil habet metalli: subdit mox, Ex quibus intelligi potest, veteres rerum scriptores, qui ex Pyrite tantum æs excoqui memoriæ tradiderunt, multa ignorasse: Nec solū differt Pyrites à Pyrite metallo, quod in se continet, sed colore, nam alius est aureo colore aliùs argenteo, vtrumq; Marchesitam Mauri vocant, & in Musęo nostro præcisè conspicitur. Vterque tamen speciem habet æris: Iam verò Dioscoridis sententiam ita accipiendam Cæsalpinus monet vt Pyritis lapis in metallis ęris reperiatur; illi adstipulari Plinium, cum inquit, in Cypro eum reperiri volunt, & in metallis, quæ sunt circa Acarnaniam vnum argenteo colore, alterum aureo: Auicennas etiam æreo, & ferreo. Sed cum Cęsalpinus scribit, recentiores fateri ex Pyrite, tametsi cuiuscunq; metalli colore reperiatur, nullum tamen metallum destillare, sed in igne euanescere, in fumum relicto corpore quodam nigro, & inutili, fortè Agricolę repugnare existimandus est: qui disertè docet, in fornacem coniectum Pyritem fluere, & cum defluxit in Catinum concrescere rursus, & durescere; non ergo ita inutile corpus redditur, vt dictitāt illi recentiores, quos, quales sint, non aperit Cęsalpinus: Chymicos, vel Alchemistas esse opinor; qui sus deq; omnia permiscētes verissimis veterum dogmatibus reluctantur; quasi ipsi soli maxima in rebus naturalibus Arcana nuper in lucem protulerint. sed dum aliàs diligenter (cum essem Iunior) Theophrasti Paracelsi, & asseclarum decreta, an somnia? expenderem, & ad normam Peripateticam explorarem, inueni sophismata putidissima à me sæpissimè damnata in omnibus meis lucubrationibus; dum ex particulari experimento fallaci homunciones vaniloqui, & Barbari generalibus, & receptis doctrinis, & pro-

loquijs

loquijs repugnare audent: quæ peſſima argumentandi ratio Theologiam veterem Catholicam, philoſophiam, Medicinam, Iuriſprudentiam, omnes Artes vitæ. Communi vtiles vexare,& pollucere non deſtitiſſet,niſi Viri graues,optimis diſciplinis innutriti Bellarminus, Manardus, Eraſtus, Decennius,Riolanus, alij, latius ſerpenti peſti ſummis viribus obſtitiſſent: rude igitur illud & fallax igniendi Pyritis experimentum non debet Agricolæ doctrinam infringere, cum hic moderata ignitione liquationem ſolum lapidis procurarit, non conſumata vſtione ipſius in fumum conuerſionem. Alia eius genera Dioſcorides innuit, cum inquit ſeligendum eſſe æri ſimilem, quaſi reperiantur alij,quos reſpuit, frequentiſſimum apud nos eſſe Pyritem, vbi æs reperitur, & Calcanthum, ſed & in metallis ferri, adhærere enim quandoque ei ferri venam in Ilua Cæſalpinus teſtatur, ob ſimilitudinem Adamantis: Androdamus inter gemmas à Plinio dicitur: Melle irrigatum, ait Dioſcorides ἔνθες εἰς ἀνθρακίαν μαλακὴν lentis carbonibus imponito, flatuque continuè, donec ruffeſcat, accendito, & friabilis efficiatur: Tam crudi, quam vſti uis eſt excalefacere abſtergere, offuſam oculis caliginem expurgare, duricias coquere, concoctas diſcutere: lapidem Luminis vocant Arabes, ob vim diſcutiendi oculorum caligines,validam vim in halitum digerendi habere Pyritem Galenus teſtatur; ſed plura de ipſo ſcripſimus, quam initio decreueramus, quæ tamen ſtudioſo Lectori non omninò futura ſint infructuoſa: libet adijcere ex Cardano lib. v. de Miſtis: ſi Pyrites acendatur acri aceto inſperſo, lienem prædurum colliquat, ſi quid aliud: quod & à Galeno lib. ij. ad Glauc. traditum; cauſa eſt partium tenuitas & caliditas, quæ lienem per cutim, & peritonarum ingrediens extenuat; per ſe vix liqueſcere, adiecto plumbo ſolui,quod omnibus aridioribus metallicis contingit, cum plumbo miſtum notularum pro typis virgulas efficere.

DE

DE PHRYGIO LAPIDE.



LINII nostri verba de lapide Phrygio sunt, *Phrygius lapis Gentis nomen habet, est autem gleba pumicosa, vritur autem vino perfusus, flaturque follibus donec rufescat, ac rursus dulci vino restinguitur, & hoc trinis vicibus tingendis vestibus tantum vtilis:* hæc ille; Cum verò & ad Medicos vsus à Galeno, Dioscoride, Agricola adhibeatur, nec hoc prodat Plinius, probabili coniectura fatendum,quod doctissimus Marsilius Cagnatus Ciuis noster lib. ij. obseruat cap. xxviij. contendit, Plinium.s. nihil à Dioscoride accepisse, atquè ipso fuisse ætate anteriorem; quod & Hermolaus Barbarus in castigationibus Plinianis testatur, cum Dioscoridem, aut Plinio contemporaneum, aut non multò posteriorem fuisse scripsit: quorsum enim Phrygium tingendis tantùm vestibus vtilem dixisset, cum & à Dioscoride alios eius vsus, & vires ediscere potuisset? ex iisdem igitur Auctoribus ambo hauserunt, sed adiecit Dioscorides, quæ proprijs experimentis, vel ex Medicorum recentiũ libris obseruarat: Nasci in Cappadocia Phrygium Dioscorides docet, optimum haberi pallidum, modicè grauem inæquali corporis compage intercedentibus albis segmentis (διαζώσεις habet Dioscorides) vt in Cadmia: Huiusmodi notis insignitum in Musæo asseruari deprehendi: sed & in Hispania nasci circa Segobricam Vrbem copiosum testatur Agricola, in Gallia non ita multum, in Germania etiam, & alibi terrarum passim haberi, & in Italia Bononiæ, vbi pars murorum ex eo fuit, & reperiri in fundamentis adhuc crebrum. quemdam valdè mollem, vt est Cappadocicus quemdam duritie marmoris, qui à molli specie non differt, sed sola duritie, ob quam in crustas fundi nequeat cum mollis in valdè tenues findatur: Solis calores, & hyemis frigora ferre: sed imbrium adeò esse impatientem, vt si vel magnæ eius moles ipsis sint expositæ facilè corrumpantur; quoniam perspicuus est, ex eo Senecæ memoria cæperunt fieri specularia, quæ fenestris inserta aerem excluderent, transmitterent lumen, eius ramenta in vino auste-

ro pota Dysentericis auxiliantur, vsti verò puluis insperssus fistulosis vlceribus breui tempore carnem generet : hæc est Agricola : Mirum porrò videri possit, cur scribat Cæsalpinus, vulgò non cognosci Phrygium : existimat tamen haberi in Italia, & vbicunq; efficitur Chalcanthum, cum enim ad tingendas vestes eo vterentur veteres, putandum est Calchanthi vim obtinere. Eo combusto semper se vsum Galenus lib. ix. de simpl. medic. profitetur ad vlcera putrida, validè enim desiccat, habens quiddam adstrictionis simul, & mordicationis; Mox documentum aureum subijcit, idemmet Galenus Medicis, & Chirurgis memoria tenendum; Ea esse optima medicamenta, plurimiq; vsus, quę mistas in se se duas facultates habent, nempè repercutientem, & digerentem, quæ digestio non ex Arabicorum auctorum more accipienda, hoc est pro concoctione, sed ex latini sermonis proprietate, pro insensili dissolutione, & discussione; tanti refert Medicos, eam primam disciplinam non spernere, quam pernecessariam passim Galenus ipse ad artem ritè percipiendam, & exercendam est professus.

DE SAMIO LAPILLO DIOSCORIDIS.



AMIVM lapidem in Samia terra reperiri testatur Dioscorides, quo Aurifices vtuntur πρὸς τὸ λεαίνειν, καὶ στιλβεῖν, ad læuorem scilicet, & fulgorem auro conciliandum: Probatur candore, & duritie (στιβαρὸς Græcè) melius Marcellus Virgilius,

Solidus hoc est benè compactus, & soliditate firmatus,

Multa enim dura esse possunt, quæ solida non sint, vt pote quæ perfectè mista non sunt, nec lento humore vndiquaquè conglobata, & solidata: soliditas enim optimam semper arguit mistionem; quo nomine aurum creditur ferro esse solidius, & grauius, ob perfectam, & exquisitam mistionem. Vis ei adstrictoria, & refrigerans ἀφελῶν στομαχικὰς ἐν ποτῷ vertit Marcellus, bibitur vtiliter cibum in stomacho non continentibus, melius Ruellius; Prodest stomachicis potus, latiùs enim patent stomachi

machi affectus, & intemperies illa cibi incontinentia, quamuis non diffitear ea voce potiſſimum eos, quibus vis ſtomachi ſubuerſa eſt ſignificari, cum retentrix ſcilicet, & coctrix oblęduntur, vt supernè, vel infernè cibaria cruda, & incococta deijciantur ἀμβλυντικὸν τοῖς αἰσθητηρίοις vim ſcilicet habet obtundentem ſenſoria, quæ ſunt ſenſuum organa: malè Ruellius ſenſus hebetat: aliud enim αἴσθησις, aliud αἰσθητήριον: quo indicatur leuiorem longè eſſe offenſam, quam ſi ſenſus ipſi graui ſtupore afficerentur. Ad lachrymationes oculorum, & vlcera cum lacte efficax partus, vt tradunt, adligatus accelerat, & conceptus fœminarum cuſtodit ſic Ruellius: Græcè δοκεῖ δὲ καὶ ὠκυτόκιος εἶναι: videtur partum celerem reddere καὶ φυλακτήριος συνειληφυιῶν εἶναι περιαπτόμενος melius Marcellus adalligatum vtero gerentibus amuletum eſſe, περίαπτα enim amulata; & συνειλήφυιαι, quę vtero conceperunt ſignificant: hæc ex Dioſcoride, quę Samio in Muſæo aſſeruato optimè reſpondent: Lapis autem Samius (ſcribit Cæſalpinus) in eadem Ilua foditur lapide quidem conſiſtentia, ſed tactu linguæ adhæret, vt terra: calamitam albam vocant; abutuntur Magi ad amatoria, quia trahere temerè putatur carnem, vt Magnes ferrum: cæteros præcellere candidos, & ſubduros ex Dioſcoride tradit Agricola: ita enim εἰβαρὶν vertit; ex quo intelligi vult, alios Samios dari, nec candidos, & molles, vt ipſemet in Germania ſua reperiri teſtatur in venis terræ pinguis, & glutinoſæ procreatos Samiæ perſimiles cinereos, pallidos, interdum molles interdum ſubduros, pleriq́ue omnes planos ex cruſtis conſtantes, intùs nitentes, extrinſecùs aſperos, quare etiam ipſi auro poliendo vtiles; ex candido, quia ſpecioſus, factam eſſe gemmam, quam Zoroaſtres exhebenum nominauit; Samium, quia refrigerat, & adſtringit cotibus attritum cum lacte prodeſſe ad oculorum lachrymationes, & vlcera, quibus Dioſcoridi conſentit Agricola, & ijs, quæ in Muſæo comperiuntur, adſtipulatur.

DE STROMBITE AGRICOLÆ.


ASCVNTVR in terra glutinosa (teste Agricola lib. v. de natura fossilium) quæ est in venis venulis, commissuris saxorum, testis aquatilium similes lapides; sed quantò terra crassior, quam aqua, tantò imperfectiores gignit formas, & quæ animantibus careant: quod genus lapidis reperiri in Germania, & in tractu Saxoniæ Hildesheimio in saxis in multis regionibus docet. Itaq; Strombites similis est Cochleæ aquatili; ex amplo enim in tenue turbinis instar deficit, in Spiram à dextra tortus: is interdum est breuis, interdum longus dodrantem, intùs candidus, extrinsecùs terræ, in qua nascitur, colorem assumit; reperitur in Saxonia in Galgebergi lapidicinis, & in noua vrbis parte, cum fodiuntur cellæ, in quibus vinũ, Ceruisiaq; recondi solet, hæc Agricola: de hoc eodem lapide; & Cardanus lib. vij. subtilitate breuissimè scripsit, Strombites (inquiens) in Cochleæ formam turbinatus, atque in acutum tendens; Dixerat paulò antè, Conchyliorum testas, cum diuturnæ sunt inter lapides, & sub terra multis in locis lapidescere forma retenta, mutata autem substantia; horum quædam esse sagacis naturę, & certũ finem spectantis, quædam perennis mundi argumenta, quasi Regio illa, vbi Conchyliorum testæ comperiuntur perfusa antea mari fuerit.

DE LAPIDE ALABANDICO.


E Carbunculorum generibus scribens Plinius noster lib. XXXVII. cap. VII. inter ea collocat Alabandicos in Orthosia caute nascentes, sed qui perficiantur Alabandis; paulo post Alabandicos cæteris nigriores, scabrosque esse docet; præterea in omni genere masculos appellari acriores, fœminas languidiùs refulgentes: alibi tamen Plinius lib. s. xxxv. cap. viij.

inter

inter lapides simpliciter visus Alabandicum connumerare: è diuerso inquit niger est Alabandicus terræ suę nomine quamquam & Mileti nascens, ad purpuram tamen magis adspectu declinante, idemq; liquatur igni, funditurque ad vsum vitri. Eadem ferè Agricola lib. v. de natura fossilium, cum enim tria lapidum genera attulisset, qui in ardentes fornaces coniecti fluant, cum igni facilè liquescant, vnum gemmis simillimum translucidis, alterum eis non multum simile: tertium ex quo conficitur vitrum, prími generis fuisse lapidem Alabandicum docet si modò fuit alius à Carbunculo Alabandico; tum verba Plinij subijcit, quibus lapidem descripsit, à nobis paulò antè commemorata, qua in re omnem debuisset scrupulum eximere Agricolæ Plinius ipse, quem præ manibus in re metallica describenda diligenter hab bat, cum distinctis capitibus de Carbunculo Alabandico, & lapide huius nominis agat, quare hunc alium fuisse à Carbunculo Alabandico non est ambigendum: De his lapillis generatim tradit Agricola: Qui poliri non possunt è gemmarum numero eximendos esse, tametsi Aurifices eos, quos natura fecit lęues, & quibus aptam formam dedit, in annulos, & fundam includant: Pharmacopolas non rarò his vti pro Hyacinthis, pro Sapphiris, pro Smaragdis, pro Carbunculis. lib. vj. de natura fossilium Agricola Alabandici meminit, quem corrupto vocabulo dici Alamandinum testatur. Hîc est Carbunculus, cuius Cæsalpinus, ex recentiorum Gemmariorum sententia, vulgaribus nominibus sex genera ponit Spinellas Rubinos, Balascos, Granatos, Alamandinos, quasi corrupta voce, Alabandicos, Granatis nigriores, vltimo Almandinos varij coloris interstinguentibus maculis albis: Singulorum descriptionem lege apud Cæsalpinum, qui Medicos solum granatos recipere docet inter fragmenta preciosa: Vires ijs adscribit lætificandi cor, & tristitiam pellendi: Albertus præter Vires cæterorum lapillorum, & expellendi venenum facultatem Carbunculis attribuit: Spinellorũ rubedo dilutior, sed maximè splendens: rubinorum intensior, Balascorum cęteris dilutior: Granati dicti à granis mali punici nigrioris adspectus, nonnisi in clariori lumine radiant; quos omnes

omnes cum Musæi gemmas perlustrarem facilè comperi, & manibus contrectaui. Nec prætereunda Barbari auctoritas, viri, cui parem sua nullum ætas habuit v. lib. cap. CMLXXXIIX. corollarij; color Alabandico subnigrat ex ruffo, perspicuus est, vt ignis, & quibusdam quasi rimulis, venisq; dehiscit; Capillos albos attritus inficit, hæc ille.

DE ALABASTRITE.



LAPIDEM Alabastritem, teste Plinio lib. XXXV. cap. viij. ad vasa vnguentaria cauant, quoniam optimè seruare incorrupta dicitur: In Alabastro Ægypti circa Thebas nascitur, & circa Damascum Syriæ, hic cæteris candidior, probatissimus in Carmania, vilissimus, & sine vllo nitore in Cappadocia, probatur quàmmaxime mellei coloris in vertice maculosi, atq; non translucidi: Vitia in ijs corneus color, aut candidus, & quicquid vitro simile est. Onyx etiam appellatur, ob vnguis humanæ similitudinem, à qua dictum Onychem gemmam ob candorem, inquit Hermolaus lib. v. loc. cit., quæ gemma ab Alabastrite differt: hunc sic vocatum fuisse testis Dioscorides, & Galenus; & Martialis in Papilum lib. vij.

Vnguentum fuerat quod Onyx modo parua gerebat,
Olfecit postquam Papilus, eccè garum est.

Lib. vij. de subtilit. Cardanus sic: Ex Alabastro Pyxides pro odoratis vnguentis fiunt; id robustius vitro, metallicis purius, figulinis præstat, quòd minùs combibat, aut remittat vnguenti, ergò & illius necessarius vsus fuit: Dioscorides lib. v. cap. CXLIV. Alabastritem vocatum Onychem crematum resina, aut pice assumpta duritias discutere docet; stomachi dolores, cum cerato leuare, Gingiuas comprimere: Verum cur huiusmodi vasa incorruptum vnguentum seruare dicuntur? Cardanus putat, quod minus combibant, aut remittant vnguenti. At hoc potiùs ad imminutionem, & iacturam pertinet impositi vnguenti: aliud enim est seruare incorruptum,

putan-

putarim ego, cum putredo omnis à caloris ambientis acris vi prodeat ob Alabastri densitatem, & soliditatem, nihil recipi aëris, propterea seruari res incorruptas, & integras: nam & periti Pharmacopæi solent oleo imposito multos liquores, quos volunt perennare, ab aëris noxis, & iniurijs tueri. Exustus Alabastrites emplastris conuenit: Sunt hodie, ait Cæsalpinus, qui crudũ cerato imponunt Refrigeratorio; appellant vnguentum de Alabastro: sed ad partes contusas etiam post tertium diem vtiliter adhibetur: Alabastrum alij genus limpidi marmoris, & albi quod visui est peruiũ putarunt: hos falli putat cũ Onychem gemmam describãt, quam vulgò Calcedonium vocamus; præterea vri Alabastritem in medicamentis tradunt Antiqui, at Onyx gemma non crematur cum ex ijs lapillis sit, qui attritu scintillas edunt, & funduntur cum sale fossili exceptum Alabastritem grauitates oris, & dentium extenuare testatur Agricola lib. vij. de natura fossilium.

DE VASIS EX ALABASTRO, *Quæ in Musæo asseruantur.*



NONNVLLA huiusmodi vasa in Musęo CALCEOLARIO asseruantur, ex his aliqua forte fortuna inuenta ab Agricola, dum terram altiùs foderet in Villa Ripulæ CALCEOLARIORVM ad Baldi montis radices sitæ: Quatuor potissimum ex purissimo, & perfectissimo Alabastro effossa; quæ lapideo operculo circundata, & operta vasa sunt, humani sceleti ibidem comperti capiti, & pedibus olim admota, vt verisimiliter coniectari potuit cum ijs simul peruetustus ensis, & argentei annuli cum lapillis cęruleis inuenti: Vsq; adeò id profectò verissimum est, quod vir doctus amicus meus profitetur, fortunam solitam esse homines alicuius honestæ rei peramantes, eius rei non aspernenda supellectile interdum locupletare: ita enim Sors, Fatum, quæ sunt Dei Opt. Max. voluntas nobis incognita, huius pulcherrimi Musæi confectionem, & incrementum fouere, &

re, & iuuare non destiterunt: Ripulæ verò Castellum est antiquissimum, mirifica cœli amęnitate, & salubritate donatum, cuius mentionem etiam fecerunt Sarayna, & Curtius Historici nostrates satis percelebres: Hanc sibi sedem in decrepita ætate (vt vitam salubrius transigeret) delegerat CALCEOLARIVS Senior Musæi institutor, in qua etiam (cum cæcitate laboraret, summa cum animi tranquillitate omnibus ciuibus carus, & pergratus apud exteros verò summa nominis sui commendatione insignis, & semper prædicandus, nonagenarius extremum clausit diem.

DE CRVCIS LAPILLO.



LAPILLOS etiam nonnullos Crucis Sanctissimæ figura insignitos in hoc præclaro Musæo asseruatos deprehendi: subcinerei sunt coloris non sine aliqua rubedine, figura rotundæ proxima: in cuius medio nigri coloris lineæ, veluti striæ in quatuor angulos rectos distributæ, Crucis formam affabrè effingunt, à qua nomen sumptum: Constans fama est peritorum hominum firmata testimonijs, ex monte D. Petri de Rubia in Galitia, vel Asturia Hispaniæ Prouincia erui, atque haberi: Nonnulli putant lapidis illius esse speciem, de quo Agricola lib. v. de natura fossilium versus finem scripsit, eius porrò sunt verba: *In candido subrutilus (Alabandicus scilicet) Annebergi in metallo argentario repertus est Crucis figura, cuius recta pars longa sexquipalmum, transuersa palmum vnum; illa ferè integrum digitum lata, hæc dimidium; vtraque vnciam crassa:* Sed profectò aliud est lapidem in se ipso Crucis figuram veluti sculptam habere, qualis est noster Crucius; aliud ipsummet torum lapillum Crucis formam repręsentare; hoc autem ex verbis Agricolæ lapidi illi Alabandico adscribere possumus: qui forsitan Asteriæ affinis existimandus. Laurentius Pignorius Patauinus vir eximia eruditione, rerum veterum notitia, morum candore, & sanctitate clarissimus, qui mensę Isiacę interpretationẽ,

& de feruis, & feruitute veterum præclaras, & elegantiffimas lucubrationes apud feram pofteritatem numquam intermorituras in lucem edidit: fuperiori menfe Septemb. datis ad me literis (vt mihi eft omnibus verè beneuolentiæ neceffitudinibus coniunctiffimus) certiorem me fecit: fe Crucis lapillum confpexiffe dimidiatum pollicem oblongum, tantundem latũ, duabus ftrijs candidis in vtraque facie infignitum, quæ fe ad rectos angulos interfecabant, colorem lapilli cinereum non fine obfcuritate extitiffe: omnia ifthæc in eo fuiffe naturalia, nulla artificij, aut cælaturæ ope fubnixa: fubiecit deinceps Stellariam illam, de qua cap. de Afteria fuperius fcripfimus, quæ vtrimq; formam Crucis gerit hoc pacto ✚: Ex quibus facilè mihi videor Viri doctiffimi fententiam percipere poffe: Hos nimirum Crucis lapides Afteriæ, vel Stellariæ effe genera, quod nuper litteris ad me denuò datis ex fententia Clariffimi Spigellij palam mihi fignificatum voluit idem doctiffimus Pignorius. Crux enim ad Stellarum figuram proximè accedit; Immo Stellæ, & Sydera ipfa ad Crucis figuram à fummo rerum Opifice effiċta (fi quæ de noui Orbis inuenti Cruciero vocato vera funt) deprehenduntur; Vt nimirum in lapidibus his Afturijs, Alabandico Agricolę, & Plãta Granadilla nuncupata, & alibi efficta, & naturaliter expreffa Crux nos moneat immenfæ DEI Opt. Max. benignitatis, qui nos huic ligno fuffixus à peccati dura feruitute redemit, doceatq; noftros etiam prauos affectus, & effręnes cupiditates Cruci, cũ D. Paulo affigendas non Hypocritarum more, ignaua opera, philofopha fententia, quorum vita, & corrupti mores à doctrina femper diffentiunt, fed vt veros chrifticolas, qui Militiæ CHRISTI nomen dederunt, decet, qui non exaggerationibus, & fpeciofis nugis, vt auram popularem captent, & Domos Viduarum in longis orationibus deuorent, fed germana animi pietate, & factis ipfis, folidaq; virtutum exercitatione tria illa pernitiofa Idola, quæ omnes omnium ordinum homines perturbant, pedibus conculcent, Ambitionem, Auaritiam, & Voluptatem noxiam: & veri Chriftiani characterem,

qui ipſum ab alijs diſtinguit eſſe exiſtiment, Charitatem, Animi ſubmiſſionem, Conſtantiam, Temperantiam, Fortitudinem, Manſuetudinem, quarum Virtutum habitus non in ſcholis ad oſtentationem differendo, & blaterando, ſed per repetitos actus contrahitur; & per aſſiduas, & actuoſas Sanctiſſimorum Virorum, qui nos ætate præceſſerunt, quorumvè in Eccleſia Catholica fit commemoratio ſolemnis, imitationes: Da imitari quod colimus, clamat Eccleſia, & profecto præ-
Lactantius lib. 5. ſtantiſſimus, ac religioſiſſimus cultus eſt, imitari; Hocce etiam certiſſimum eſt ritè educandæ Iuuentutis fundamentum, & baſis, quod etiam Magnus Plato cognouit, cum gaudere, de quibus gaudendum, & dolere, de quibus dolendum, ſi aſſueſcant per virtutum actus pueri; cum ex Ephębis exceſſerint Viros optimos, & Ciues præclaros futuros docuit. De Cruce præclaram hiſtoriam Ruffinus, Sozomanus,
Cap. 8. & Suidas narrant Lipſio Viro Clariſsimo teſte libro primo de Cruce, Cum Serapidis Templum in Ægypto dirueretur, quaſdam ex ijs, quas vocant Hieroglyphicas notas, ſimiles ſigno Crucis inſcriptas, lapidibus apparuiſſe: ab ijs, qui docti erant hæc talia, explicatam eam notam ſignificare, vitam venturam: In obeliſcis etiam Romam vectis ſculpta Crux, cum Anſula ſupernè, vt docet Lipſius: Anſatam Crucem, & digitis apprehenſam in primo ſegmento Menſæ Iſiacæ obſeruauit Pignorius Vir Clariſſimus in Iſiacæ menſæ expoſitione pag. IX. quaſi moneamur apprehendere Crucē, & eam tenere, vt μυστικῶς Becanus eſt interpretatus; quem Crucis vſum recipit Pignorius ſcribens fruſtrà conatum eum euertere doctiſſimum
Lib. pri. cap. 8. Lipſium in ſuis libris de Cruce in notis: ingenioſam, & piam Bacani allegoriam amplector: excuſandum tamen aliqua ex parte Lipſium exiſtimarim (ſi per Pignorium tantum Virum, & mihi amiciſſimum liceat) cum per annulum illum, vel anſulam oculum notatum voluit ex ſententia Macrobij lib. I. Saturn. cap. XXI. oculo enim oſirim monſtrari, quia Solem, Iouis oculum, appellauit Antiquitas. Subdit Lipſius, Et ſanè quia ſignum hoc, Tau, vitam venturam deſignauit, nonne appoſitè Sol adſcriptus, qui Auctor vitæ? non enim putauit

Lipſius

Lipsius antiquissimis ijs Ægyptijs Crucis Dominicæ in mentem venire potuisse, cum in densissimæ ignorantiæ tenebris, & caligine versarentur; nec tam altè ad futura hæc salutis mysteria mentē possent erigere, quare futuram vitam, quæ à Sole per temporum vicissitudines rebus naturalibus tribuitur eo annulo significatam à sapientibus Ægyptijs verisimiliter coniecit. Non est tamen inficiandum mysticam illā expositionem à Pignorio probatam pietati nostræ valdè esse consentaneam, & forsan Sacratissimi mysterij prænunciam illam Crucem Ægyptiam fuisse; cum abdito Spiritus Sancti impulsu multa, & seria ab Ethnicis, rerum futurarum alioquin ignaris, ad vnguem pronunciata, & antè oculos posita videantur: Iam verò ignoscat nobis pius, & doctus Lector, si valdè à re proposita digredi Crucis mentio coëgit: Volebam enim has nostras Musæi celeberrimi descriptiones haud omninò esse ad mores ritè informandos infrugiferas; illius Socratici apud Xenophontem præcepti memor, omnem disceptationem, & narrationem esse inanem, & superuacuam, à qua quiuis se ipso melior non efficiatur: Ad lapillos reuertor, Commodum cecidit, Lector optimè, vt, cum Crucis lapidis descriptionem absoluerem, litteras à Clarissimo Medico Ludouico Septalio Mediolanensi illic primario, & publico Philosophiæ moralis professore acciperem, in quibus de huiusmodi lapide hæc in latinum à me conuersa mecum ingenuè communicauit.

Lapidem Crucis rem nouam esse, nec à veteribus (quoad speciem) cognitam existimo, sicuti nec ab Agricola, Cardano, Gesnero, Cæsalpino, aut huius classis alio scriptore: frustulum eius habeo, quod diuisum intus, & extra Crucem ostendit coloris nigri splendidi, aut purpurei obscuri; substantia externa, cum quatuor Strijs est in causa, vt præter Crucem intermediam in extremis partibus secta Crucem effingat: substantia interna, quæ sine Cruce est coloris est cinerei: superficies Strias cinereas habet, cum portiuncula rubri coloris, quod reliquum est superficiei colorem mistum ex cinereo, & nigro habet: Adeò mollis est lapis, vt ab eo facilè abradi possit puluis: Ex genere cornuum fossilium esse puto, vt lapis Belemnites, & Iudaicus hunc enim vndequaque Strijs à natura, illum multis scissuris internis

donatum cernimus; vt Cryſtallus; & Berillus ſemper oritur exagonus, vt paſſim in valle Tarri viſuntur, adeò affabrè à natura elaboratos, vt nullus artifex eius attingere peritiam poſſit: Crucis ergò figura in hoc lapide nulli admirationem debet incutere, nec magis eius quærendam rationem, quam talium ſtirpium, florum, fructuum; immò, & animantium quæritur, xx. milliaribus procul à Templo Diui Iacobi Compoſtellæ inuenitur, & effoditur: Si geſtetur, itaut carnem tangat, profluuia ſanguinis, vndecumque fluat, ſiſtendi vim ipſi adſcribunt: Lac etiam in mammis propagandi, & collo appenſum vt carnes attingat, omnes febres abigendi: harum porrò facultatum nullum hactenus ego periculum feci: Hæc clariſſimus Septalius, vt in omnibus ſuis lucubrationibus exactam, & ſolidam ſcribendi, & philoſophandi rationem adhibet, quod ſatis præclara commentaria in lib. Hyppocratis de Aere, aquis, & locis, In Probl. Philoſophi, liber de Næuis, animaduerſiones practicæ, atq; alia tanti ingenij monumenta declarant.

DE COCHLITE GESNERI.



NON poſſum Cochleas lapideas Muſæi expreſſius deſcribere, quã Geſneri verbis, qui eas habuit, & contrectauit: ita enim libro de figuris lapidum cap. xiij. ſcriptum reliquit: *Cochleæ lapideæ genus planum, vel ſeſſile ſubruffo colore foris, intùs albo: Conchas, & Cochleas huiuſmodi aliquot Dominicus Montheſaurus Medicus, & Philoſophus incomparabilis Veronæ, & Franciſcus Calceolarius eadem in Vrbe Pharmacopœus peritiſſimus ad me miſerunt:* ſubdit, *Lapis cum Cochleis lapideis partim extantibus, partim in eo latentibus, itaut totus ex eis compoſitus videatur, poteſt autem Cochlates vocari.* Hos omnes propria ſingulorum effigie expreſſos, & adamuſſim delineatos in Muſæo, & κειμηλίῳ nr̃o aſſeruari vidimus, quorum ortum, & cauſas vt pernoſcamus non verebor doctiſſimi Agricolæ ſententiam adſcribere ex lib. IV. de ortu, & cauſis ſubterraneorum in fine: Cochleas verò (ait) in ſaxis repertas calor concluſus ex materia pingui, &

lenta

lenta efficere videtur, & ex eâdem gignere musculos Murices, Conchylia, sed terra, quanto est crassior, quam mare, tanto ea magis imperfecta gignuntur, hæc ille.

GÆODES LAPIS.



NTER eos lapides, quos Theophrastus, & Mutianus parere crediderunt: Geodem connumerari (testis Agricola) qui terram in se candidam continet: in collibus sabulosis, & argillosis, propè Leuanẽ, quà tenditur Aretium, oritur (ait Cęsalp.) candidus figura oblonga vtrimq; acuminata: Ex argilla parũ addensata constare videtur: Si frangatur plenus eius substantiæ per crustas aggregatæ deprehenditur friabilis, instar Bezaar: quare pro Bezaar fossili in Ægypto quidam acceperunt: ætitem fœminam Plinius non absimilem tradit in Africa nascentem. Gęodes ergo dicitur, quasi lapidosa quędam Argilla, lib. v. Dioscor. ei tribuit adstringendi, & siccandi vim, oculorum caligines discutiendi, & illitu ex aqua testium, & mammarum inflammationes sedandi, ὄρχεων genitalium, vertit Marcellus; rectius, testium, Ruellius, illud enim Marcelli nomen multis alijs partibus generationi dicatis potest cõuenire, & pręcisè testes à Dioscoride nominatos legimus: tanti refert vocis proprietatem referre.

Lib. 5. de nat. foss.

Lib. 2. cap. 47.

MOLIBDÆNA, *seu* PLVMBAGO.



E Molibdæna legẽdus diligenter Cæsalpinus lib. iij. de metall. cap. xxij. qui Dioscoridem, & Plinium auctores citat: Optima est Plumbago flaua, quæ argenti spumæ spetiem refert λιθαργυροφανής, Dioscor. habet, Lithergyro similis, quæ modicè splendet, in attritu ruffescit, vitiosa, quæ colore aë-

rem,

rem, aut plumbum præfefert: Ex auro, & argento gignitur, quod Marcellus ex Plinij verbis exponit adhærefcere eam dicentis argenti, & auri fornacibus: Eft & foffilis ad febaftram, & Corycum reperta, quo in genere probatur minimè lapidosa, nec Scoriam referens; hinc Galenus multam fe confpexiffe teftatur in via proiectam ab artificibus, Lithargyro, & Scoriæ Plumbi vim fimilem obtinet, carnem creat, & cicatrices inducit, fed glutinantibus, & abftergentibus δυνάμεσιν non conuenit. Molibdęna etiam herba eft Plinio lib. xxv. cap. xiij. fic fcribenti, *Nafcitur vulgo Molybdęna, ideft Plumbago, etiam in Aruo folio Lapathi, craffa radice, hifpida, Hac commenducata, fi oculus fubindè leniatur, plumbum, quod eft genus vitij, ex oculo tollitur.* De metallica Molybdæna in Bermanno copiosè, & acutè egit Agricola, quam fuo tempore Seplafijs, & Medicis ignoratam fcribit; lib. etiam IX. & X. de natura foffilium eius meminit, quæ loca curiofus Lector adire poterit, fi pleniorem eius notitiam nancifci voluerit, & de re metallica lib. IX. & VII. eiufdem Auctoris legendus, vbi Molibdęnã effe additamentum ex eorum genere, quæ admifta venis metallorum & probandis, & excoquendis cum facilè liquefcunt, çætera liquant, difertè docet.

LVPI SPVMA.



CVM in Mufęo hunc contemplarer lapidem, illum effe deprehendi, de quo Agricola lib. v. de natura foffilium fcribit his verbis. *Quinetiam niger quidam lapis inuenitur prorfus colore fimilis illi, ex quo conflatur candidum plumbum, fed adeò leuis, vt mox intelligas inanem effe, & in fe habere nullum metallum, hunc noftri appellant Lupi Spumam; Idem albus, etiam luteus, fubuiridis inuenitur, quamuis rarius in ijfdem plumbi candidi venis reperiatur lapis fubrutilus, atq; non ferè aliter, ac argenti fpuma fplendens, & friabilis:* hæc Agricola.

GALA-

GALACTITES.



X Saxis calcis, ſed cinereis gigni Galactitem, & Melititem, quos viribus conſimiles facit Dioſcorides, teſtatur Agricola lib. v. de natura foſſil. Vtrumq; cinereum eſſe, vtrumque cotibus attritum ſuccum lacteum reddere, ex quo Galactites nomen inuenit, vtriuſq; ſuccus eſt dulcis, ſed dulcior Meletitæ à melle propter ſimilitudinem ſaporis appellati, Acheloum Amnem Galactitem mittere, ſubdit Agricola, reperiri ad Saxonum Riuos: in tractu Hindelsheimio erui è foſſa arenaria, qui ſingulis annis ex lacteo, & glutinoſo ſucco capit incrementum, vndè nonnullos magnitudine capitis pueri ſolere inueniri; vterq; quia caloris aliquid habet, abſtergit, ſed plus meletites, quia plus habet caloris: vterque etiam ad oculorum deſtillationes, & vlcera vtiliter inungitur: Galactites nutricibus, quæ eum tritum cum aqua, vel vino dulci biberint, facere dicitur lactis fœcunditatem; lapides, qui in Argæo Cappadociæ nati in lacteum ſuccum reſoluuntur, renum calculos frangere auctor eſt Galenus, Plinius eius meminit inter Gemmas, vt optimè obſeruat Cæſalpinus, ex vno colore lactis eſſe ait; at cinerei coloris ἔντεφρον τὴν χρόαν ſtatuit Dioſcorides, vt patet, vt propterea dubitarit Hermolaus Barbarus lib. v. Corollarij, an de hoc lapillo intelligat an diuerſo: Sed profectò conciliare Plinium Dioſcoridi poſſumus, ſi dixerimus Plinium ſuccum lacteum ſpectaſſe, quem de ſe emittit, & à quo ei nomen inditum, quaſi totus lacteę naturæ, & conditionis exiſtat, vt ſi lactarium dixeris, qua ratione etiã probantur Vires: at Dioſcorides colorem, qui primo ſe nobis obtutu offert, lapidis deſignauit, vt ritè eum à cæteris dignoſcere valeamus. Mirum de eo narrat Hermolaus; in ore liqueſcere, & memoriam adimere, vel iniuriarum; gratiſſimum ſanè futurum Themiſtocli obliuionis Artem optanti. Huiuſmodi lapides, qui dum coti atteruntur, ſuccum reddunt facti ſunt (teſte Agricola) ex eo, quod aqua abraſit è ſaxis, &

Lib. 2. c. 6. de Metall.

ter-

terris, cum ſubſedit, vt Hæmatites, Schiſtos, quorum parens rubrica, Halactites, Melatites, quos ſaxum calcis parit, vt ſupra perſtrinximus.

DE STIMMI, vel STIBIO.



I qua de Stibij natura, & viribus paſſim à claſſicis Auctoribus ſunt memoriæ prodita huc afferre, & tranſcribere velim in immenſũ excreſcat caput neceſſe erit, & ſuperuacanea lectione lectorẽ eruditum onerarim: quędã propterea magis vtilia, & curioſa ſeligæm, quorum notitia praxi Medicæ, & Theoriticæ etiam contemplationi ſit profutura στίμμι à Græci dicitur, colore nõnihil ſimile lapidi Plumbario, ſed magis nitet, & candidus eſt, à Plinio Spumæ lapis candentis dicitur, propter ſimilitudinem coloris, & nitoris cum ſpuma argenti; Diuiditur in marem, & fœminam: horridior, ſcabroſior, & minùs ponderoſus Mas, & minus radiens: Fœmina contra nitidior, friabilis, & fiſſuris dehiſcens; in Germania, Boemia & Norico reperitur, teſte Agricola, & in multis Italiæ locis, ſed imprimis ad Senenſis Ditionis oppida Maſſam, Marennam, Souanam, & in Seluena regione Comitatus Sanctæ Floræ. Probat Dioſcor. quod maximè radiat, quod cum frangimus, in cruſtas diuiditur, quod friabile; hoc à Plinio fœmina vocatur, quod terra, & ſordibus caret: Tale vſtum in paſtillos formabatur, quibus Hippocratis tempore quadrata teſſerarum figura fortè tribuebatur; hinç τετράγωνον ab eo appellatum, nec enim cruſtis, & glebis nondum diuiſis eſt ea figura: noſtris temporibus foſſile non venditur, ſed excoctum (ait Agricola) exſiccat, & adſtringit, quocirca ad oculorum Collyria additur γυναίκιον & ομμότροφον etiam nominatur, quoniã nigro tingens colore cilijs mulieres illinunt; πλατυόφθαλμον etiã quoniã artificioſa hęc tinctura oculos dilatare videtur: Eius præparandi rationem in vſum etiam medicum ad vomitiones, & deiectiones prouocandas pręclarè

Agricola lib. 10. de nat. foſs.

ſcripſit

ſcripſit P. Andreas Mattheolus Vir celeberrimus,& de re Medica optime meritus, qui communi doctorum hominum ſorte parum æqua multorum iudicia experitur, qui ab eo præclarè, & laborioſè inuentis multa addiderunt,vel in meliorem conditionem mutarunt: Vnus profectò omnia inuenire, perficere, & ad vnguem elaborare non potuit: Sed audiendus eſt Ariſtoteles ſummus ſapientiæ Arbiter lib. ij. metaph. cap. primò: vbi ſic vetuſtiorum Auctorum cauſam tuetur, & veluti iudex pro æquo, & homo iudicium interpoſuit ſuum: *Verum non ſolum illis* (ait) *agendæ ſunt gratiæ quorum opinionibus quis acquieſcet, ſed illis qui ſuperficie tenùs dixerunt: conferunt enim aliquid etiam iſti: Habitum namq; noſtrum exercuerunt. Si enim Timotheus non fuiſſet, multum Melodiæ nequaquam habuiſſemus; ſi tamen Phrinis non extitiſſet, ne Timotheus quidem: ſimili modo & de illis ſe habet, qui de veritate aſſeruerunt, à quibuſdam enim aliquas accepimus opiniones, quidam verò, vt hi fierent, cauſa fuerunt:* Quæ Ariſtotelis verba ediſcenda, & in promptu habenda,cum ſatis ſuperq; eorum induſtriam, qui primi Artium,& diſciplinarum ſemina, & fundamenta iecerunt, ab omni non ſolum crimine, ſed criminis ſuſpicatione vindicent: quamquam & illud audeo ingenuè, & verè profiteri Mattheolo, & Calceolario noſtro, nullum ſuo tempore in conquirendis, & examinandis ſimplicibus medicamentis,& re omni metallica,& foſſili parem extitiſſe: prȩter vnum Georgium Agricolam parem in exploranda re metallica, in deſcribenda aliqua ex parte fortaſsè ſuperiorem. Cum nuper in ornatiſſimorum Virorum Conuentu hac de re ſermo, an diſceptatio? incidiſſet,extemplò hac Ariſtotelis auctoritate veterum ſtudium,& labores defenſos volui. Cum potiſſimum recentiores nonnulli vt nouitatis lenocinio nobilium, & Principum aures captent; quæſtionis propoſitæ ſtatum aliorſum torqueant ἀδιανοήτοις libros inferciant, tùm lubricis,ambagioſisq; coniecturis veterum Auctorum teſtimonia eludant, ſic rudibus imponere, doctiorum cenſuram effugere ſe poſſe ſperantes; poſſem propoſitis exemplis iſthæc comprobare, ſed aliò noſtra properat oratio.
Theodori Zuingeri filius Iacobus Vir doctiſſimus, & linguæ

Græcę cognitione Medicus illuſtris, librum edidit, quem examen Principiorum Chymicorum inſcripſit: eius libri cap. iij. quo probat Stibium, Hydrargyrũ, Calcanthum, ſulphur introrſum quoq; accepiſſe antiquos, me tamquam Teſtem Stibium non auerſantem producit ex libro meo ſecundo quæſtionum Philoſ. & Medic. quas cum in Collegium Veronenſe Medicorum abhinc annis xxvij. cooptarer, in lucem edidi, & eidem ampliſſimo Collegio nuncupaui: ego ſanè Stibium, tamquam validum vomitorium medicamentum probaui; ob quam facultatem, ea omnia beneficia, & adiumenta præſtari in curandis ijs morbis, quos recenſet doctiſſimus Zuingerus, exiſtimo: reuocantur enim à viſceribus, ac neruis ad ventrem per vomitionis vehementiam ſucci præter naturam, & obſtruẽtes humores à locis, vbi pertinaciter hærent obſtructi, dimouentur, vt hoc pacto febres diuturnæ, & contumaces Autumni tempore, & Arthritides, quæ nulli remediorum generi ceſſerant, expeditiſſime, & miraculi inſtar curatæ comperiantur, quod mihi ſępiſſimè vſuueniſſe recordor, & potiſſimum (vt vnicum ęgrotum honoris cauſa nominem) in Reuer. ſcilicet Conſtantino Gandino Dominicano, qui nuper Prouincialis dignitate perfungens, diem ſuum Patauij obijt, vir pietate, prudentia, humanitate, & omni virtutum, & eruditionis genere clariſſimus: Is cum aliàs cœnobij Veronenſis Præſidem ageret (Priorem, vocant) arthritide generali, eaque acerbiſſima conflictabatur, quæ nullis remedijs tolli poterat; mox infuſo ſex granorum Stibij alternis diebus quater exhibito, & per vomitum multa eiecta pituita, & bili, è veſtigio liber, & immunis ab omni Artuum dolore redditus eſt; Verum in noſtris Medicis obſeruationibus, in quibus rariores, & magis admirabiles curationes ſcribimus, hæc omnia ſingillatim, & exactius ſumus perſequuti. Quod verò Zuingerus locum Dioſcoridis lib. IV. cap. CLVI. ad probandum Stibium maioris deiectionis petendæ gratia non reſpui, in medium proferat, an ad rem omninò faciat, doctiores Medici candidè, & accuratè expendant; cum enim ibi de Elaterio loquatur Dioſcorides; Quòd ſi in animo ſit (inquit) deiectionem moliri adiecto ſalis duplo, καὶ στίμμεως, ὅσον χρῶσαι,

Stibij

Stibij scilicet; quod colorare sufficiat ex aqua, erui magnitudine, catapotia dato. Videtur quippè tota purgatio Elaterio, & duplo salis addito accepta referenda, Stibium ad colorandum adiectum, qui medicamenta colorandi vsus apud veteres inualuisse visus: Propter ea, quæ pro vetustiorum quantumuis rudi industria ex Aristotele perstrinxi, vt criticorum hodiernorum candoris, & ingenuæ modestiæ cõmonefacerem, velim id etiam Demosthenis præceptum memoria teneri, qui non solum eloquentia, sed & sapientia plurimum valuit; omnium facillimum est semetipsum decipere, quod enim quisq; vult, idem etiam sibi fingit, sæpè autem natura rerum alia est: quod si hominum φιλαυτία ingenuæ admonitioni acquiescere noluerit in aurem insusurrabo illud Possidonij apud Senecam; Vnum diem hominum eruditorum plus patere, quam imperiti longissimam ætatem.

LAPIS SANGVINALIS.



LAPIDEM hunc olim CALCEOLARIO Seniori donauit Melchior Guilandinus, Academię Patauinę Botanicus, & Horti medici Præfectus celeberrimus, cuius de Papyro Plinij syntagma accuratũ, de Manucodiata, atq; alia breuissima opuscula solum habemus: prægrandi opere de materia medica elaborato, atq; à me, cum etiam Patauij anno MDLXXXIII. in eius Musæo conspecto, haud sine insigni iactura caremus; lapidem describi Monardes in historia simpl. cap. xxxvj. ex noua Hispania deferri, Iaspidis genus esse varij coloris, sed obscurioris maculis, seu punctis distinctus sanguineis, ex his lapidibus quasdã Cordium formas magnas, ac paruas conficiunt, teste Monardo, valet ad fluxũ sanguinis narium, mẽsium, hęmorrhoidũ, vulnerũ, ac oris: lapidem aqua frigida intinctum ęger dextra comprimit, & subindè id facit: sic eo Indi, & nostri vtuntur. Persuasum habent Indi, imò firmissimè credũt, si hoc lapide pars sanguine manans contingatur, sanguinem sisti, idq; verum esse experiẽtia

probatum est? Vtilis est etiã suspensus, aut alligatus eidẽ parti; vndè sanguis effluit, modò carnem cõtingat: vidimus nonnullos hæmorrhoidum fluxu afflictos, remedium sensisse, annulos ex hoc lapide confectos in digito continuè gestando, necnon & mestruum fluxum sisti. Hæc ille.

DE LAPIDE EQVINO.



OC nomine appellarim lapidem prædurũ, magnitudinis effatu dignæ, ouumq; exsuperantis altera parte depressum, quem Patritij Veronensis Equus per aluum eiecit, & Calceolario seniori donatum argentea corona veluti redimitũ in Musæo asseruari vidimus: vt hinc Augustani Equi Bezoarticos lapides à Mynderero cõmemoratos, de quibus supra scripsimus, aliquod fidei auctoramentum adipisci non diffiteamur.

Hactenùs, candide Lector, gemmarum, & lapillorum, qui in hocce præstantiss. Musęo asseruantur descriptionem sumus prosequuti, quantum instituti nomenclatoris ratio patiebatur. Reliquum est, vt ad alia non minùs curiosa transeamus: Verum antea te commonendum volui ad manus meas librũ Apologeticum peruenisse Ludouici Columbi Florentini Viri eruditiss. & optimi Phil. & Math. quẽ ipsemet Auctor mihi donauit, Is pręclarum Senecæ locum adducit, quo causam inquirẽs, cur natura tot metallica, & gemmas lucidas, & perspicuas produxerit, inter cæteras rationes hanc profert; summum rerum Architectum (cum Sol omnibus rebus naturalibus pulchritudine, & dignitate præstaret, voluisse nos in ijs, tamquam in læuissimis speculis, eius fieri participes dum lucem eius miraremur, quæ in proprio Solis fonte conspecta oculorum aciem perstringeret, & offuscaret: Quæ tanti Philosophi, & Romanorum veterum disertissimi sententia finem lucis lapillorum, & vsum, quæ causa solet à Physicis plurimi fieri, satis pulchrè nobis ob oculos ponit.

1. lib. natur. quæstionum cap. vlt. hoc aliquo pacto videtur colligi.

DE

DE LAPIDEIS REBVS
à Natura effigie donatis.


I vnquam aliàs ex admiratione, Lector optimè, philosophandi cupiditas aborta, mortalium ingenia fatigauit, lapidosa, & prædura hac rerum viuentium simulachra à natura edita, & effiicta satis, superque potuerunt exercere: Nos breuitati simul vtilitati; & oblectationi Lectorum studentes, quædam breuiter hac de re attingemus, idque generatim, vt mox multorum huiusmodi figuratorum lapidum, aut figuratũ lapidosarũ quæ in locupletissimo Musæo comperiuntur, descriptionem aggrediamur.

Georgius Agricola Succum lapidescentem, tàm qui extra terram est cum aqua permistus, quàm qui intrà terram latet, res omnes, quibus foramina sunt eius capacia, in lapides vertere docuit: *Subdit mox, cum natura lapides Arborum similes procreet, diligenter videndum est, an corticem, & medullam aliaq; habeãt, quæ si absunt non stipites in lapides conuersi sunt, sed natura fecit lapides stirpium simillimos:* in fontibus, ac fluuijs, quos enumerauit lib. ij. de natura eorum, quæ effluunt ex terra, radices, stipites, ramos, cortices, fructus, flores, folia in lapides mutari, sed & chirothecas, ossa, aliasq; res immissas, specula, strigiles, vestes, calciamenta illata in lapidicinã, quæ est in Asso Troadis lapides fieri Mutianus auctor est: at quæ sub terra mutata fuerint in lapides, omnes id genus lapidum prędurì esse solent, auctore Agricola, at lapides, qui ex solo succo lapidescente, vel intra terram, vel extra eam concreuerant. plerumq; sunt molles, & fragiles: vt ipsemet docet, quod argumento esse potest dari lapidificam vim præter illum succum, quæ præduros efficiat lapides, quæ fuit Alberti Magni doctrina perperam alibi ab Agricola exagitata: vim scilicet metallicam formãtem lapides in materia ad id aptata ingenerari à vi stellarum, & loci; vt vis formans animantes inest in

Lib. 7. de nat. foss.

Lib. 4. de ortu, & causis subterr.

in ſeminibus à vi ſyderum, & teſtium ingenita: metallicam vim duobus vti inſtrumentis, calore, qui miſturam terræ, & humoris coquit, concretionique formam lapidis tribuat, tum frigore, quod non ſolum conſtringit humorem, vt in metallorum ortu, ſed exprimit adeò, vt non remaneat in materia, niſi quantum continuationi neceſſe ſit, propterea huiuſmodi lapides calore ſicco non liqueſcere: in metallis enim aquea pars exuperat, in lapidibus terrea: Hæc docta Alberti ſententia, & quæ doctrinam veterem ſapit, verbo tenùs ab Agricola carpitur, dum multis etiam ſe ipſum ambagibus inuoluit, vt Ariſtotelem Germaniæ, hominem fuiſſe facilè agnoſcamus: Ad rem redeo: Succus lapideſcens, & vis metallica generatim hoc nomen ſumendo vel Mineralis, vel lapidifica has rerum viuentium permutationes efficere poteſt ex horum Auctorum placitis: Sed obſeruandum id, quod attentè nuper mecum meditabar: huiuſmodi permutationes ferè in lapides tantum, non in metalla fieri; quia in his aqua dominatur, at hæc terreſtriũ animaliũ formas in mari repręſentauit: quod ſanè fœcundiſſimum eſt elementum plura & maiora gignens animantia, quàm tellus, vt etiam Plinius noſter obſeruauit; eaq; terreſtribus conſimilia: vt etiam ad hominem vſq; marinum gignendum, & Monachum peruenerit: Terra ſupererat quæ ſuas formas terrenis, & viuentibus ſimiles proferret, quod in his lapideis vel primo à natura effictis, vel permutatis factum conſpicimus, quæ longè ſunt marinis imperfectiora, quoniam rudis eſt ſubterranea illa materia, & effectrix cauſa imbecillior: Hanc igitur exiſtimarem eſſe cauſam, cur in ſolos lapides fiat illa permutatio non in metallica: ſemper enim ferè lapideæ naturæ effigiatæ illæ formæ inueniuntur, vt in Muſæo hoc videre eſt: Cogitabunt Viri eruditi, & candidi, an noſtra hæc meditatio veritati, aut ſaltem veriſimilitudini ſit conſentanea: Iudicia enim ſunt libera, nec cuiquam obſtructus ad philoſophandum adytus eſſe debet, vt quæ ieiunè, & obſcurè à maioribus tradita ſunt, pleniùs à nobis non ſine demoſtrationis neruis, qui enunciationes ſunt per ſe, de omni, & quatenus ipſum, tradantur: Cæſalpinus hac de re ſcri-

Idem in Timæo ſentit Plato.

Lib. 9. et lib. 32.

Teste P. Bellonio.

ſcripſiſſe viſus lib. 1. cap. 2. de re metallica: *Cum ait in Fodinis metallorum ſiue marmorum, aliorumq; ſaxorum nũquam viuens corpus reperiri, Et ſi enim aliquando in eorum cæſura oſtrearum teſtæ, aut cætera Conchilia reperta ſint, hæc, recedente mari, & lapideſcente ſolo, inibi derelicta in lapides concreuerunt, vbique enim, vbi nunc eſt Arida, aliquando affuiſſe Mare, teſtatur Ariſtoteles: Hoc enim modo cenſere, magis conſonum rationi eſt, quam putare vim animalem intrà lapides rudimenta animalium, ac Plantarum gignere, vt quidam putant, ſed de his aliàs apertius dicendum eſt:* tum ſubdit demoſtrationem non aſpernendam: calor innatus animalium materiam leuem, & puram requirit, in qua conſeruetur, vt flamma in oleo, qualis eſt ſpiritus, & ſanguis, aut quid proportione reſpondens, at materia metallica nutritioni eſt inepta, quia grauior, & craſſior, nullum ergo calorem talem vel animalem vim fouere, aut retinere poteſt, aut ab ipſa is poteſt elici: Diſputatiunculam hanc perficiam cum Fracaſtorij noſtratis Viri magni (cui parem ætas noſtra nullum adhuc peperit) ſententiam haud valdè à Cæſalpini propoſita diſcrepantem adiecero.

MAGNI FRACASTORII SENTENTIA De propoſita quæſtione.



TORELLVS SARAYNA Iuris Conſul. Ciuis noſter, & de communi Patria optime meritus, qui primus Vrbis Veronæ antiquitates ipſo vetuſtatis ſitu obſitas, & pęnè obliteratas illuſtrauit, & latinæ linguæ nitore non contemnendo deſcripſit, cum Montis noſtræ Ciuitatis partem illam, in qua Fons eſt, qui à ferro dicitur, deſcriberet, & ſpeluncas, cauernas, & cuniculos in ea repertos, dum propugnacula à Dominis Venetis ædificarentur, commemoraſſet, ſubdit: *Aliud etiamnum mihi ſubiuit miraculum: Quum eodem in Monte foderetur, ſpectabantur Echini lapidei, Paguri, Conchæ, Cochleæ, Oſtrea, Stellæque Piſces, Auium, Roſtra, & id genus alia paſſim multa;*

Memi-

Meminerat porrò Sarayna ſe apud Theophraſtum, & Plinium legiſſe oſſa, & alia multa lapideſcere: Pontanum quoq; ſcripſiſſe vidi lapideſcere Sarni cęruleo ſub fonte Alnum, Filicisq; Maniplos: non adeò mirandum eſſe, ſi illa diuturnitate temporis in lapidem concreuerint, illud maiori dignum admiratione, quo pacto hæc ſi viua quandoque fuere in hos Montes aut delata fuerint, aut enata. Cum igitur hac de re valdè anceps eſſet Sarayna clariſſimum Fracaſtorium à ſe lapideo Paguro egregio, & prægrandi donatum rogauit, quænam eſſet de hac re Philoſophorum opinio. Reſpondit, Tres de hac quæſtione eſſe ſententias, vnam eorum, qui putaret hos effigiatos lapides in Montes iactatos fuiſſe, quo tempore aquarum colluuia Montes ſuperauere: quam ſententiam ſibi non probari profeſſus eſt, tum quia aquæ, quæ montes exuperarunt non fuerunt Maria, ſed inundationes è cœlo, tum quod oporteret videri Conchas, & id genus alia in verticibus Montium, aut ſi ſuperexcreuiſſet terra, videri ſaltem certo ſolum tractu, qua tum vertices Montium erant, quod certè non liquidò conſtat, quando erutis Montibus in quibus ſunt hæc non vna ſolum parte appareant, ſed etiam in medijs, & in imis, & vbique: Aliam ſententiam eſſe dicentium in montibus eſſe humorem quemdam, & alicubi ſalſum, & varium, à quo ſæpè vera animalia maritima fiunt, & quodammodò generantur, vt in Dactylis videre eſt, qui in medijs ſaxis naſcuntur, & indè excauantur. Interdum non vera animalia fieri, ſed quæ imitantur vera, nam quemadmodum & natura imitatur ſpecies terreſtriũ in Mari, ita in montibus non veras Conchas fieri viuentes, ſed conſimile quiddam, quod mox lapideſcit ob frigiditatem circum ambientis loci, cuius ſignum affirmant eſſe, quod Conchæ quantum ad id, quod intrà eſt, non planè animal referũt. Sed hanc quoque ſententiam non placere ſibi aiebat, quoniam lapidea hæc aut vnquam vixere, animantiaque extitere, aut non: ſiquidem olim vixere non iam iocatur natura, & imitatur, ſed verum animal facit, quale in Mari gignitur; At verò in Montibus inter ſaxa eſſe eam vim genitricem, quæ in Mari, non ſatis rationi conſonum videtur, præſertim in grandioribus

dioribus animalibus, quæ multa poſcunt; cui rei addi & illud poteſt, quod ſi olim genita fuiſſent, oporteret & nunc alicubi gigni, & erui è montibus viuentia hæc animalia, quemadmodum & Dactyli: ſi verò numquã vixere, ſed imitationes tantum fuere verorum animalium; hoc certè contra ſenſum eſt: Eruuntur enim Conchæ non paucæ, quarum pars in lapidem concreuit, pars nondum mutata eſt, ſed veræ Conchæ rationem habet & teneritatem, & cum reliquis mollitudinem. Quare videre eſt illas olim veras fuiſſe Conchas, quod ſi id quod intrà eſt in quibuſdam non planè Concham refert, cauſa eſt, quod caro quæ mollis ex ſe erat & contrahi nata, multa terra circumtecta mox in lapidem coïuit: Cum hactenus magni Fracaſtorij ſententiam recitaſſet Sarayna, qua aliorum Philoſophorum ſibi hac in re non probari placita docebat, ſubiecit.

Ergò ſe dicebat exiſtimare hæc olim vera animantia fuiſſe illuc iactata à Mari, & in Mari enata: Sed hæc pendere ex maiori cognitione, Montes enim omnes à Mari factos fuiſſe aſſeuerabat, primum iactata arena in cumulos, fuiſſeq; olim Mare, vbi nunc Montes extant, mox eodem recedente detectos fuiſſe Montes, & Inſulas, quod & in dies videtur fieri, quando & Ægyptus tota mari olim obruta fuerit, & in littoribus etiam Italiæ vt circa Rauennã apparet, vbi longè abeſt Mare ab eo, quod olim fuerat paſſuum centum; Hæc Antiquarius noſter Excellentiſſimi Fracaſtorij doctrina, Huius teſtimonium inſtar multorum, & claſſicorum nobis eſſe debet: cuius ſanè diuinum ingenium nobis ad vnguem Hippocratem, Ariſtotelem, Platonem, Virgilium, Ptolemęum repręſentaſſe inconfeſſo eſt apud non rudes rei litterariæ æſtimatores, ſi quę de re medica breuiter, & grauiter eſt commentatus, de re Aſtrologica, Philoſophica multa, Dialogiſmos eruditiſſimos, & Virgiliani Carminis maieſtatem ſpectemus: vt iam ridendum ſit nonnullorum rudium, illius temporis Phyſicorum iudicium, qui eum in Poetica tantum, & Aſtronomia excelluiſſe dictitabant, adeò veriſſimum eſt, quod ille ſcripſit, eam eſſe hominum malitiam, vt nolint eumdem pluribus in rebus excelle-

Mõtium origo ex Fracaſto rio.

cellere, cum inuidi ſemper humunciones alienam virtutem, & eruditionem ex proprijs moribus, & imperitia metiantur.

PISA, ET LENTES LAPIDEÆ.



IN Muſæo hæc aſſeruata oculata fide teſtari poſſumus, huiuſmodi lapides Leguminum ſpecie partim coagmentati ſunt ex pluribus ceu granis, & ſeminibus, partim etiam grana ſunt ſingula, & ſeparata: Hæc Geſnero teſte, ſua foris tunica teguntur: intus planè Legumina vera referunt, duritie ſumma, & ne validorum quidem dentium morſui cedente; lithoſprea Græcè vocari poſſunt: Præclarus, & elegans eſt Strabonis locus ab eodem Geſnero citatus, vbi de Pyramidibus Ægypti ſcribit: Ex tritura lapidum, ἐκ τῆς λατύπης, acerui quidam antè Pyramides iacent, in quibus lapilli, & forma, & magnitudine Lentis reperiuntur ψήγματα καὶ τύπῳ καὶ μεγέθει φακοειδῆ, quibuſdam veluti Corticis particula, vt Lentis ſemi-decorticatæ ſubeſt, ἐνίοις δὲ καὶ ὡς ἂν πτίσμα, οἷον ἡμιλεπίστον ὑποτρέχει: Dicunt reliquias ciborum, quibus operæ veſcebantur, in lapidem induratas, quod quidem ſatis veriſimile eſt, nam & apud nos collis eſt oblongus in campo ſitus, qui tophi calculis in modum Lentis plenus eſt, μεστὸς ψήφων φακοειδῶν: Sic Strabo.

Lib. de figuris lapidum cap. 7. de lythophytis.

Lib. 17.

CORIANDRI SEMINA LAPIDEA, ET CASEOLA.




OCVLOS iſthęc facilè fallere poſſint, tàm affabrè, & ad vnguem naturalem, & verã Coriandrorum, & Caſeolorum conditionem reprę́ſentant, non ita dentes, & appetitum hominum valeant decipere, tametſi puerorum, & grauidarum mulierum ingluuiem poſſint eludere: Verum & quæ ſequuntur in Muſæo aſſeruata cernuntur.

TVBE-

TVBERA lapidoſa, quæ pondere ſatis graui tantùm dignoſces, à veris, & in terra pullulantibus.

FABÆ ſiliqua minimè veſca, veræ tamen forma perſimilis turgentibus intùs granulis prægnans.

PANIS Miliaceus, qui adeò germanum, & verum refert, vt rudes pueri, & vulgus ignarum facilè deciperetur, tametſi & talis verus panis delicatiori gulæ, & non latranti ſtomacho ingratiſſimns ſit cibus, prædulcem ex eo Panem in campania fieri prodidit Plinius, huius figuguram hîc expreſſam damus.



ANIS ex Secale confectus, quam Farraginem etiam Plinius vocauit, Græcis, atq; alijs Latinis (excepto Plinio) rei Rusticæ Scriptoribus ferè ignota. In Panificijs rusticis, & infimę Plebi vsurpata, Procerum mensis abdicata: aliquando tritico permista vt Panis indè confectus diutius teneritudinem retineat: Sed Musęi nostri panem lapideum esurientes magis fastidirent, quam Midas aurata fercula, & pretiosa propomata.

STREA nulla ex parte detruncata, vel manca, cuius testa multis laminis compacta, intùs lęuis existit, vasculumq; Ostreæ domicilium, & conceptaculum adeò adamussim inspicientibus præseferens, vt, nisi esset lapis, è mari eiectam, & transmissam fatereris.

VMANVM genu saxeum fragmentum diceres lapidosi hominis à Medusa permutati, adeò perbellè, rotulas, musculos denique omnes, & ossicula ipsius membri ostendit.

XAMEN, seu Vesparium canaliculis insculptum petręo scruto efformatum, durabiliore opera, & materia, quàm Vespis, seu Apibus compingitur fauus.

CHINVS marinus saxeus, spinis vndequaq; horridus è centro in circulum discurrentibus in globum vergens, valdè viuo persimilis, qui in extrema spe tabificum tergori suo lotium reddit, quo malefico caro perfusa, si quis eam ederit, stranguriæ morbum ei conciliat; vrina exinanita & carnes ritè purgatæ stillicidium lotij emendant; ita nonnulli Auctores tradunt: Sed à nostro Echino nullæ huiusmodi noxæ formidantur & tutò se contrectari permittit; cuius & expressam Iconem hîc subijcimus.

LAPIS



LAPIS solidus altior, & Turbinatior, qui Gesnero teste, ab Echini marini similitudine, cui testa exterior sit detracta, Echinites vocari potest; radij porrò ex superiori parte ad imam descendunt.


ECHINITES alter ab eodem Gesnero descriptus pugno paulò maior: crusta silicea ambitur, intùs paulò mollior, à Basi, quæ plana, & leuis est aliquæ veluti caudæ lacertorum versus superiorem partem elatæ paulatim attenuantur; Ouum anguinum Plinij videtur (vt scripsit Gesnerus) descriptum ab eo pluribus lib. XXIX. cap. iij.

GINGIBERIS radicum contortarum specimen lapideum, quibus & ad discutiandos flatus, necnon ad roborandum ventriculum, nisi duritiè lapidosæ essent concretæ, vti posses.

GLO-


LOMVLVS Fili in lapide conſpicui, manu tactilis non diſſolubilis: natiuo pollice ipſo deductus è colo videtur.


AOBAB lapideus, fructus illius ſimilitudinem gerit, quo ad extinguendam ſitim Æthiopes vtuntur, de quo Proſper Alpinus in lib. de Plantis Ægypti: & Carolus Cluſius lib. ij. cap. primo exoticorum, quemve à Nautis, qui ex Æthiopia redierant, redemptum Londino ad ipſum miſerat Iacobus Garetus. Caue tamen ne tam viua deceptus ſimilitudine ori admoueas, & dentibus noxam inferas: lapidei Baobab hic expreſſam figuram damus.



CORNV


ORNV ſaxeum Acheloi, aut Corrigeri Ammonis dici poſſet, niſi Hircinum eſſet.


ORNV Ceruinum lapideum, quod colore, & forma exactè naturalem refert (cui non inefficax ad infringenda venena vis) ramoſum, nodoſumq;.


TELLA Piſcis in ſuos diſpartita radios, ſic luſitante natura non ſine admiratione lapidea conſpicitur.


ORNV Ammonis inter Sacratiſſimas Æthiopiæ Gemmas, aureo colore, arietini cornus effigiem reddens promittitur prædiuina ſomnia repræſentare: Hæc ex Plinio noſtro Geſnerus, qui ſubdit videri Plinium Gemmas putaſſe, qui lapides ſunt: eſt autem veluti Cornu Arietis in ſe reuolutum: Agricola lib. v. de natura foſſilium hæc habet: Similiter Cornu Ammonis, & alij lapides armantur: ſed eorum arma ex auro, vel orichalco polito plerumq; videntur eſſe facta: Tale præcisè cornu in Muſæo conſpicitur: eius porrò exactam, & accuratam deſcriptionem legat quisquis talium eſt perſtudioſus in Muſæo Neapolitano Italicè ſcripto: neminē enim ſuorum laborum laude defraudatum volumus.


AVTILVS lapideus, quem ſecundam Nautilis Conchæ ſpeciem ab Ariſtotele traditam eſſe putat Petrus Bellonius talium rerum diligens veſtigator, ad vaſa ditioribus abacis accommoda conficienda in magno pretio artifices habere ſolent, Porcellanam vocant: Huius amplitudo cum prima ſpecie naturali conuenit, eodem Bellonio teſte: ſed paulò magis eſt craſſus, prior præterea pectunculorum more ſtriatus eſt; hic omninò glaber parte interna infinita habens interſtitia, vndecunque nitidior, ac mira colorum varietate ſplendens ſubin-

ſubindè circumagentibus ſe in purpuram, candoremq; maculis: ſic Bellonius, quaſi dedita opera Muſæi noſtri Nautilum deſcribens, cuius hîc effigiem typis æneis expreſſam cernes.





RBORVM varia fragmenta, & fructus lapidoſi, quæ cuiuis mirificam admirationem parere poſſint, An ex eorum numero, ac genere, quæ Fallopius vir clariſſimus docuit in flumen ſucco lapideſcente præditum decedentia ex proximis virgultis in lapides mox extracta concreſcere?

Lib. de Therm. aquis c. 8. de Balneo Rancolani apud Senenſem Vrbem.



ISTACHIA lapidea in Naturę Theatro, & magni apparatus mundano conuiuio admittenda, & ſuſpicienda: ſed humano palato longè iniucunda.

ARIETIS

ARIETIS caput int°grum à Natura in Petram elaboratum, cornibus fronte, auribus, maxillis, & mento barbato, vel Hammoni Ioui inuidendum.

PES hominis integer in lapidem conuerſus, vt niſi lynceis oculis omnia diſpicias, ex humana compage decerptum eſſe ſuſpiceris.

FVNGVS lapideus; Boletum fortè, qualem Imperator edit Claudius, exiſtimaueris; non ſanè qui ſuffocatione amplius perimat, ſed συστάσει, & duratione conſpicuum: cuius hîc figuram damus.



GLOSSOPETRA G ſneri, de qua ille Auctor hæc habet: aliqui lamiarum dentes, Cardanus Glottidas vocat; Gloſſopetra nigricans (inquit Agricola) Germanis Natricum lingua dicitur, cui ſimilis non *Cap. 14, Lib. 6. de nat. foſſil.*

eſt, ſed magis linguæ Pici: reperitur in terra aluminoſa: ſic ille: apud nos non nigro, ſed albicante in roſeo ferè colore, & ſplendido reperiuntur hi lapides ſaxis interdum incluſi: Veneno præſente ſudare in menſa creduntur, ſed facilè ad vaporem alij quoq; leues, & præduri lapides ſudant: hæc prudenter Geſnerus.



VCARDIAM à Bubulo Corde nominatam docet Agricola lib. vj. de natura foſſilium: & hanc optimè deſcripſit Italicè Neapolitani deſcriptor Muſæi, vt non ſit in alienis recitandis intemperanter otio abutendum, cum recens editus liber paſſim præ manibus habeatur.



DMONET me locus hic, dum de Genu, & Pede humanis loqueremur, vt difficultatem, quam in Aduerſarijs meis adnotatam reperi, in medium afferam, vt amęna, ac vtili hac varietate defatigatum his lapidoſis perluſtrandis Lectoris animum aliqua ex parte recreemus. Admirantur multi; quid in mentem venerit D. Auguſtino primo de mirabilibus Sacræ Scripturæ, vt putaret, & diſertis verbis affereret, Conuerſionem Vxoris Loth in Salis ſtatuam fuiſſe ex parte miraculum, ex alia parte rem ſecundum naturam, quaſi Salis ſuccus humano corpori ſit inſitus, ſed etiam ſubdit D. Auguſtinus à potente rerum Gubernatore Salis portionem, quæ in abditis corporis partibus inerat, in corporis ambitum eductam, quaſi corporis moles Vxoris Loth ſaxeam duritiem ex Salis ſiccitate contraxerit. Porrò ex lachrymis pituita, ex Tuſſi expreſſo ſputo probat ille Auctor Salis naturam in recondito naturæ ſinu latere: Hæc ſententia fauere videtur Paracelſo, qui corpora noſtra ex Sale, Mercurio, & Sulphure conflata putauit, cuius iam exploſa eſt ab omnibus rectè ſentientibus opinio: Ratio eſt ſatis valida, quia ab ijſdem alimur, ex quibus conſtamus, ex Sale nemo alitur cum ſit condimentum, non alimentum, cuius natura in temperie, & moderatione primarum qualitatum


Mercurialis lib. 6 var. lect. cap. 28.

tatum

tatum sita est: at Salis natura calida, sicca, exurens, vt potius ea tabescere, & absumi corpora, quàm ali augeri, & repleri credibile sit, præterea corporum analysis & dissolutio fit in quatuor prima elementa, non in Salem, Sulphur, & Argentum viuum, quæ corpora sunt mixta, non simplicia. Porrò lachrymæ, pituita, & sputamina illa salsa dixerim reddi præter naturam, non secundum naturam, ex calore nempè exurente in putredinem ducente, aut permistione salsæ, serosæq; humiditatis, vt optime Galenus noster docuit: Vt in statu hominis secundum naturam, in quo debet quæstio proponi, nullus talis succus, neq; tamquam elementum, nec tamquam humor, aut spiritus, aut flatus reperiri valeat. Quòd si Hippocrates lib. de veteri Medicamento in homine dixit esse, amarum, salsum, acerbum, dulce, & alia sexcenta, de sapore hoc est qualitate salsa, quæ in humoribus, & carnibus hominis intemperati consistit, & præter naturam, id accipiendum est, vel de excrementorum salsedine, non de salis essentia, quæ in visceribus priùs latitans in corporis ambitum postea effundatur, quemadmodum de ictericis, & leucophlegmaticis asseri potest: in illis quippè Bilis, in his pituita in corporis superficiem redundans naturam humanam veluti deformat: quocirca ne omninò polluatur sanguis, & strangulétur natiuus calor, e uestigio curationem medicam exposcunt: sed his satis.

CONCHYLIA, siue Conchæ lapideæ, quæ ad viuum naturales exprimunt, læui superficie donatæ.

LAPIS naturæ artificiosa cęlatura in figuram Abrotoni Plantæ effictus, ita caules, ramuli, foliola, cortex, & nerui venæ (ἶνας vocat Theophrastus) eius stirpis exprimuntur: propterea hîc etiam eius iconem subijcimus.





APIS naturæ vi affabrè efformatus in figuram, & Typum Nemoris, vt hinc clarè perſpicias maiora etiam audere Naturam, dum è rebus ſimplicibus ad compoſitas ex pluribus operosè coagmentatas progreditur.



ITVLVS in lapidem conuerſus: Concharum genus eſt, teſte Leuino Lemnio Medico Zirizæo lib. iij. cap. vij. de ocultis naturæ miraculus, quo littora, oræq; maritimæ apud Zelandos ſcatent: illius deco-

decoctum affluentiori liquamine curari docet morbum grãdinis, quo sues corripiuntur, quive corpus eorum fędissima labe contaminat, dum caro, & partes internæ candidis ramentis, veluti grandine, perfunduntur. De Mitulis copiosè scripsit Hermolaus Barbarus lib. ij. Corrolarij non procul ab initio.


VRATA Lapidea, quæ tamen maris Mediterranei auratam repræsentat, non massiliensium, à fuluis supercilijs χρυσόφρυς Oppiano nuncupata in Dentalis longitudinem, & latitudinem excrescit. Pinnam gerit in tergore continuam, quatuor, & viginti Aristis munitam, quarum duodecim anteriores in mucronem desinunt, reliquum pinnæ obtusum est: reliqua lege apud Petrum Bellonium, qui huiusmodi piscem viuum adamussim delineans, & Musæi lapideum præclarè expressisse visus est. *Lib. 1. de aquatilibus.*


NGVILLA lapidosa natiuam referens, cuius serpentina species est, vulgò persuasum nullam ijs esse sexus distinctionem, non coïrę, non oua parere, meatus semini, aut vuluæ accommodatos nulla recisa præfert, tradunt porrò peritiores conuolutis simul anguillis, attritu corporum mutuo, mucorem in limum destillare, atque hoc pacto gigni. *Oppianus lib. 1.*


OENICVLI caules lapidosi, Marathrum etiam vocant: optimè Brugerinus lib. viij. cap. xxviij. Seplasiæ, ac Salgamarij ait, plurima cum Fœniculo reponunt, semen hyeme vicem sacchari implet, antè cuncta tamen celebratur, quod oculorum vis eo conseruatur, & caligo discutitur: Radices calculosis renibus, vesicæq; suppetias ferunt: Galenus suos vti, vt opsono, & etiam condimento docet: verum nos hic lapidosa tractamus: earum ergo Caulium hanc figuram damus.

STROM-





TROMBITES varij in Spiram reuoluti, & in acutum desinentes, qui tamen non multum longi, sed breues existunt.



APIDOSORVM Lignorum Frustra Museum intuentibus præsefert, quæ verè dixeris ex succo lapidescente concreta: vel donata corticibus, vel eorumdem expertia: pulchrè docet Fallopius herbas illas Iuncum, Cyperum, alias Canalium Rancolani non posse succum illum lapidescentem pro alimento attrahere, quin simul aquam attrahant, idcircò in aqua non lapidescere, quoniam ea erat impedimento: Ex Canalibus extractæ, & in terram proiectæ, & exsiccatæ lapidescunt.

FRVS-


RVSTRA maiora ramorum maiorum Arborum lapidoſorum, quæ omnibus, Muſæum ingredientibus magnam incutiunt admirationem, ac ſtuporem: primo enim adſpectu lignea videntur; penitiùs adeuntibus, & contrectantibus illicò ex pondere, & duritie produntur lapidea: an ex ſucco lapideſcente intrà terram, vel in aquis latente lapideam hanc duritiem ſint nacta diſpiciat, & penſitet ſecum eruditus Lector: ex terreo potiùs ſucco ego putarim, quoniam in eo maiorem actionem ex terræ ſiccitate ineſſe veriſimile eſt; Lapides verò ex terreis partibus humidiores exuperantibus oriri, inconfeſſo eſt apud Ariſtotelem, & Peripateticos, quinimmò & magnus Plato hoc in Timæo præclare docet, cum terræ ſpeciem per aquam emergentem hoc modò fieri lapidem docet, dum congelata aqua, quando in commixtione deficit, in aëris ſpeciem tranſit: Terram deniqùe ab Aëre indiſſolubiliter cum Aqua coactam lapides concreare, quibus verbis clarè oſtendit Plato ex maiori terræ portione, quam aquæ procreari lapides. *vide ibid. Coment. Sebaſtiani Foxij.*


ERPENS in lapidem verſus, & fortè fortuna à carpenti præpropero curſu in duas partes ſectus: res profectò conſpectu pulchra, & admirabilis: à quo tamē nō fuit is miſerabilis exitus expectandus, de quo Scaliger exerc. C C haud procul Dertona nimirum Palauicinum quendam, qui eſſet in Venatione, & Hiſpanica lancea Serpentem interfeciſſet, eum, eiusqùe Equum morte deletos: Nos lapidei noſtri Iconem hîc expreſſam ponemus.

RHOM-





RHOMBVS lapideus, quem Piscem esse constat à Gallis Latina voce non vsitata Turbots vocatur, sic enim figuram vocamus Mathematicam (inquit doctissimus Scaliger) quadrangulam per dimetientem productiorem: Rhombi, & Scombri ex Oceano Britannico ingenti magnitudine aduehuntur: In Adriatico Mari vterque paruus, at cur maiores ab Adriatico, & Mediterra-

Exercit 226.

Britan-

neo Squatinæ, quàm ab Oceano? cur Aurata in Oceano Britannico nulla? ſalmo in Mediterraneo nullus? Meditare aliquid, erudite Lector, dum animi cauſa non piget à lapideis ad animatos, & naturales Rhombos, & prædictos piſces mentem tantiſper traducere. ψῆτταν Rhombum Romanos vocare Atheneus eſt Auctor: Plinius etiam Rhombo tribuit, quæ Ariſtoteles pſettæ, vt quod arena ſe obruat, & piſces alliciat: Gaza ψῆτταν paſſerem apud Ariſtotelem interpretatur non Rhombum, Plinius Rhombum, & paſſerem facit diuerſos: Galenus etiam noſter in lib. de alimentis: Horatius pariter lib. ſerm. ij. Cæterum Galenus Rhombos, ac Citharos in patinis coctos vehementer damnat, Brugerino etiam teſte, quia ſunt inſignis cruditatis cauſæ. in lautioribus conuiuijs fuiſſe eum piſcem perfamiliarē Martialis lib. iij. in Ligurinum ſatis oſtendit, cum iocans ait.

Nolo mihi ponas Rhombum, mullumq; bilibrem,
Non volo Boletos, Oſtrea nolo, tace.

& lib. xiij.

Quamuis lata gerat Patella Rhombum,
Rhombus latior eſt tamen Patella.

Eſt enim ampliſſimus Piſcis, & in littore Adriatico mirandum Rhombum decantauit Ouidius.

LAPIS in figuram Simiæ naturaliter effictus, qui ſanè an maiorem intuenti admirationem allaturus videatur, quàm ea naturalis, & viuens Simia, de qua magnus Scaliger ſcribit exerc. c c xiij. ſatis anceps ſum, ait enim Marem, ac fœminam Simiam cum prole vidimus: Filiolus, ſi quid videretur deſiderare, manu, pugnoq; fœminā à marito tamquam malæ tractationis ream, etiam addita vultus acerbitate, caſtigari; nempè ſupercilio rictu, murmure, irati patris, atq; reprehenſoris mariti animum præſeferre: aut Cynocephalus ille Simiarum ſpecies, de quo paulo poſt idem Scaliger: In Aula Regis vnus fuit, qui diù bipes deambulabat, amictus ſagulo militari, enſiculo accinctus: in ſella iuſſus continuit ſeſe pernox, aut perdius pu-

blico ſpectaculo: itaut non deeſſent, qui homuncionem putarent verum: Tuum (optimè Lector) iudicium eſto hac de re: Addam quod Cardanus lib. xviij. de mirab. tradit vulgatum eſſe cor Simiæ prohibere pulſum cordis, curare comitiales, augere audaciam, & intellectum: quid mirum? cum ſimilia à ſimilibus iuuentur: idem cor dormienti ſuppoſitum feras per ſomnum oſtendit. Verum hoc à ſuperſtitioſis Hauſtum Auctoribus, quorum plures præ manibus habuit Cardanus, vt rara quædam, & non vulgaria Lectori harum nugarum non incurioſo per ſummam oſtentationem obtruderet: Nos ad noſtrorum lapidum penſum redeamus.



LAPIDES diuerſi variorum Conchyliorum forma delineati, quæ ex materia pingui, & lenta concluſus calor efficere videtur, vt murices, & muſculos, teſte Agricola lib. IV. de ortu, & occaſu ſubterraneorum: Oſtrea Conchylia, & Corallium obdurant (inquit Cardanus) quamuis Coralliũ dum ſub aquis latitat, molle ſit, quod de Rancolani plantis ſuperius ex Fallopio perſtrinximus: Quærit Cardanus cur obdurant Conchylia, non Alga, quæ & ipſa in mari naſcitur: Reſpondet Algam creſcere, ob id maris fluctibus reſiſtere non poſſe, idcircò tenuem à natura procreatam, vt maris impetum obſequens effugiat, & deuitet, Conchylia, & Oſtrea in imo manent, & craſſa ab initio creantur; Dicerem ego (ſi per Auctoris illius ſubtilitates liceat) quæſtionem eſſe vaniſſimam alioquin & quæſitu dignum fuerit cur Perca aurata mollior, cetacea grauiora, & craſſiora: in propriam cuiuſque formam hæc referenda, quam primò res ſortitæ comparem materiam neceſſario ſimul adſiſcunt.

Lib. 10. ſubt.



LAPIDES Lampetrarum, & Hirundinum formam referentes: Lampetra torſit ingenia illuſtrium virorum (ait Brugerinus) dum quid apud Antiquos ſit, inueſtigant, nec è muſtellino genere eſſe, cum quinas hoc ex

Lib. 20. cap. 21.

vtra-

vtraque parte branchias habet, Lampetra septenas: nec Murrhænam, nam branchijs integris carere Aristoteles; omninò Plinius asseruit, Lampetra branchias vtrinq; æquè partitas habet. Rondoletius Oppiani Echeneim esse scriptum reliquit, & dici posse βδέλλαν Strabonis, non Hirundinem, vt vertit interpres, cur βράγχια κατατετρημένα addat Strabo branchias scilicet perforatas, ambigit Brugerynus cum semper natura branchiarum sit aperta, & perforata, sed profectò omnem eximet scrupulum αὐτοψία ipsa & rei diligens inspectio. Hirudo quot noxas humano generi afferat Dioscorides apertè docet: floridi, & viui sanguinis excreationes ex Græcis scriptoribus addit Marcellus reliquis signis à Dioscoride positis, Nicander in Alexipharmacis hæc de Hirundine habet.

Lib. 7. de Mauritania.

Lib. 6. cap. 32.

Si quisquam multum sitiens è flumine vultu,
Ceu Taurus prono, liquidas potauerit vndas
Seponens manibus sordes, algamq; natantem
Illius in fauces accedens impete magno
Longa fame crepitans, quæ sanguine gaudet hirudo,
In labra cum potu, post ventrem fertur in altum.

Sed enim Græca Nicandri vertit Io. Gorræus Parisiensis vir doctissimus: frigidæ aquæ sensu ore contentæ prosiliunt faucibus hærentes, quoniam illius aquæ appetentes ad eam festinant. Si eruditus Lector, qui etiam Medicinæ nostræ det operam, vel eius sit perstudiosus vberiorem notitiam τὰς βδέλλας habere voluerit is adeat lib. ij. c. ij. variarũ obseru. Marsilij Cagnati nostratis, qui locum Hippocratis lib. ij. Prædictionum, & Galeni lib. de locis affect. iv. cap. v. & Cornelij Celsi lib. ij. cap. vj. præclarè, & diligenter examinat, vt in lapidea nostri Musæi Bdella non sint exquirenda πλείω πάρεργα τῶν ἔργων.

IAM verò nec Arborum folia lapidosa in nostro desunt Musæo, vel potiùs in lapidibus effícta, & veluti delineata, quæ non dixerim naturalibus oculorum iudicio consimilia, cum viriditas desit, quæ stirpium,

& arborum folijs eſt genuina: quamquam fruſtra eſſe Cardani Problema magna obſeruationis ſubtilitate contendit Scaliger ſuperioris æui Vir vnicus, quo quærebat ille cur floribus non vnus color, veluti folijs: in folijs (ait Scaliger) eſt luteus color, ſanguineus, cæruleus, candidus: Betis, Atriplicibus, Biſtortæ, Aſaro, Cyclamino, Cardo argentato, Argentariæ Coronariæ, Aro, Serpentariæ; lege quæſo, Lector candide, Exercit. CLXXVI. Scal. vt tædium diuturnum Calceolarij Muſæi perlegendi erudita, & iucunda lectione lenias.

ARII lapides variorum Piſcium figura veluti inſculpti, & effićti, quos in Vicentino agro ſuperioribus annis effoſſos Michael Angelus Angelicus honeſtiſſimus, & ornatiſſimus Vicetiæ Pharmacopæus Franciſco Iuniori Calceolario pro vetere amicitia donauit, quorum hîc figuram, cum ſint propter varietatem admirabiles, & amici benignitatem non aſpernandi, libenter expreſſam ſubijcimus.



CÆTE-



ÆTERVM alij etiam lapides in Musæo asseruantur, qui variorum piscium effigies repræsentant; Huiusmodi lapidem, ait Gesnerus, cap. XIV. de figuris lapidum Eislebianum vocat Agricola, & imagines exprimere scribit piscium Lucij, Percæ, Passeris marini, quales ferè, quisquis hæc legis, in Musæo, si cunctà ritè perlustraueris, esse deprehendes.



VRBOTVM Gallicè vocatum: Rhombum scilicet à turbinata corporis forma appellatum pro turbinato dicere Galli visi sunt, ait Petrus Bellonius libro primo de Aquatilibus; Caput illius multis spinosis ossibus refertum, tantæ inter se varietatis, vt omnia fabrilia instrumenta in se continere credatur: maximum ex Oceano adferri idem Auctor docet, tantæ molis, & carnis, quam delicatam habet, vt quadraginta librarum pondus excedat. Sed quid ego? ad cupedias, & gulæ irritamenta, lectorem allicio? cum solum profectò Archetypum breuissimè describere mihi constitutum fuerit, vt expeditius lapidosi Rhombi figura perciperetur, quam enucleatius explicatam lib. citato Bellonij comperies.




RBORVM folia simul connexa, & veluti agglutinata, quæ figura, & venulis, neruisque naturalibus optimè responderent, nisi durities, pondus, & viriditatis carentia obstarent, cum sint omnia lapidosa.



AGVRVS Venetus Granciporro vocatus, respuit læues tractus, asperas cautes incolit quas æstus meris influxu, ac reciprocatione siccas relinquit, vbi torpescit mare in arido relictus, præ metu crura contrahit, & torpentis modò immobilis quiescit, vt obseruat Bellonius lib. ij. de Aquatilibus. Adolescit in Caluæ

humanæ

humanæ magnitudinem, ſed non ita orbiculatus euadit, in eius ore tot comperies naturę ſecreta, tot adſtantes appendices, tot pelliculas, vt coactus incredibile naturæ artificium neceſſe ſit, fatearis: carnis, & coctionis durioris Galenus eſſe docet, ſed de muſculis id potiùs, quàm de Muti, qua potiſſimum parte conſtat (ea autem eſt eius Epar) intelligendum putat Bellonius; Sethus ſalſi ſucci eſſe, & ventrem ſiſtere ſcripſit: Sed, vtcumq; iſthæc ſeſe habeant, lapidoſum, figura propoſita, damus, à quo nihil detrimenti ventri tuo metuere potes, optimè Lector.






COCHLEÆ, Conchulæ, Chamæ, & id genus alia maris eiectamenta, veluti plures ferculorum miſſus, pulchra naturæ largitate, ad curioſas mentes oblectandas apponuntur, verùm hæc potius Bellaria leuiora, quam ſolidi, & alentes menſium cibi.

Conſultò

Consultò prætermittimus complures alias, & diuersas formas in lapidis duritiem concretas, ne minuta pusillarum rerum commemoratione defatigatum lectorum animum vel obruamus, vel inepto labore tædio afficiamus: satis fuerit res magis conspicuas, & insignes breui descriptione (multis ex ijsdem etiam figuris expressis) digito veluti commostrasse. Finis Tertiæ huic Musæi descripti Sectioni bonis auibus imponetur, si Lectorem pium, & eruditum exorabimus, vt cum Platone in Timæo, & alibi à naturalibus ad diuina, à generatione ad ea, quæ semper sunt, cogitationem traducat: Senecæ memorabile præceptum semper in ore, in corde, in tota vitæ ratione gerat, & tueatur. Sic viue cum Hominibus, tamquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.

Sectionis Tertiæ Finis.



Conflat in exterioribus complanatis faciebus [illegible] in lapidis duritiem concrevit, sic minoris pariterque in-commoda ratione defatigatum lectorem aliqua varieta-te, vel incepto labore tædio afficiamus; satis visum magis conspicuas, & insignes brevi descriptione (nonnullas etiam figuris expressas) viginti velut commonstrasse. Finis Tertiæ huic [illegible] Sectioni bonis [illegible] imponeretur, si Lazarum plura & exactiora exspectaremus, ut cum Platone in Timæo, & alibi à naturalibus ad ethica, à generatione ad ea, quæ sequuntur, cogitationes transfe-catæ Senecæ memorabile præceptum semper in ore, in corde, in tota vitæ ratione gerat, & tueatur. Sic vive cum Hominibus, tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.

Sectionis Tertiæ Finis.

SECTIO QVARTA MVSÆI CALCEOLARII,

IN QVA DE CORPORIBVS METALLICIS CVIVS-CVNQVE GENERIS PERTRACTATVR;

EODEM ANDREA CHIOCCO MEDICO, ET PHILOSOPHO EX COLLEGIO VERONENSI

Auctore, vel Scriptore.

SECTIO QVARTA.





ETVS quæſtio eſt, iam vſquè à primis Philoſophiæ ducta incunabulis, & multis contentionibus apud veteres agitata: Vtra alteri anteferenda ſit ex ijs Philoſophiæ partibus, quorum vna ad cognitionem, & contemplationem pertinet, quam Græci θεωρητικὴν, altera ad actionem, quam πρακτικὴν appellarunt: lib. vj. Ethicorum Sapientiam prudentia facit ſuperiorem Ariſtoteles, quod lib. Eth. etiam x. & vij. Politic. non obſcurè confirmat idem Philoſophus: demoſtratio huiuſce rei neceſſaria eſt, quoniam Prudentia ad actionem refertur, & omnis actio ad finem aliquem neceſſariò dirigitur: at cognitio omnis, & rerum exacta contemplatio per ſe ipſa expetitur, neque aliò ſpectat, ipſa ſuis pollens opibus, nihil alterius indiga, maius ergo quid, & ſublimius eſt ipſa veritatis cognitio, & contemplatio: Præterea ſapientes eos nominauit Antiquitas, qui abdita quædam, & à vulgi captu ſecluſa perquirerent, vt Thalem Mileſium, Anaxagoram, Democritum, qui verè philoſophari dicebantur, immo admiratio ipſa, quam cauſam, & originem philoſophandi ſtatuit ſummus philoſophus, ad hanc philoſophiæ contemplatricis partem ſpectat: Definitos enim ſyderum curſus, & quæ in ſublimi fiunt, & ſtatas anni temporum varietates, lapidũ, metallorum procreationis animalium rationem admirantes homines ingenioſi, quæ cauſæ vnumquodq; horum efficerent, curioſè perueſtigare cęperunt: At Socrates Platonis magiſter, eo tamquam adagio vtens,

quæ ſopra nos eſſent, nihil ad nos attinere, Philoſophiam, à rebus occultis, & in naturæ ſinu latentibus ad vitæ communis inſtitutionem, & mores ritè conformandos traduxit, de virtutibus, ac vitijs, bonis, & malis rebus frequentius diſputabat, vt lib. primo de dictis, & factis Socratis Xenophon docet. Vno Homerico verſu totius philoſophiæ ſummam contineri dictitans,

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται,

quod verterim,

Scire quod in domibus praui, rectiq; geratur :

Sod profectò ſi diuino Platoni habenda fides in Ideis, & ſummi boni Dei .ſ. Optimi Maximi, & primæ mentis vbi effulgent Ideæ, rationibus, & attributis contemplandis, & declarandis multus fuit Socrates: qui etiam in primo Alcibiade docet Magiam Zoroaſtri nihil aliud ſibi videri, niſi diuinarum ſcientiam, atquè cultum, quibus imbuantur Perſarum Filij, vt ad Mundanæ Reipub. exemplar ſuam & ipſi Rempubl. condiſcant adminiſtrare, vt Platonici docent, & in lib. de Repub. ſummi boni Diſciplinam ſummũ eſſe exemplar, ad cuius normam, & interior animi noſtri Reſpubl. & exterior regantur, ex quibus liquet Socratem primas quidem partes practicæ philoſophiæ dediſſe, ſed ea lege, ſi rerum diuinarum notitia ſit ſubnixa, quæ ſemper eodem modo ſint, non quæ in generatione ſint poſitæ, vt naturalia omnia: quocircà & alibi etiam ex ſapientia oriri prudentiã diſertè docuit. Impudenter ergò, ac malitioſè aduersùs Socratem in Nebulis Ariſtophanes magnus inter Comicos Nebulo eſt debacchatus; Xenophon etiam occulta in Platonem inuidia, Socratem à rebus diuinis cognoſcendis abhorruiſſe memoriæ prodidit. Rei enim veritas eſt, Socratem rerum naturalium ſcientiam, tamquam incertiſſimarum magna ex parte auerſatum: doctrinam de eo, quod ſemper idem eſt, amplexum; & cęteris ſcientijs omnibus antepoſuiſſe, vt Plato, cui magis credendum eſt, pleniſſimam hac de re fidem facit in Parmenide, Philębo, Dialogis de Repub. & Timęo, atque alibi; In Timæo ſanè ipſo Socratem oble-

ctatum

ctatum causarum rerum naturalium inuestigatione obseruamus, lapidum nimirum, metallorum, & cæterorum fossilium explicatione, & eorum, quæ in sublimi fiunt, tum partum similarium, & dissimilarium exactissima enucleatione. Verum enimuerò ex eodem Timæo aurea illa verba, & Socratici Platonis doctrina digna memoriæ mandanda, vt nos à reprehensione D. Augustini tueri possimus, quam ad me perscripsit Reuerendissimus Episcopus Verulanus Hieronymus Astræus diuinæ, & humanæ sapientiæ consultissimus: Haud nimirum laude dignum esse sese in naturæ lapidum contemplatione immergere, cum multo digniora habeamus, quibus contemplandis mentem exercere, & ad sublimiora extollere valeamus: Aurea Platonis verba sunt.

Quod si quis remittendi studij gratia, rationibus eorum, quæ semper sunt, intermissis considerauerit verisimiles de generatione, probationes, atque eiusmodi consideratione sine pœnitentiæ accessione delectetur moderatum in vita, prudentemq; ludum consequetur; Suprà enim dixerat Plato cætera generis eiusdem hoc est physicas res verisimilibus rationibus assequi haudquaquam laboriosum esse; ex quo patet Socratem, Timæum, & Platonem hanc ex verisimilibus doctrinam minimè quidem omninò respuisse, aut auersatos esse, sed eorum, quæ semper sunt, rationes, & diuinarum, & à materia fęce secretarum naturarum, & formarum intelligentiam, & contemplationem cæteris omnibus antepofuisse, Xenophontem esse deceptum, aut volontariè mentitum cum à rerum diuinarum scientia alienum fuisse Socratem voluit persuadere; hoc ex Conuicijs Aristophanis intelligimus, numquam enim ipsum ἀεροβατῶν, & per nubes formas quasdam diuinas contemplatum obiecisset, nisi huic studio ipsum deditũ constans tunc Fama extitisset: Nos igitur in Tertia Sectione lapidum Musæi, atque aliorum consimilium descriptione absoluta moderatum, & prudentem ludum consequuti, adhuc oblectandi animi gratia eũdem ludum repetentes in describendis cuiuscumque generis metallicis corporibus, quæ in locuplete hoc naturæ penu conduntur (prætermissis tantisper

gra-

grauioribus, & magis ſerijs diſputationibus) verſabimur; Illud interim Lectorem beneuolum commonentes, vt hiſce etiam in rebus terrenis, & mutis ſapientiam, potentiam, & bonitatem ſummi Conditoris veneretur; illius eximij præcepti memor, quod à Porphyrio in ij. de Abſtinentia animatorum traditum eſt, Colamus (inquit) Deum ſilentio puro, religione, puris, veriſque de eo opinionibus, aſſimilarique ei, atque coniungi conemur, vitæque noſtræ ſanctimoniam pro ſacrificio offerre, idque Deo ſacrum accommodare.

AVRI MINERÆ.



N hoc rerum naturalium Theſauro oſtenduntur Auri Mineræ tres: vna ex Pannonia, cui argentum ineſſe color candidus veluti argenteus, quo fulget demoſtrat, λευκὸν, græci appellant, argentoſum Latini, cui ineſt argentum ex candido colore, vt docet Agricola lib. viij. de natura foſſilium: ſic ἄπυρον ignem non expertum aurum vocant; quod verò vſque eò coquitur, dum argentum omne ab eo fuerit ſeparatum, ἄπεφθον: hanc Mineram Francisco Calceolario Seniori donauit Petrus Andr. Matthæolus, cum quo ei multa ſemper neceſſitudo, & familiaritas interceſſit, quin & Veronam ſæpè ſe conferebat Mattheolus, vt vna in Montem Baldum ad luſtrandas, & perueſtigandas plantas concederent.

ALTERA Minera in lapide ſubcinerei coloris ſatis graui cum Argento expullulans ex Boemiæ Fodinis allata.

TERTIA Auri Minera ex lapide ſubrubei coloris fluens, cui cuprum inſito colore emicans adnatum viſitur ex eiſdem Fodinis.

Quæ

QVÆ de Auro doctè scripsit Agricola pluribus in locis, sed potissimum lib. viij. de natura fossilium diligenter legenda; Plinius etiam, Barbarus, Cæsalpinus, Cardanus, Scaliger fusè de eo disputarunt, nec à nobis huc ineptè eorum dicta transferenda: Cardanus somniauit Aurum esse metallorum perfectionem, & conatum, quasi alia metalla sint imperfecta, & ad aurum tendant, tamquam propriam perfectionem, & finem, sed acutè refellitur à Scaligero: Vnumquodque enim metallum sibi purum, & perfectum est in propria spetie, & censu: essentia enim cuiusque in indiuisibili est posita, solaque est rei perfectio, impurum ergò Plumbum aliud est, quàm plumbum, nec magis aurum aliorum metallorum est perfectio, quam Homo Cimicis: septem ergo metalla illa vulgata Aurum, Argentum, Ferrum, æs Plumbum, æs Cyprium, electrum ex se ipsis propriam sunt perfectionem sortita, nec aurum, tamquam eorum finem spectant, nec ex argento viuo, & sulphure conflatur aurum, vt optimè ostendunt Agricola, & Fallopius, quæ fuit Chymistarum, & Alberti Magni Hęresis, à qua non videtur alienus Sebastianus Foxius Hispanus (alioquin non contemnendus Platonici Timæi expositor) cum apertè Plato, à quo omnia bona vel surripuit, vel accepit Aristoteles, disertè doceat ex aquę portione ampliori, minori terrea gigni metalla contrà lapides (vt in tertia Sectione traditum est) maiorem terrenæ exhalationis copiam in se continere.

Exerc. 106. cap. 102.

AVRVM Obrizum vocant, ait Agricola, à quo omne est separatum argentum; huius appellatio reuocauit mihi in memoriam, quod FRANCISCVS Auricalchus Vir doctissimus Sancti Ægidij Prior, & Academicus Philarmonicus me docuit in Deum scilicet, & proximum nostrum charitatem instar Auri Obrizi esse debere nulla propriorum commodorũ, aut vtilitatis labe inquinitam, hanc labem Hypocritæ præferunt, dum ad immensas opes per simplicium hominum credulitatem malitiosè conantur emergere, rerumq; potiri.

Lucret.

An Aurum arte confici possit, legendus Io. Franciscus Picus: Fernelius lib. ij. de Abditis rerum causis, & Benedictus Pererius libro de rerum naturalium principijs, quo Auctore nullum dedit Hispania, nostra tempestate doctiorem, eloquentiorem, & in rimanda rerum natura excussum magis, & dilucidum: Vtinam sui ordinis viri ad diuersum doctrinæ, & scribendi genus non impulissent, sed in solo Aristotele illustrando versari siuissent. Quidam semine Auri Chrysopeiam constare autumant, atque indè vt plantarum, & animantium, auri existere propagationem: Sed cum propagatio per semina solis viuentibus conueniat per naturam, vt Aristoteles, & omnes Physici docent, non est vt Spagiricus quispiam per artem aurum se efficere posse somniet & oculis nostris gratis illudat. Illud non omittã interrogatum olim Speronium, cur Pindarus à commendatione, & encomio Auri suas odas esset auspicatus, respondisse illicò, at erat viuido, atque acri ingenio, Præuidisse Pindarum contemptui fore Poësim, & ludibrio optimas disciplinas, idcircò monuisse Principes viros, ne permitterent nebulones quosdam impuros præmia viris doctis, & bonis debita præripere: cum aurum inter diuitias, viri eruditi inter homines emineant.

AVRI puri granula, quæ tamen Ciceris magnitudinem non excedunt, è proprio cuniculo eruta, nec non colore flauo micantia.

ARGENTI minera ex Valle Ioachimica, lapis est scissilis satis grauis, colore ad spadiceum vergente, granulis argenteis, ijsque nitentibus vndique conspersus.

ARGENTI minera Annebergia: lapis in spadiceo colore satis lucidus, pondere grauis, & qui veluti scissilis apparet, argenti multum continens: hoc fortè innuit Cardanus, cum ait inueniri in Boemia Abertania, & in Misena Annębergi, & Snebergi adeò defęcatum, vt ad examen synceri-

Lib. 6. de Metallis.

tatis

ratis deductum decima tantum ſui ponderis parte decreſcat, Georgius Agricola refert in Bohemia inuentum Argenti fruſtum ponderis duorum Talentorum; eſt autem hoc pondo centum, & quadraginta; hæc Cardanus.

ARGENTI minera Suecica in colore nigro aliquam viriditatem permiſtam præferens, nec minùs æs innatum commonſtrans.

ARGENTI minera Bohemica, cui aurum, & æs ineſſe ex proprijs coloribus facillimè cuilibet perſpicunm eſſe poteſt.

ARGENTVM foſſile Anneburgium, cuius micæ in Terra flaua elucere viſuntur: Argentum flauum quorumdam eſſe exiſtimatur.

ARGENTI Granula, in quibus color flaueſcens elucet iuxta Adamantem Pyramidali forma in propria vena conformata, quæ ſanè ex Pyrite lapide colore auro ſimili veluti progenitore enaſci conſpiciuntur: In auri porrò, argenti, & aliorum metallorum fodinis lapides, teſte Theophraſto, frequenter ſolent inueniri, vt Adamas, qui in auri venis ſæpè naſcitur, quocirca ex auri natura eſſe Platoni creditur: dum ait in Timęo, auri ramus propter denſitatem duriſſimus, & nigro prætereа colore ſuffuſus Adamas appellatur, ambo quippè ſolidiſſimę ſunt naturę, & perfectam miſtionem adepta.

ARGENTI Viui mineræ, quaſi lapis fragilis, & ad ruborem ſubobſcurum inclinans Argentum Viuum, tamquam Vomicam, continens, Plumbo pondere ipſo æquandus, in cuius vniuerſa gleba Argenti Viui guttulæ vndequaque ſunt ſparſę, Cinnabari foſſile Dioſcoridis, & minium natiuum aliorum; Hinc Argentum Viuum extrahunt metallici ex Hydra monte haud procul à Goritia.

ARGENTI Viui minera Suacensis; lapis durus, grauis pondere; cuius totum corpus colore plumbeo (non sine aliquo candore) infectum: Conquassatus lapis argentum viuum de se non fundit; ex illius tamen in puluerem redacti excoctione; fornacum ope, argentum viuum genuini coloris educitur.

Hîc monitum Lectorem velim, nos rerum ortum, & causas, hîc ex professo non tradere, sed solum Musæum describere, quædam duntaxat singularia, nec passim obuia perstringimus: In Argentum Viuum igitur si aurum, & plumbum proijciantur, plumbum supernatat, aurum solum mergitur, grauissimum igitur omnium non quidam ob crassitiem, aut terrei elementi copiam, vt ferrum, sed ob solidam, & perfectam mistionem, vt optimè Franciscus Valesius docuit: Deceptus ergo videtur Plinius noster, qui pondere, & facilitate materiæ à plumbo vinci aurum putauit; Hoc solum in igne nihil deperdit, quo sæpius arsit proficit ad bonitatem: eius vsu minimum atteritur, cum aliorum metallorum tractatione ex decidua materia manus sordescant, nullum latius dilatatur, aut numerosius diuiditur: Accedit, ait Cæsalpinus, substantię incorruptibilitas ἀφθαρσία, solum enim nullam contrahit rubiginem, nec squallorem, adeò vt contra salis, & aceti succos rerum domitores constans perduret, quod auro puro potissimum conuenit: Arabes vim lætificandi cor adscripserunt: suo frigore à corde prauas fluxiones fortè repellit, siccitate, & substantię incorruptibilitate cor à putredine tuetur, Chymici potulentum pollicentur ex solutione aduersus omnem morbum, & ad conciliandam diuturnam iuuentutem, sed speciosæ nugę sunt, quia à nullo soluitur, nisi ab argento viuo, quod venenum est: ab acutis aurificum aquis non in liquorem soluitur, sed in partes insensiles, quæ siccatis iterum aquis in pristinum corpus glutinari possunt, vt acutè, & verè obseruat Cæsalpinus: Aurum ergo potabile dicetur eius puluisculus ritè defęcatus & ablutus, & quouis liquore assumptus, qui ergo putant Aurum elaxando qualitatem, aut facultatem

Lib. de Sacra philosophia.

Cap. proprio.

auream

auream iusculis communicare ostentationis vanissimæ, ne dicam lubricæ, vitro non carent; cauterio ex auro ignito excitato non fieri bullas, & vlcus citius ad cicatricem perduci tradunt; Argenti paulò imbecillior natura (ait Cæsalpinus) in igne enim aliquid deperdit, licet modicum, & à sulphure comburitur, si illi fuso admisceatur: lineis ex nigris ductis manus inficit. Dilatatur malleo in amplam latitudinem, sed minùs, quàm aurum, quia crassius est, & durius; hoc est perfecta mistione, & solida tenuitate non est præditus, quemadmodum aurum, Albertus Magnus optimum argentum molle sub terra nasci tradit, vt spissæ pultes, aëri expositum siccari, & congelari; fundique in optimum argentum, quale & in Musæo Calceolario comperitur.

ARGENTI Viui mirifica natura profectò existit; illi enim cætera omnia metalla imposita supernatant, excepto auro: eius natura aërea est; ab Aristotele enim inter ea ponitur lib. IV. meteorum, quæ plus aëris obtinent, facillimè enim in fumum euolat, quod inditio est ex exhalatione maximè constare, idcircò inter Spiritus Chymistæ connumerant: Veneni modò aurum corrumpit, cum primum enim illud tetigerit, permeat intùs, confringit, & in puluerem vertit nulla auri natura vlteriùs se prodente: hoc tamen in igne pulchrius exurgit, quàm prius extiterat. Præclarè, vt omnia, Scaliger exercit. 105. docet argenti viui substantiam facilè intelligi exemplo aquæ, quæ cum in puluerem cadit, in globum coit, cum sicco enim iam inijt societatem, quod quam ipsum habet, illi det firmitudinem: argentum ergo viuum eandem rationem habet in natura, quam aqua puluere collecto, est enim aqua terrea, vel terra aquea non sine multo aëre; hinc etiam Cardanum acutè refellit, qui in sicco conglobari hydrargyrum voluit, quia refugiens sicci contactum, id in puncto tangere conatur; quoniam & in aqua conglobatur, & in plumbi scobe, quam non refugit, & inuitus eam relinquit ex ea, quantum potest, colligens. Cæterum alia ex parte perspicacissimi ingenij, & multorum

experimentorum peritus Gabriel Fallopius calidum, & siccum esse Argentum viuum multis docet, in eo duo esse, aërem quidem, sed paucum, tantum illius tamen, quod substantiam terream eliquet: alterum est terra copiosa, ita vt ex centum partibus octuaginta sint terræ, & reliquæ aëris: Idcircò si tractatur hydrargyrum humectam non relinquit manum, nec locum, quem contingit, cum aeris effectus non edat; ob maximam mistionem hoc prouenire quidam putabant, quod refellit Fallopius, quoniam facilè à Sole, & Igne dissoluitur, quod imperfectę mistionis est argumentum: aëris ergo paucitas est in causa, vt non humectet, nec terra, quæ in argento viuo dominatur est pura, & cruda, sed fuliginosa, cocta, & valdè attenuata, ita vt vix passa calorem euolet in fumum, quod crudæ non eueniret; ob hanc etiam fuliginosam terram facilè ascendit, non ratione aëris, quod perspicuè Auctor ille ostendit: Cogitent Viri eruditi an conciliari hi Authores valeant, & potissimum naturæ Genius Aristoteles cum Fallopio, an aliter dirimi controuersia possit, nobis enim satis est hæc tetigisse, ne ieiuna, & exsuca Musæi descriptio historiam potius passim saperet, quàm gustum serię, solidęque doctrinæ. Sed de his satis.

MINERA Carbunculorum, qui Granati dicuntur à granis mali punicæ, quive non nisi in clariori lumine radiant: hæc purissimi, & defęcatissimi auri particeps a natura facta, mirabile, & iucundum spectaculum oculis præfert; Donum præclarum sanè præstantissimi, & Clarissimi Mattheoli, quo Franciscum Calceolarium Seniorem olim auctum, & cohonestatum voluit.

AES


S fossile Suacense rubrum, quod colore aurum imitatur, si modicè eius diluatur rubor, substantia tractabili, & fusionis tarditate Argentum: plurimum exhalationis combustibilis continet, quare ignium examen non tolerat, sed comburitur vniuersus, sicuti reliqua æris genera, nam præcęris odorem, & flammam sulphuream reddit.

ÆS fossile rubrum argenti nonnihil in se continens ex Carpato Monte metallorum fœcundissimo, in ea montis parte, quam Cepusium nominamus, ait Agricola, sunt insuper tria æris metalla Golnicium, Rosetala, Smolnicium, vbi atramentum sutorum conficitur. *Lib 2 de vet. et nouis meta.*

ÆRIS minera Kepnica in Misnia, quæ non rubrum, sed plumbeum habet colorem venulis quibusdam flauis referta, pro cuius libris centum fornacum ope extrahuntur lib. xxij. æris.

ÆRIS minera Iuaceburgensis lapidi scissili subcinereo assimilis, cui venulæ aureum colorem imitantes visuntur innatæ, cuius centum libræ xx. æris reddunt libras.

ÆRIS minera Annebergia subrubro colore renidens, ex cuius libris centum, quod parum locuples sit vena, librę duntaxat xvj. æris ignis ope elici dicuntur.

ÆS natiuum Iluanum, cui ferrum ob arctissimum affinitatis vinculum, quo sese mutuo isthæc duo metallica respectant, est simul adnexum, omne namq; ferrum Calcanthi ope, & eo veluti Proxeneta in æs transit, nec ad priorem reddit naturam, sed in quam est transmutatũ, illã eãdem seruat.

ÆRARIVS lapis, cui cum plumbum insit, plumbeo similiter conspicitur colore ex Germaniæ fodinis.

ÆRIS

ÆRIS Flos verus, ac legitimus grauis, friabilis, & ſaporis adſtringentis colore modicè ſplendente ruffeſcens ex propria æris minera in minutiſſima granula ſemina Papaueris erratici magnitudine exprimentia, effloreſcens.

ÆRIS Flos, qui granorum milij magnitudinem non excedit, flaueſcens friabilis grauis modicè ſplendens ſapore adſtringente ex ære in fornace candente, ibiq́ue aqua reſperſo ob repentinam congelationem exiliens quaſi æris minutiſſimas particulas, & ramẽta à rebus corpore reſoluta dixeris; Pſegma Plinij.

ÆRVGO foſſilis, & natiua in rudi æris lapide colore viridi effloreſcens, cuius ſapor eſt acris, quod ex ſucco vehementer acido, & concluſo æris materiam circũſtante, ipſamq́; erodente ſit genita.

ÆRVGO factitia, & ſublimata viridis coloris ex ære aceto madefacto elaborata, hac Chirurgi, & Pictores vtuntur, & in officinis viride æris nuncupatur.

ÆS ignis vi in fornacibus, in quibus Argentum ab ære ſecernitur ab omnibus expurgatũ vitijs, & impuritatibus, quod colorem in rubro luteum repræſentat: æs regulare Metallicorum.

ÆRARIVS lapis nigerrimi coloris, in qua Percæ piſcis maritimi effigies proprijs ſignis aureis diſtincta, adeò perbellè à natura eſt inſculpta, vt ad viuum expreſſa, & delineata videatur.

Cæterum antequam ex æratis metallis recedamus id obſeruandum Cyprum olim laudatiſſima habuiſſe æris metalla (idcircò à Latinis veteribus Æroſam vocatam) in Tanaſſo copioſa, & fertilia iuxta Amathuntem Vrbem, quam proindè Ouidius *Nunc fœcundam, nunc grauidam metallis eſſe dicit*, teſte

ſteſte Agricola. Cyprum æs Cuprinum appellat Palladius, vndè apud Barbaros Cuprum per ære accipitur, auctore Cæſalpino, optimi notæ ſunt, vt ſit rubrum, & attritu colorem cinnabaris imitetur, nigrum enim pluſquam decet, exuſtum; Ad vlcera perſananda in Medicina multiplicem habet vſum, vt Dioſcorides docet: intrà noxius eſt eius vſus, idcircò damnantur ænea vaſa ad eſculenta, & poculenta, niſi ſtanno fuerint illita, nam cum facilè æruginem de ſe mittat noxas infert grauiſſimas elephantiaſim, cancrum, dolorem iecinoris, & lienis: Teſtantur Arabas, ait Cęſalpinus, ſi vas æneum ſuperponatur piſcibus frixis adhuc calentibus eos infici, adeo vt inſtar veneni lethales reddantur: Stanno ęruginis cohibetur virus.

Cœlos quaſi ære ſolidiſſimos fuſo ſtatuit Iobus cap. XXXVII. vndè æris prærogatiua percipitur: Viſum enim nobiliſſimis Philoſophorum cœlum ſubſtantia conſtare firmiſſima, & ſolidiſſima, quæ diuiſionem recipere nequeat, aſtra orbium eſſe partes, & cum ipſis ferri, non per ſe ſe, quaſi volucres, quod fuit ſomnium ridiculum, & putidum quorundā Aſtrologorum omni crititio ſenſus, & rationis deſtitutorum: neq; enim regularem motum obtinerent cœleſtia corpora, vt probat Ariſtoteles, non enim eadem celeritate ferrentur, neque eidem tramiti ſemper inſiſterent, ſed huc illuc temerè tamquam vento iactarentur: Iobo conſentit & Homerus teſte Valleſio, qui ὀυρανὸν πολύχαλκον nuncupauit, ideſt multi æris cœlum: obſeruant etiam rerum antiquarum curioſi: Heroicis temporibus (Pauſania teſte) non ferrum, ſed æs in vſu fuiſſe: quod Homeri teſtimonio confirmat, cum Piſandri Pipennem, & Merionę Sagittas deſcribit: argumento etiam eſſe Achillis Haſtam Phaſilide in Mineruæ templo poſitam, & apud Nicomedenſes in Æſculapij Memnonis enſem ex ære totum, cum haſtæ illius ima tantum, & ſumma caſpis ærea ſit: Pauſaniæ obijciunt quidam eruditi viri Ariſtotelem, qui lib. Poet. καὶ χαλκέας, ait, τοὺς τὸν σίδηρον ἐργαζομένους ærarios ſcilicet artifices ferrum elaborantes, quaſi Homerus æra-

Lib. 2. cœli.

Lib. de 5. Philoſophia.

In Laconicis.

ærarium pro ferrario artifice capiat.

Verum isthæc curiosis subtilius excutienda relinquo. Iam verò, quoniam varia hæc lectio solet eruditorum ingenia oblectare, qui sordido lucello minimè addicti, quid de ipsorum studijs vulgus ineptum sentiat, parum curant, id pariter adnectendum ex Aristotele lib. ij. politicorum quod ad præclarè, & solidè administrandas Respublicas multum momenti habet; nam cum Plato lib. de Repub. Ciues omnes docuisset è terra ortum duxisse; Deum autem in ipso ortu quibusdam aurum infudisse, alijs argentum, nonnullis æs, & ferrum: hac fabulosa, sed perutili allegoria innuere voluit primos semper dominari debere, secundos custodire, tertios artifices esse, quibus es, quartos agricolas, quibus ferrum est infusum: pulchrè obijcit Aristoteles hoc pacto sequi, vt semper ijdem sint magistratum gerentes, hoc autē seditionis est causa apud bellicosos potissimum, & animosos viros, non enim modò horum, modò illorum miscetur animis diuinum illud aurum, sed semper eisdem a prima statim genitura; Sed profectò haud erit difficile Diuinum Platonem tueri, cum etiam Aristoteles alios natura gigni ad imperandum, alios ad seruiendnm aptos, & habiles docuerit: illudque in rebus humanis (Herodoto teste) sit acerbissimum eum, qui plurimum sapit, minimum posse: id igitur animaduertendum Aristoteli fuerat; Platonem velle optimates illos aureæ genituræ seligendos, cum plures vno, etsi non plurimi, existant, ijsque summos Magistratus esse committendos, ita vt vnus alteri vicissim succedat, Magistratuum enim vicissitudo concordiæ causa est, vt optimè idem Aristoteles docuit: Huius præclarissimi instituti habes Lector optime, viuum, & admirandū exemplar Serenissimam, & Immortalem Venetam Rempublicam aureo Senatorum Satu, & Cœlesti Patritiorum progenie cæteris omnibus præcellentem, quæ veteris Maiestatis Italici Imperij post Romanos Imperatores deletos, Pietatis Catholicæ, Iustitiæ, & inconcussæ libertatis vnicum est domicilium, & acerrima Vindex, tùm aduersùs Barbaros à varijs orbis terræ plagis cerui-

plagis ceruicibus nostris imminentes inuictum propugnaculum : Hæc commissos sibi populos, & subditos tam paterno, & amabili affectu, & cura tuetur, & moderatur, vt summæ fęlicitatis loco ducendum sit, & prærogatiuæ non aspernendæ tantæ, ac talis Reipub. subditum esse : Haud exiguus ergò Senatorum numerus aureæ geniture, qui nos regunt, sed modò hic, modò ille: Custodes argenteę naturę, Æs, & Ferrum ablegatū ad Artifices, qui summa industria, & ingenio artes egregias humano generi pernecessarias in Vrbe Principe exercent, & ad perfectionis apicem perducunt.

Cæterum quisquis es, qui tantę Reipublicæ maiestatem libens veneraris, quæso te, ne Bernardum Saccum Papiensem lib. primo cap. xiv. de rerum Italicarum varietate, & elegantia, vel historiæ Ticinensis perlegere graueris: Peregrini hominis, & Auctoris clarissimi inconcussum, & fidele testimonium de Serenissima Veneta Republica eò spectat, vt perspicuè ostendat Venetias Transpadanorum populorum caput existere. Sed præstat totum caput auctoris doctissimi, & syncerissimi, cuius liber non adeò venalis omnibus prostat huc descriptum transferre, vt meliùs initia, ac veluti incunabula præstantissimæ Reipubl. quam immortalem, & semper florentem Deus, cui eius Pietas, & Iustitia curæ est, tuetur, vel homuncionibus quibusdam furiitis, & maleuolis frendentibus, passim conspiciantur: Ita igitur Saccus.

Si quis meam descriptionem deridendam putauerit, quod caput Venetias finxerim à terræ continuatione diuisas, dixeritq; me corpus formasse abscisso capite, longèq; transposito: respondebo Mare, vbi ipsa Ciuitas eminet, Italicū esse; Itaq; quod in eius tractu ędificatum est ab accolis Italicum est, iureq; gentium, ac ditione propinquioribus pertinet, & cum propinquiores Transpadani sint iure gentium ipsa Venetia Transpadanis iungitur, sicut etiam ipsius Transpadani generis funiculus est. Et quamuis per terræ superficiem, atque iuncturam continenti non cohæret, eidem

Mmm tamen

tamen potioribus modis, nodisque à natura editis coniuncta, atque communis est gentis origine lingua, ritibus, & alijs naturæ, & generis inditijs. Quis enim nesciat inter Transpadanos populos Venetos Maris accolas antiquissimos fuisse, Romanosque collabente Imperio continentem deseruisse, finitimisq; euocatis, præcipuè Aquileiensibus ad euitandum alienorum iugum, atq; sæuitiam in propinquas Insulas commigrasse, sedesque ibi suo iure locasse, prisca Venetiæ appellatione retenta, ac propagata: qua quidem in re si Gentis originem, & antiquitatem in ipsa Prouincia habitam, ac continuatam spectare libet antè Romam conditam Venetam viguisse gentem suo iure, & auspicijs facilè inueniemus: Liuio apertè attestante lib. v. ab Vrbe condita antè Romanum Imperium Thuscos emissis Colonijs Transpadana loca passim occupasse Venetorum angulo excepto: Venetis ergo priusquam alteri genti in Transpadano agro circa sinum Adriaticum Statio fuit. Qua quidem Statione, nuncupationeq; in alterum locum eiusdem regionis, iurisq; translata eadem manent in Gente antiuitatis qiura ac momenta, tamquam progenie transmissa: Nemini enim terræ summitatem contemplanti vitis palmes terram hic subiens, alibiq; exurgens à materno stipite traductus postquam adoleuerit apparet, propaginis industriam vetustate abolente, sed diuersum esse palmitem à stipite vnusquisque rei ignarus, imprudensq; existimabit: At si propaginis submissionem, naturamque resciuerit, eiusdem generis esse antiquum stipitem, ac nouum palmitem dixerit, agnoscetq; prudens contemplator eadem esse in vtroq; ligno internodia, similes gemmas frondes, pampinos, racemos, atq; vuarum speciem, vel qualitatem, loco tantum in sua regione, & genere mutato. Simili ratione Veneti Populi Italiæ antiquissimi à Patauio, & finitimis oris in Insulam sui iuris, tractusq; delati, non nouum, sed priscum genus gentis suæ propagatione repræsentant loco tantum in suamet regione commutato, Statumque præsentem suo Iure ad priscam originem potius quam ad Insulæ Incolatum referre probantur: Maris interpositione

positione situm tantum, non ius eorum, possessionemq; diuidente, quod iuris argumento probatur: Iure enim definitum est Dominum à Prędio remotum per Colonos suos possidere. Si ergò ius mihi ipsi à re mea diuiso possessionem seruat pari ratione in Insula agenti Populo per Reipublicæ administratores continentis possessio seruatur; qua quidem possessione seruata Maris interpositio pro nihilo putatur Iure ciuili, naturalique ad dominij, & possessionis vim potius, quàm ad loci interpositionem spectante, & ad absentem Dominum rerum dominia durante possessione, referente: Minimè ergo ridicula, sed veridica potius mea Descriptio censenda est Venetorum origine cum continentis dominio, & possessione coniuncta & cui etiam origini, & possessioni alij postea adiecti, atque superuenientes populi, tamquam accessione partes adhæsere in vnumq; populum coaluere, principalis dominij substantia ex adiectis partibus aucta, & non immutata; iure enim definitum est, accessoriũ principalis naturam sequi, & imitari, non è contrario dictaque accessoria, ex eo quod accedunt alteri principaliori, digniorіq; videntur, ex qua ratione alia etiam vulgata iuris regula nascitur: Dignius ad se attrahere, & allicere minùs dignum: Digniores enim primi Insulæ Incolæ omni iure censentur, in quam quidem dignitatem traxisse alios postea populos publico Dominio constituto videntur antiquitatis, & dominationis communicatione per continuationem diuersa in se tempora coniungente, & communicationis vinculo posteriora prioribus quasi alluuionis adiectione, incrementoq; in vnam formam componente: & de quo quidem Dominio in Reipub. ordines, Magistratusq; disposito, multa mihi scribenda superessent, quæ libenter referrẽ, vt illis clarissimę Vrbis instituta, ritusq; paterent, sed peritorum Virorum censuram veritus monentiũ ab ipsius Vrbis Patritijs luculentius, quàm à me Peregrino homine patria Iura nominari posse: subsisto. Hæc Saccus, cuius librum Margaritarum Saccum doctissimus Pignorius noster vocat, per Patritios verò qui patria instituta & Iura narrarunt intel-

ligit fortè Saccus Gaſparem Contarenum Cardinalem amplisſimum, qui de Republica Venetorum ſcripſit egregiè & luculenter, quo Viro nobiliſs. & doctiſſimo, & Fracaſtorio noſtro, qui eius fuit amantiſſimus, nihil Patrum noſtrorum ętas doctiùs, & pręſtantiùs tulit. Huic ſi adiungas Hermolaum Barbarum maiorem natu, & Petrum Bembum, Triapoctrinæ, & optimatum litterarum lumina ſplendidisſima, in amplisſima, & diuina Republica facilè venerabundus agnoſces.



FERRI minera, quæ quoniam terram valdè impuram, & exuſtam obtinet cum exiguo humore aqueo ſubnigro colore liueſcit ſplendore etiam cęteris poſthabenda quod exiguo humore aqueo ſit donata, eoque impuro, nec benè, & ſolidè cum terrea exhalatione permiſto: contrariæ porrò aquei humoris Dotes metallis perſpicuitatem pariunt. Hæc dum vritur fumum fętidiorem auro, & argento emittit, quòd terream portionem obtineat valdè craſſam, & aduſtam: quo fit, vt vilior cęteris metallis habeatur.

FERRI vena proprij coloris cum magnete rubri coloris miſta ex Bohemiæ Fodinis.

FERRI vena Iluana gleboſa minutis veluti Bracteis lapidis ſciſſilis modò compacta, quod & Cæſalpinus lib. iij. Cap.6. obſeruat: ob ferri enim venam nobilitata Ilua Tyrrheni maris Inſula incredibili copia eam gignens, quæ enim terra eruitur, dum vena effoditur, tota progreſſu temporis in venam conuertitur, candidiorem laudant, & quæ rubricam habeat admiſtam, luteam, & nigram damnant, cuiuſmodi in noſtro naturalium rerum Theſauro reperiuntur.

FER-

FERRI gleba ponderosa valdè, quia materiæ ferreæ multum sit locuples, ex cuius tota base, quæ terra subnigra est à natura substructa folia multiplicia diuersas partes imitantia non sine oculorum admiratione adeò perbellè pullulant, vt à quouis peritissimo Artifice sic ad viuum exprimi non possent.

De Ferro pulchrè Scaliger: Si ferro carendum sit nobis non benè nobiscum agatur: Quin hoc ad hominis vsum moliri piam parentem naturam potius, quam aurum, qui negant in auaris, non in sapientibus his liceat nomen suum profiteri: idcircò excoqui ferrum à natura, vt fiat æs esse falsissimum: Fusionis ferri difficultas copiosam exhalationem crassam, & terrestrem, ex qua constat, significat cum pauxillo humore aqueo: Liuescens color materię impuritatem, ob quam facillimè rubiginem contrahit, & tandem in puluerem vertitur, purgatum ad argenti candorem accedit, Chalybs; & στόμωμα à Græcis dicitur, Latinis Acies, Italicè Acciaio; rationem eius perficiendi lib. IV. meteorum Aristoteles docet, Ferrum scilicet igne vehementissimo fundi, vt fluat sicuti cætera metalla, quo opere multa separatur scoria, & recrementum, hinc purius, & durius fieri ferrum, quod cum sæpè præstiterint Chalybem effici: at diuturna coctione ferrum fieri durius docet Scaliger, quoniam lentorem omnem deponit, vndè primo rigidum, mox fragile redditur, cum igitur vi ignium multum ab eo abscedat, nō curant opifices vltimam eius perfectionem: Aquarum etiā ratione durius redditur, quibus extinguitur, postquā ignitum fuerit: hoc pacto Comum in Italia (teste Cæsalpino) ab huiusmodi aquam nobilitatum, varijs etiam succis ensibus, loricis, atque alijs instrumentis durities conciliata: Alberto laudatus succus Raphani admistis lumbricis terrestribus. Ferri natura exsiccat, & adstringit: Candens extinguitur sæpè in aqua, aut vino aduersus cęliacam affectionem, dysenteriam, stomachi dissolutionem ἀτονίαν, tum splenis tumores, Dioscoride auctore, quod facultate acri

Exercit. 106. cap. 2.

præ-

præſtat, teſte Valleſio, & aſtringente, quæ veluti Calcar eſt acrimoniæ, ad hæc præſtanda efficacior Chalybs, quia durior, & ſiccior: Huius Scobem in vinum generoſum infundunt, quod multis diebus ieiuno ventriculo ſumunt qui Epatis, & lienis contumaci obſtructione laborãt, vel ſcrup. I, aut drachma dimidia, cũ Diarhodon, vel Hiera exhibetur: in maiori doſi non videtur capiendus, vt multi preſcribunt ad ſcrupulos v, cum enim aceto præparetur in rubiginem vertitur, quæ noxia eſt, & malefica: Illud poſtremò animi cauſa perquirendum an ferrum à Magnete trahatur, an potius ad Magnetem per ſe ipſum moueatur: poſteriorem hanc partem tuetur magnus Scaliger: idque ſubtili argumento omne appetens propter ſuam perfectionem appetit, ſic membra trahunt alimentum, vt nutriantur, & elementa ſibi conuenientes locos petunt, vt ibi conſeruentur, at ferri pabulo non indiget Magnes, non ergo illud attrahet, ſed potius ferrum ad Magnetem mouebitur tamquàm ad Matricem ſuam, cuius abditis principijs perficitur: id verò longè ſubtilius adijcit; Eſſe proprius veritatem vt ab interna virtute potius, quàm ab externa, à qua non tangitur moueatur, veluti mouetur Catulus ad mamillam, & anima noſtra ab intimo principio, quod ſummi boni appetit fruitionem, eſt enim principium noſtrum primi particeps principij, & vltimi finis: Hac doctè, & ſubtiliter, vt omnia ſolet, Scaliger: erudito Lectori optionem liberè conceſſerim vtram volet ſententiam amplectendi.

Exercit. 102. cap. 6.

EX THVANI VIRI CLARISSIMI HISTORIA Anni M D L. de Rege HENRICO II. Stupendæ naturæ Lapis.



ACTVRVM me operæpretium arbitror, si antequam de hoc insigni, & pręfulgido lapide Thuani verba proferã me apud cordatos lectores paulisper expurgem: dum fortè elaboratiorem stylum, & ad Lipsianorum normam, vel recentorum criticorum amussim fabrefactum postularent: atque eo præsertim, quod in describendo veteri, & præclaro Musæo, quale nostrum est, seruiendum Germanorum, Gallorum, & Belgarum Palato erat, qui viros pereruditos edunt, qui Erasmi institurione, & imitatione, oppido quã linguæ latinæ proprietati, & elegantiæ operam dant: nos sanè mediocritati laudabili studentes: horridum, & incultum nonnullorũ stylum pro virili euitamus, affectatas etiam veluti calamistro delibutas orationis phaleras non probamus, quod in philosophia potissimum Ciceroni magno styli Indici placuisse inconfesso est: Sicut interiorum animi notionum sermo est index (teste Aristotele) ita sermonis imago est scriptio, & stylus: dirimi igitur quæstio hæc poterit proposita sententia Viri doctissimi, qui interrogatus, quomodo Orator Bonus à malo discerni posset, cum aliquem audimus, nec de nomine antea cognitum, respondit cum Seneca Epistola c xv. id, quod ad rem nostram valdè mehercle facit. Lib. de Fini.

Cuiuscumque orationem, addam ego & scriptionem videris sollicitam, & politam, scito animum quoque non minùs esse pusillis occupatum, magnus ille remissius loquitur, & securius, quæcumq; dicit plus habent fiduciæ, quam curæ; Oratio vultus animi est (scriptio pariter orationis interuentu) si circumtorsa est & fucata, & manufacta ostendit illum quoq; non esse syncerum, & habere aliquid fracti, quòd sanè Senecæ præceptum, & admonitio in communi vita, atq; hominum consuetudine

tudine

tudine veriſſimum eſſe facillimè obſeruatur.

Accedo ad ſtupendum lapidem: quo loco benignos Lectores exoratos velim, ne mihi vitio vertant, ſi vt adagio fertur, veluti extra chorum ſalto: Singularis enim Lapidis ſingulari loco, & ſeorſim ab alijs mentio facienda nec vllo pacto prætermittenda, tum vt Viri eruditi ex admiratione contemplandi eius cauſam cupiditate incendantur, tum vt Franciſci Calceolarij Iunioris diligentiam, & ſtudium locupletandi Muſæi omnibus teſtatum faciam, cum huiuſmodi lapidem, quem in Luſitania eſſe intellexerat, nulli impenſæ parcens conquiſierit, licet adhuc voti compos factus non ſit: Ita igitur magni nominis Hiſtoricus Thuanus Gallus de eo lapide ad verbum.

Dum Rex Bononiæ eſſet allatus eſt ad eum ex India Orientali ab homine incognito, ſed vt apparebat moribus Barbaro lapis ſtupenda ſpecie, & natura videlicet lumine, & fulgore mirabiliter coruſcantibus, quique totus veluti ardens incredibili ſplendore micabat, & iactis quoquo verſus radijs ambientem aerem luce nullis ferè oculis tolerabili latiſſimè complebat: Erat & in eo mirabile, quod terræ impatientiſſimus, ſi cooperiretur, ſua ſpontè, & vi facto impetu confeſtim euolabat in ſublime: contineri verò, includive vllo loco anguſto nulla hominum arte poterat, ſed ampla, liberaque loca duntaxat amare videbatur, ſuum in eo puritas, eximius nitor, nulla ſorde aut labe coinquinatus, figuræ ſpecies nulla ei certa, ſed inconſtans, & momento commutabilis, cumq; eſſet adſpectu longè pulcherrimus, contrectati tamen ſe ſe impunè non patiebatur, & diutius contra adnitentibus, aut obſtinatius cum eo agentibus incommodum afferebat, quod multi multis ſpectantibus ſunt experti, ſi quid fortaſſis ex eo enixius conando detrahebatur, nam durus admodum non erat, nihilo minor fiebat: Huius virtutem, ac vim eſſe ad quamplura cum vtilem, tum præcipuè Regibus neceſſariam aiebat Hoſpes, qui miraculum oſtentabat, ſed quam reuelaturus priùs non eſſet, niſi ingenti pretio priùs accepto. Hæc vt in literis

Io. Pi-

Io. Pipini oculati rei testis, qui in Familia Annæ Momorantij M. E. medicinam faciebat ad Antonium Mizzaldum, & ipsum insignem Medicum pridie ascensionis Bononia datis perscripta sunt, ita trado, & amplius discutienda Physiologis relinquo, nam veteribus, qui de huiusmodi rebus scripserunt similis lapis necne cognitus fuerit, nec Pipinus ijs literis se scire dixit, nec ipse affirmauerim: Hæc Iac. Thuanus.

Audiui porrò multos haud istarum rerum imperitos, qui magica superstitione conflatum lapidem putarunt; si non fœda illa, & sordida, quæ infima & nostras (ait Scaliger) *Exercit. 327.* & iurè ab ipso reijcitur, at media illa, quæ ex Astris deducit vires in specula, sigilla, annulos, tabellas (nam tertia magia diuina est, & mera sapientia, qua Dominum IESVM promissum Regem Magi ex Oriente nouerunt) verum Astrologica illa magia superstitiosa pariter est, vt alias à nobis est disputatum, nec verisimile est erronem illum Hospitem ad eam peritiam animum appulisse, potiùs superstitiosa dæmonum magia præditum fuisse: Alij putarunt, quos consulebam, lapidem esse venis auri, & argenti purissimis oppletum, & splendore intermicante confertum; alij astroitem, vel asteriam splendidiorem. Vtcumq; res se habeat curiosis rerum naturalium disquisitoribus hocce inuestigandum relinquo.

DE METALLORVM MISCELLA Quædam perstricta.



NATVRA docti, inquit Agricola lib. viij. de natura fossilium, metalla miscemus, quod ipse planiùs, & singillatim persequitur, nec tantum natura temperatione metallorum docuit nos metallum facere, sed casus etiã, qui naturam imitatur, nam incensa Corintho Aurum, Argentum, Æs in vnum confluxerunt: Hinc tribus æris Corinthij generibus Fortuna tem-

peraturam dedit, quorum candidum, teste Plinio, nitore argento proxime accedens, quod in mistura præualuit; alterum, in quo Auri fulua natura, tertium in quo æquabilis omnium miscella: naturam, & casum Ars, & fraus imitantur, ait Agricola, variè metalla cum metallis permiscentes, κράματα Græci vocant, Latini temperaturas: Nonnulli sui compendij causa vilioris metalli partem magnæ pretiosioris massæ admiscent, occulta fraude non artis aperta prerogatiua, vt redemptor ille fraudulentus, cui Hiero Syracusanus coronam auream faciendam locauerat, dempto enim auro, tantumdem argenti miscuit operi coronario, cuius furtum Achimedes deprehendit; hactenus Agricola, sed facturus operæpretium videar si deprehendendi furti rationem subtilissimam tanti Philosophi, & Math.ci in gratiã studiosorum subnectam: quã à Viris pereruditis, qui Problemata de elementis ediderunt, excerpsi: E duobus corporibus solidis æquali pondere id, quod minorem habet quantitatem grauius est, quod maiorem leuius; & è conuerso, hoc argumento portio argenti admista, & adulteratum aurum in Corona deprehensum est ab Archimede, qui Balneũ adijt, vbi casu animaduertit, quantum corporis sui in balneo esset, tantum aquæ exterius diffluere; tùm verò duas massas æquali pondere; quo etiam fuerat Corona, ex auro vnam, alteram ex argento composuit, oportuit autem ratione prædicta argenteam ampliorem esse, iniecitq; singulas in vas ad summa labra plenum, ac sextario mensus est quantum aquæ singulæ de vase expulissent: expulerat autem argentea massa plus, quia maior: Tum repleto iterum vase coronam ipsam in id dimisit, inuenitque tunc plus aquæ deffluxisse, quàm cum aurea massa eodem pondere immersa fuerat, sic ex aquæ diffusæ proportione cognouit corporis leuioris, proindeque cum eodem pondere habentis maiorem molem, hoc est argenti admistionem in corona factam: Hæc ille.

Cæterum & Plumbi candidi vena in Musæo reperitur argento minùs candida, in hac terra obscurior inesse videtur, non

non ſine humore aqueo ſatis deſęcato, vndè candor,& perſpicuitas læuis, dura, & tenax exiſtit, Stannum vulgò dicitur κασσίτερον è Gręcis; ſicuti nomen μόλιβδος ſoli nigro plumbo attribui videtur, mollitie porrò, & fuſionis celeritate album, & nigrum plumbum conueniunt, cæteris diſcrepāt, Chymiſtæ candidum plumbum gigni ex argento viuo, ac ſulphure putarunt, ita tamen, vt ab argento viuo ſuperetur ſulphur: Opificem cum Aſtrologis Iouem ſtatuere, ſicuti nigri plumbi Saturnum ita auri Solem, argenti Lunā, æris Venerem, ferri Martem, hydrargyri Mercurium, errantes Stellas viribus, quas defluentes exercent in materia, efficere metalla (influxus vulgo vocant) inerrantes gemmas, proindè iſthæc omnia virium propriorum Syderum maximam partem obtinere: Quæ perſuaſio (vt optime, & veriſſime docet Agricola) cum nulla demoſtratione fulta ſit, ab otioſis,& deliris Magis nihil non tribuentibus Aſtris eſt confiċta, vt ſuas nugas vulgo, & viris benè nummatis vendibiliores efficerent. Plumbum in medicina recipitur exterius ad refrigerandum, & adſtringendum, fluxiones ſiſtit, cicatrices inducit, proindè teritur, & lauatur: exuſtum, & lotum ſiccantius fit, & acrius: Plumbi laminæ lumbis adalligantur ad refrigerandam venerem (ait Cæſalpinus) quem vſum ego ſemper ſuſpectum habui, cum hoc pacto renes refrigerari, & malè affici, vrinaque ſupprimi poſſit: magnis potius exercitijs cum victus parſimonia ſpiritus vitales ſuperuacanei in ætate florentibus, & materia ſeminis propria ſanguis purior, & benè coctus nutriendo corpori ſuperfluens abſumuntur, hincq; multus Veneri fomes adimitur. Qua de re fusè, & ſolidè à nobis actum eſt libris duobus de Salubri vſu Veneris, quos propediem, Deo iuuante, in lucem edemus communi iudiciorum aleæ ſubijciendos, cum nouam, nec ab vllo hactenus tentatam prouinciam nos primi inuaſerimus.

STIBIVM foſſile horridius, & ſcabroſum magis eo, quod aliàs deſcripſimus, minùs ponderoſum, minùs radians, are-

nosiusque: adeò semper ferè natura imperfectioribus rebus gignendis perfectiorum eiusdem generis dignitatem magis elucere, & nitescere facit.

STIBIVM fossile Iluanum rotundis crustulis anguli figuram exprimentibus quasi conglobatum.

CARBO fossilis ex succo bituminoso genitus, vt Gagates, lapis Obsidianus, Camphora, terra ἀμπαλῖτις teste Agricola lib. IV. de natura fossil. vult enim eundem succum tot dici vocabulis propter varietatem qualitatum, quibus distinguitur, & sermonis gentium, in quarum terris oritur, & diuēditur: Differt à terra Ampelite, natura durus est, & solidus, & vice carbonum in Germania ad fundenda metalla vtuntur, quem vsum Ampelitis præstare nequit: præterea Ampelitis, Hermolao teste, & Theophrasto in Cicilia coquitur, lentescit, vitesquè, obunguntur, quarum vermiculos necat, qui gemmas earum rodunt, at Carbones fossiles non soluuntur: Verum in Musæo etiam seruatur Carbo Batauorum ex luto nigro, cuius glebæ durescunt in lapides, quibus veluti Carbonibus, ad ignes parandos vtuntur.

Cæsalpin. lib. 2. cap. 53.

TALCVS fossilis vulgò in Italia dicitur lapis ex tenuissimis laminis, veluti bracteis argenteis constans, vndè scissilis dici potest, licet à lapide Schisto differat, quoniã hic crocei coloris, & in laminas rectas finditur: Talcus glebas ponderosas, & subuirides obtinet, & laminas flexibiles, & vario modo complicatas; Bracteæ separatæ apparent argenteæ; quoniam verò earum micæ instar Stellarum splendent, Talci nomen est adeptus, Talc enim apud Mauros Stellam significat: in Igne perennat, neque enim funditur, aut liquescit, nec comburitur, aut colorem amittit, Chymistæ tamen artificio soluunt in liquorem, ait Cæsalpinus, quem Oleum Talci vocant argenteum æri splendorem se conciliaturos sperantes: Suspicatur idem Cæsalpinus esse Talcum Argyrodamanta veteribus vocatum, quod indomitus

tus in igne perseueret: Lapis crustosus (ait) argenteus fragilis in colle Petræ Sanctæ, quem ignis non absumit, fortè apud Plinium est Galaicos Argyrodamanti similis paulò sordidior: Hæc eò dicta volui vt Talcum Musæi nostri exquisitius delineatum repręsentarem: nonnisi ignis maximo artificio aduritur, vstum efficaciorem, & tenuiorem ferũt: frigidum primo, siccum secundo ordine dari cum aqua Plantaginis ad sputum sanguinis, fluxum menstruorum, & hæmorrhoidum, & Dissentericis infundi, Auicennas tamen consultius monuit periculosum esse, si sumatur interiùs, quia eius laminæ hærent infixæ ventriculo, faucibus, gulæ.

TALCI Minera Tirolensis: Terra est satis dura, grauisq;, quæ cinereo colore, cum aliqua viriditate albicat, ex cuius tota massa fluores quidam parui Adamantis instar acuminati, & pellucidi expullulare oculis intuemur.

ALVMINIS Rocchæ minera, quæ in Musæo ostenditur, lapis est ille, quo cremato in agro Romano propè Tolfam alumen Rocchæ factitium, glaciale à Chymicis dictum, conficitur: Cęditur ibi lapis candicans prædurus qui mollior est (ait Cæsalpinus) subrubens, qui durior, vstus hic lapis fornacibus pluribus diebus irrigatur, donec in lutum tabescat: iniectus feruenti aquæ substantiam aluminosam deponit, quæ à fęcibus depurata in ligneis receptaculis ad crystalli similitudinem concrescit, ex candido lapide candidum, ex rubenti subrubens Alumen conficitur: Illud tingendis claro colore sericis, & lanis expetitum; russum acrius est ad vlcera putrida, & vbicunque vehementi adstrictione opus est vtuntur Medici. Alia genera Aluminis natiua, liquidum ex luto, & aqua veluti exundantis terræ natura, nam Hyeme corriuatum Æstiuis Solibus maturatur: licet liquidum dicatur, non est tamen fluidum, in pilulas enim conformatur (teste Plinio) contra lienis vitia & ad pellendum pruritum, & sanguinem per lotium: *Ex Plinio.*

Schi-

Schiſton ſciſſile tenuiori ſubſtantia, rotundum, Aſtragalotes ex Galeno, hoc eſt Talaris, cum adſtrictione acrimoniani iunctam habet, quare & adſtringit, & expurgat, Alumen plumæ Amiantum eſſe ferunt, Scaliolum lapis eſt ſpecularis inter genera Gypſi, Catinum inter Nitra factitia reponitur, Fæcis inter Nitra factitia fex vini combuſta, Zuccharinum Mulieres adhibent ad dealbandam faciem, ex Alumine Rocchæ, ouorum Albumine, & aqua roſacea conflatum.

Quam Galenus lapidoſam Cadmiam ſe in Cypro inueniſſe teſtatur in montibus, & riuis omni præſtantiorem Cadmia: ea videtur noſtri Muſæi exiſtere, foſſilis ſanè non ex obrutis, ſed ſubdialibus petris habenda, omnis expers metalli: terra potius lapidoſa quam lapis, ſatis grauis, ſed non multum dura, operariorum manus, ac pedes diutius tractata exedit, quod ex terra ſucco acri ſalſo, & corrodenti permiſta, concreſcat, coloris eſt ſublutei, aut ex candido palleſcentis; proinde cremata fumum emittit luteum in quem poſtmodum euaneſcit, qui ſi fortè corpus inficiat, ſtuporem paralyſim, nec non ſpirandi difficultatem Δύσπνοιαν præter alia vitia inferre ſolet. Hanc Fuſores æri permiſcent, vt coloratum Aurichalcum efficiatur, lapis Calaminaris, vel Calmei metallicorum Germanorum, Giallamina vulgò.
Hermolaus Barbarus lib. v. coroll. tradit Galenum lapidoſam Cadmiam circa Solos in Cypro Inſula naſcentem fornacariæ prælatam ætate ſua meminiſſe inuentu raram: Poſſidonium ex Cyprio tantùm ære lapidem Cadmiam fieri memoraſſe ſit, & in argenti fornacibus Cadmia candidior, & minus grauis, ſed neutiquam ærariæ comparanda.

CADMIA Βοτρυίτις racemaria ſcilicet Græcorum, quia interior ſit, & Cameris dependeat (ait Hermolaus) cui prima dignatio tribuatur, Capnitis à Plinio appellata in ipſo fornacum ore inuenta, qua flammæ eluctantur, exuſta grauior, Duo huius colores cinereus, & puniceus, qui melior:

Friabilis

Friabilis hęc, & medicamentis oculorum vtilissima: Vtraq; Cadmia in Musęo inuenitur: Baccata etiam dicitur, & racemosa, quod in metallorum excoctione in corpus concrescat faciem racemi vuarum referens Tutia officinarum putatur, sed perperam, ea.n est pompholyx benè elota, quamquam illud nomen (teste Cæsalpino) vulgò retineatur etiã in Cadmia.

POMPHOLYX etiam optima in Musæo à nobis deprehensa: Hanc conueniunt omnes scriptores esse æris & Cadmiæ dum excoquuntur, fauillam, & vt nomen indicat, ampullam, quasi bullantium aquarum, inquit Hermolaus: Spodum verò, vel Spodium, quasi cinerulentum dixeris, partem etiam nigriorem, & ponderosiorem & impuram mistis scintillis, & carbonibus: Hippocrati μελανκύπριον vocatur, quasi atramentum Cyprium, nam & Possidonius è Cyprio tantum ęre fieri Spodium putauit: Pompholyx profectò è fornacibus euolans, & domicilij ærarij tectis instar tenuis fuliginis adhærescens à fuligine distat candore, quod minus ex ea candidum est immaturæ fornacis argumentum: quod rubicundius inuenitur acriorem vim obtinet: Ex sola quoquè Cadmia fit Pompholyx, teste Galeno: Inuentu rara est (ait Aëtius) Pompholyx & adulterari facilis: laudatur non candida, sed quæ subliuet, quæq; carbonibus inspersa flammam ignis auream videri faciat, hæc disertè Hermolaus, quibus adstipulantur quæ Cęsalpinus, & eo vetustiores Dioscorides, & Galenus, Pliniusq; memoriæ prodiderunt quos Auctores optimos curiosus Lector adire poterit: Tutia est Arabum, & officinarum cum bene elota, & præparata fuerit, & Nil Germanorum: propterea iucundo & festiuo Dicterio vel Adagio id circumfertur, Nil oculis prodest: mirificam enim siccando, absquè mordicatione in oculorum affectu opem præstat.

DIOPHRYGES, quod bis veluti coquatur, à Sole siccatum mox sarmentis vstum sic appellatum, è luto fit quodam

in

in Cypro ex ſpecu eruto, hoc igitur foſſile eſt, & primum à Dioſcoride poſitum genus: διὰ τὸ ξηροποιεῖσθαι, καὶ οἱονεὶ φρύγεσθαι areſcat & ferme torreatur Ruellius vertit, q̃ nõ benè Marcell⁹ expreſſit, tum cremijs incenſum dum elegantiam affectatã & Plinianã breuitatem ſequitur: φρύγεσθαι enim eſt torrere: cui reſpondet noſtra vox Italica Frigere: Alterũ genus eſt perfecti æris vertit Ruellius; elaborati ego verterem κατεργαζομένου χαλκοῦ, in confectione æris Marcellus longè melius, tamquè ὑπόσταθμη τὶς, καὶ τρὺξ ſedimentum & fex: ſublato ære in ima parte Fornacis adhærens id genus inuenitur, adſtringenti guſtu, & ſapore æris, στύψιν, καὶ γεῦσιν χαλκοῦ ἔχον Dioſcorides, verterem ego Adſtrictionem, & guſtum æris habens, ita enim fideliter exprimitur Dioſcoridis mens, & ſententia, quam deprauant, & inuertunt interpretes ſolidæ doctrinæ rudes, ſoli elegantiæ, & rotundæ phraſi addicti, quo errore, & cacozelia litteraria quæ & Ariſtotelis doctrinam Hippocratis, & Galeni infecit, & corrupit nulla in Republica Medica, & Philoſophica perniciofior, nam & Theodorus Caza putidiſſimos errores commiſit dum Ariſtotelem vertens. orationi ſolùm latinæ elaborandæ operam dat genuinam verborum ſignificationem, & vim floccifacit, quod Hermolaus Barbarus, Scaliger, Mercurialis obſeruarunt, & nuperrimè doctiſſimus Septalius. qui ſectiones quaſdam Problematum Ariſtotelis ſolidè, & fideliter, abſque orationis fuco tranſtulit; Profectò longè melius conuerſio vetus ad verbum facta mentem Ariſtotelis, & Theophraſti refert, quam huiuſmodi eruditorum nullo ſucco ſerię doctrinæ imbutorum ambitioſa ſedulitas: In hoc vitium Ioachymus Perionius, & Bernardinus Donatus Ciuis meus incurrerunt: hic dum quæſtiones quaſdam Platonicas Plethonis Gemiſti conuertit: & germanas auctoris voces, quæ propriæ ſunt diſciplinæ, Ciceronis phraſibus anxiæ conquiſitis, & veluti torno elaboratis exprimere ſatagit: ille pariter dum moralem Philoſophi doctrinam vertit. Benè profectò cum Ariſtotelis philoſophia eſt actum, cum nouiſſimi interpretes Pendaſius, Zabarella, Picolomineus ambo Doctores

mei

mei litterarum Græcarum notitia florentes Germanum sensum philosophi multis in locis nobis expresſè reddiderunt, non enim tantus philosophus à meris litteratoribus, & criticis Philologiæ cuiusdam exsuccæ professoribus exponendus fuerat, ille enim rerum doctrinam affert, illi meras phrases, & vocabulorum ieiuna lenocinia: Eccè tibi quidam ex eorum classe Mineræ nomen apud recentiores philosophos tritum damnauit: Sed nec quid eius loco substinendum esset, nouerat, profiteor ego cum Agricola Arabes sub hac voce Mineræ subijcere rem, quam Græci nominarunt Metallum, cuiuscunq; rei fossilis fuerit: Scaliger Sulphuris matricem, quā Mineram vocant, si non vratur, odorem non dabit, scripsit Exerc. 104. Si igitur Mineræ vox displicet, Matricis nomen substitue; sed sua voce Arabes longè expressius, & significantius propriam metallorum, & rerum metallicarum matricem reddiderunt, quam nullum aliud latinum verbū exprimere potest: sed nos res physicè scribimus, non inane, & anxium verbum studium sectamur; Cornelius Tacitus sapientem virum inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione, & periculis vacuum docuit, ita nos inter ieiunos litteratores, & affectatos litterarum mystas, & barbaras argutorum disputatorum nænias solidam doctrinę laudem sectamur, Scaligeri, Hermolai Barbari, Agricolæ, quos solos proceres variæ, & solidæ doctrinæ putamus, in describendo Musæo pro virili imitatores. Quocirca mihi decretum est, quod alias sum pollicitus, si Deus vitam concesserit, nouam, & fidelem moliri Dioscoridis traductionem, quæ Medicinæ, & Chirurgiæ praxim exercentibus mirificè sit conducibilis, & fructuosa. Sed ad Diphryges redeo, cuius tertia species est, quæ ex Pyrite cremato fit per multos dies, vt calcem in caminis cremant, cumq; colorem Rubricæ contraxerit, eximentes recondunt. Porrò secundum genus illud est, quod in Musæo CALCEOLARIO asseruatur, vt oculata prodit fides.

MINII mineram in eodem Thesauro pariter conspicimus asseruatam : hanc Plinius noster Ciuis, & Dioscorides non sine aliquo discrimine describunt : ille ex arena rubente quadam in metallis argenti fieri tradit, in Hispania reperiri, sed durũ esse, & arenosum miniũ ; optimum supra Ephesum, arenã esse cocci colore; Dioscoridi Minium à Cinnabari differt : in Hispania fieri docenti ex lapide quodam permisto argenteæ arenæ τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ ; aliteŗ non dignosci : fornacibus autem ἐν δὲ τῇ χώνῃ in florentissimum, & flagrantissimum colorem permutari : hoc pacto meliùs Ruellius, quam fulgentissimum, vt Marcellus vertit; φλογωδέστατον enim χρῶμα à flammæ fulgore, & flagrantia ductum; Vbi de argento viuo agit, fieri ex Minio docet, quod malè à quibusdam Cinnabaris dicitur; lapidem hunc qui continet argentum viuum, tamquam vomicam etiam in Argentum excoqui testatur Plinius : in Metallis strangulantem halitum eructat ἀποφορὰν πνιγώδη, Itaq; faciem incolæ vesicis obuelant, vt per illas spectent, ne respirando noxium aërem attrahant : Fuit inter Pigmenta magnæ authoritatis (ait Cæsalpinus) Aristoteles tamen 3. meteorum Cinnabari vocat, esse lapidem inter eos, quorum σύστασις consistentia est puluis coloratus: ita & Galenus vocare visus, sed Dioscoridi, & Plinio Cinnabari voce Indica Draconis sanguinẽ significare videtur : Cinnabrium appellant vulgò : fossile non amplius est in vsu inuento alio genere, quod fit ex Sulphure & Argento viuo simul vstis, hoc pictores, & quidam Medici vtuntur in suffumigijs ad morbum Gallicum debellandum, ceratis etiam excipiunt ad vlcera cocoëthe, causticam enim vim, & erodentem obtinet. Agricola tamen in Bermanno natiuo potiùs Minio vti vellet quam Chymistarum, & Cinislonum factitio ex argento viuo, & sulphure, quoniam pulcherrimum illum ruborem sulphuris fœditate corrumpi putat : E Græcis quidam verum Minium non ἄμμιον, sed κιννάβαρι ob coloris similitudinem nominant, inter quos est Theophrastus : Illud mirum, quod expertum se dicat Agricola cum vena Minij lauatur, vt postea teratur, cum primum

humo-

humorem hauserit, pars illius in argentum viuum mutatur, id rursus siccatum, & contritum redit ad suum colorem: Vitruuius Minij glebam Anthracem à Græcis appellari scribit. Pictoribus, & Tinctoribus eius vsum fuisse perfamiliarem in confesso est, nam & Cicero Ceras miniatas vocat, & Ouidius, *Nec titulus Minio, nec cedro carta notetur*, dum suum alloquitur tristium alloquiorum libellum, sed cum disertè Dioscorides Minium non esse Cinnabarim profiteatur, nec quod sit Cinnabaris doceat: sollicitè quæsierunt posteriores, quid esset; Plinius, & Solinus Saniem Draconis Elephantorum morientium pondere elisi permisto vtriusq; sanguine esse tradidere: Medici reclamant, & commentum esse Mercatorum contendunt: Leonicenus quid esse metallicum; Arabes, & Serapio succum Syderitidis Achilleæ: hoc si verum esset Dioscorides, qui diligenter eam herbam descripsit, tàm insignem eius succum non tacuisset, vt Leoniceno videtur, qua in re lapsum grauiter Cardanum iurè contendit Scaliger, quòd Arabum placitis deceptus Sanguinem Draconis ex Dioscoride è Syderitidis herba excipi profiteatur, cum in Syderitidum historia de eo nihil tradat Dioscorides. Sed profectò non videtur spernendum iudicium, & authoritas Agricolæ, qui in Bermanno disertè fatetur se assentiri Arabum sententiæ: Succum enim esse, siuè lachrymam arboris gustum ipsum indicare: & Mercatorem quendam sibi retulisse in Lybia, & finitimis regionibus Arborem à se visam satis proceram, ex qua Sanguis Draconis manaret, vt in Rhetis è larice resina, quam medicamentarij etiam Itali pro Terebinthi resina vendunt: sed de his satis superque.



INERA (siuè Matricem Stanni dicere malis, quod Cassiteron Homerus vocat) similem Stimmi habet naturã, Ideò sub Stibio, vel Plumbo à Dioscoride comprehensum: Plumbum album distinguentes latini appellant. Pretiosissimum candidum à Grçcis appellatum κασσίτερον inquit Plinius noster: qui Stannum ob siccitatem nimiam inutile ad fundendum Argentum docet, plumbum verò esse vtilissimum ob suam humiditatem ad celerem argenti fusionem: Difficulter etiã funditur tum ipsum, tum eius vena (ait Cæsalpinus) egere plumbo mollificante, quod hodie affirmant, qui Stannum ex Anglia aduehunt eius metalli feracissima. quod Cassiteron indè aduectum ad vasa conficienda portionem plumbi obtinet; extenditur enim, & facilè funditur: hoc à plumbi humiditate comparat, sicuti à stanno plumbum partium tenuitatem, quod & Aristoteles 2. de generat. & corrupt. monuit, dum ait Stannum in exigua admodum quantitate Tex. 9. æri mistum colorare tantùm, vt videatur esse passio sine materia, quod arguit tenuissimarum esse partium, vt diffundi in æris ingentem molem possit, qui Aristotelis locus diligenter notandus, quo insinuari possit artem metallorum fundendorum, & permiscendorum sua ętate excultam, contrà quam credant quidam obstinatiores ciniflonum recentiorum Filij: è lapillis nigris paullum candore variatis cassiteron candidum fieri Agricola scripsit in Bermanno, at pura numquã in venis gigni huiusmodi metallica. Adnectam hic perfacetam Scaligeri Historiam, qua Magorum inanis conatus in vsu Stanni perstringitur: eius verba sunt. Exercit. 246. *Adiungenda est huic lucubrationi iucunditas: à Mago Cattiterinam lamellam ad arcendas muscas conflatam vidimus aliquandò, sed non sanè risu etenim spectantibus nobis ad eam depositam pro fenestra extemplo aduolans Musca, illicò aluum suum exornerauit: hæc ille.*

Nos hîc expressam Musæi Stanni effigiem subijcimus.

LAPI-



LAPIDIS Lazuli, vel Glebæ minerã, κύανον Greci, ceruleum priuato vocabulo latini dicunt; quidam Cyaneum saturatiorem ceruleo existimant, idcircò errare, qui Lapidem Lazuli cum ceruleo confundunt: Mesueus esse de genere marmorum scribit maculas ex auro habentem; alium porrò album, & dici Marcassitam, alium viridem, clarum, cœlestem, & vocari Lapidem Lazuli, quæ attributa viriditatem maiorem, & saturatiorem cum aureis maculis significare: his quippè designari meliorem Lazuli Lapidem, calidum, & siccum tertio ordine statuit: acrimoniam cum aliqua adstrictione obtinere, hinc adurere, vlcerare, putrefacere, incidere, abstergere: proindè præparatum, vt decet, humores melancholicos, & exustos purgare: Verum quoniam Hippocrates Medicinæ Princeps tria docuit esse morborum principia Plethoram, violentiam, & corruptum cœli, atque aëris tractum, prouidendum diligenter (cum de humani generis salute agitur) ne id quod præsidio esse deberet, violentos morbos, & præsentaneum Virus infligat:

Ex

Ex Platone enim in Carmide ἰατρικὴ ὑγιεινὴ ἐπιστήμη οὖσα τὴν ὑγίειαν καλὸν ἡμῖν ἔργον ἀπεργάζεται, hoc eſt ſalubris cum ſit Medicina ſcientia ſanitatem præclarum nobis opus perficit; Dioſcorides de cęruleo, & cyaneo ſcribit habere vim καταςαλτικὴν, καὶ μετρίως σηπτικὴν, ἐσχαρωτικὴν, καὶ ἑλκωματικὴν, quod eſt reprimentem, mediocriter putrefacientem; cruſtas gignentem, & exulcerantem; quomodo igitur ſe tueri poſſint Arabes, atq; eorum ſectatores, qui in catapotijs hunc lapidem deglutiendum præbent, haud ſanè video, nullus certè ex Gręcis auctoribus, quorum certior fides, & in re medica tutius iudicium bilis atræ purgandæ gratia Cyaneum lapidem deuorari docuit; immo Galenus lib. iij. ſimpl. medicam. disertè docet, quæ medicamenta erodendo, & putrefaciendo agunt, genere, non quantitate deleteria exiſtere, & quò diutius morentur in corpore, tantò magis agere, quem locum Galeni velim præ manibus à Medicis paulò audacioribus in metallicis vſurpandis haberi, nec valet quod aiunt benè ablutum omnem mordacitatem deponere, & nihil lædere: ſolam enim acrimoniam dura, & lapidoſa deponent, ſi ipſa abluas, Galeno teſte, vim putrefacientem abditam crebra lotione vix inquam abigas: Atræ ergo Bili expurgandæ Armenium potius lapidem cum Alexandro Tralliano ſubſtituemus, quem Elloborum album bonitate præcedere, & ſine vlla moleſtia per inferna bilem expurgare teſtatur, quod & Fuchſius primo libr. paradox. monet.

Cap. 20. & ſeq.

11. ſimpl.

Lib. prim. cap. 22.

Cap. 12.

ARMENIACI, vel Armeni Lapidis minera ex Germania affertur copioſa, ex quo Pictores Armenum Pigmentum conficiunt, Verdazzuro Italica voce nuncupantes, in eo modo maculæ exſuperant cęruleæ, quales præferre alijs, & probare magis viſus Dioſcorides, modo virides probatæ à Plinio, optimum Armenium prædicante, quod maximè viride eſt; talis etiam lapis à Pictoribus magis expetitus. Vt hoc pacto permiſto cęruleo, ac viridi, quod vocabulum Italicum ſonat ſedari controuerſia inter Plinium, & Dioſcoridem cap. proprijs facilè poſſit de huius lapidis colore:

Gale-

Galenus & vim abstergentem tribuit cum leuicula acrimonia, & leuissima adstrictione, ideò ocularibus misceri facultatibus, & ad pollinis læuorem redactum vtile esse ad Pilorum in palpebras incrementum peritiores Physici tradunt, præter has facultates primas, quem scientiam, Alexander Trallianus optimè lotum probauit ad expurgandos humores melancholicos, & crassos, idque fęlicius præstare docuit, quam Elleborum album, vt antea etiam scripsimus: oportet autem diutius eum terere, ac lauare alioquin molestè per superiores, ac inferiores partes expurgat, benè lotus per inferiora tantum, & sine noxa, idcircò extant Catapotia de lapide Armeno apud Mesueum: Verum vtinam Arabes ij contenti fuissent, sed cum stupore, vel vanitatæ ingenij vim illam purgandi ad lazul extendissent, & temerè Cyaneum cum Armeniaco lapide confudissent, iure merito damnati videntur à peritioribus Græcorum Medicorum sectatoribus.

Ab hac lapide dissidet terra, vel Bolus Armena tempore magni Galeni reperta, quam ob consistentiam etiam lapidem vocari ait, licet reuera terra sit, quia facillimè soluatur: pallidum colorem obtinet, grauior, & densior est, quam Aster Samius, in qua deceptum Cardanum verè contendit Scaliger, ille enim rubricam vulgarem sibi fortè oblatam pro lapide, vel Terra armenica admisit, rubram enim esse huiusmodi terram scripsit aduersus Galeni mentem, & verba, qui ex Armenia Cappadocię proxima adduci huiusmodi terram, & esse τὴν χροιὰν χλωρὰν pallidam scilicet, non rubrã disertè tradit; quo in errore versatos etiam quosdam pharmacopæos, & Medicos exteros memini: Obseruanda porrò sunt, obiter licet, & per transennam hoc in loco, quæ doctissimè scribit Scaliger: Cardanus enim vt subtile, quod subtilitatis professor obtruderet aiebat Carbunculum, Smaragdum, Sapphirum, Hyacinthum, Margaritas, hanc terram propterea pestilentiæ aduersari, quia deficcant, hoc non placuit Scaligero, multa enim deficcant vehementius, Lib. 9. simpl.

quæ

quæ inepta, & inutilia ſunt vt Pumex; quis enim dixerit nonniſi ab humiditate Peſtem fieri, at fieret, ſi deſiccatione auferretur. Aufertur autem ijs, quæ ſuapte natura venenis aduerſantur, quæ occulta remedia Galenus in Artem cogere non potuit, quia ſola experientia, & obſeruatione conſtant: Artes enim omnes perficiuntur, definitione, diuiſione, & demoſtratione, at occultæ hæ proprietates nec definiri, nec in certas differentias diſtribui, nec demõſtrari poſſunt, cum eorum lateant nos cauſæ; cum etiam Sympathiam, & Antipathiam ipſis adſcripſeris, numquam commodè poteris earum notiones primo generales tum intermedias (ſubalternas vocitant) & poſtremò particulares, ſpecificas dictas collocare, & proferre: quare prudenter Fernelius non in docendo, inquit, ſed in vtendo eorum artem requiro; Duo enim ex Ariſtotele ſunt primi mentis habitus ἐπιστήμη, & παιδεία ſcientia, & peritia, quam alibi τρόπον ἐπιστήμης vocauit, Medici cum Galeno methodum nominant; at huiuſmodi abditæ facultates nec ſciri poſſunt, nec ex methodi legibus tradi, cum mutuam connexionem priorum, & poſteriorũ effectuum, & cauſarum nõ habeant: quod verum eſt ſi doctrinam ſpectemus; ſi vſum, Ars proculdubio requiritur, vt nimirum vſurpentur poſt generales corporis euacuationes, ſi affectus det inducias: in prophylactice in minori Doſi, in Therapeutice in maiori exhibeantur: in vino ſi abſit febris, in aquis cordialibus, ſi adſit: tum aliæ huiuſmodi adhibendæ cautiones, quæ rationis compotem ſapiunt Artem, non fortuitas Empiricorum obſeruationes, quæ vel imperitum vulgus paucorum dierum interuallo ſummum Medicum in peſte, ac venenis profligandis efficere profitentur: cæterum quæſo optimos Phyſicos, vt dnas rationes Scaligeri aduerſus lapillorum cordialium, & gemmarum tritarum vſum diligenter penſitent, quas & Auerrois auctoritate corroboratas voluit: Dicebat Cardanus præſtare lapillos glebæ Armeniacæ ad vitalem ſpirituum reparationem, obijcit Scaliger ſubtiliter: *Si à tota viuant ſpecie triti lapides amittent ſuam ſpeciem, neque enim ſunt ſicut glebæ,*

glebæ, quorum pars quælibet, ipſamet terra eſt, at Cardano non quælibet Hyacinthi pars Hyacinthus erit, eſt enim indiuiduum hoc quiddam, quod eius partes eſſe nequeunt: ſecunda ratio eſt, ſi luce propter ſimilitudinem ſpiritus recreantur, atquè reparantur, lux in tritura perit, perit igitur & uis, integri ergò lapides Cardano ſunt deuorandi: Verum profectò ex lapidum vita à Cardano inculcata rationes robur acquirunt, quãquam & diuturna illa tritura vim alexiteriam exoluit.

LAZVLI minera cum Armenico miſta, quæ facilè à ſolertibus rerum naturalium indagatoribus (ſimplicibus per ſe explicatis mineris) perſpici, & cognoſci poterit.

ARMENICI minera cum Lazulo miſta, quæ pariter haud multo negotio cognoſcitur: ſed illud & (me tacente) perſpicuum, vberiorem vnius rei foſſilis copiam in miſtione præualere.

ΛΙΘΑΡΓΥΡΟΝ Græci, hoc eſt lapidem argenti vocant, quam Latini Spumam argenti; illi ortæ rei duritiam, hi naſcentis rei naturam conſiderantes, vt docet Agricola, rectius Spuma, vel lapis Plumbi diceretur, nam hæc Spuma ex Plumbo conficitur, & rurſum Plumbum ex Spuma, etenim cum in ſecundis fornacibus ſeparatur argentum à plumbo in miſtura plumbi, & argenti ſpuma hæc à plumbo fit non ab argento: id argumento eſſe ferunt, quoniam de argento nihil depereat, plumbum totum mutetur partim in hanc ſpumam, partim in plumbaginem: Dioſcorides Atticam ſpumam præfert, ſecundã ſtatuit Hiſpanienſem, tertiã Puteolanam. Plinius diſtinguit in Chryſitim ex ipſa vena factam colore auri, quam optimam ſtatuit, Argyritim ex argento; Molybditim ex plumbi ipſius fuſura: omnes fieri ex cocta ſua materia ex ſuperiori catino in inferiorem defluente: Hæc Plinij ſententia non probatur Agricolæ: Fuluum enim ſpumæ colorem ſolum propter ſimilitudinem cum auri colore agnoſcit, ſic candidum propter ſimilitudi-

Lib.9.de nat.foſs.

Loc.cit.

nem ad argentum: Chrysitis enim maiorem vim ignium passa fuluum colorem contraxit, vt ipse tradit; Differt etiã Spuma concretione, aut enim solida est, aut inflata, Græci στερεοτίδιν, & πνευμένην vocant, quales in Museo asseruatas conspexi: Spuma argenti (vt Galenus docet) moderatè desiccat, manifesto nec calefacit, nec refrigerat, quare modice & abstergit, & adstringit: Sæpè, vt materia, cum his quæ vehementer mordent, aut adstringunt permiscetur, sola per se (subdit Agricola) ad femorum intertrigines vtilis.

AVRIPIGMENTVM fossile, ac natiuum ex multis tenacibus crustis, tamquam squamis constatum, vt vna alteri imposita videatur (teste Agricola) nulla re alia fossili permistum, ἀρσενικὸν Græci appellant, quasi succum dixeris in terræ visceribus concretum colore, & splendore auro adeò similem, vt quemlibet facilè fallere posset, nisi naturę rerum metallicarum peritissimus foret: cum tamen verum aurum fossile non existat, sed succus quidam auri fulgore pigmentatus ex mistione succi pinguis, & sulphurei terræve acris in venis metallicis vi caloris subterranei elaboratus; ob exactam coctionem colorem fluuum auro persimilem acquisiuit: minus tamen pinguis, & purus, quam Sulphur, & Bitumen: cum vritur ob sulphuream pinguedinem Sulphur olet, gustum verò ob terræ acris permistionem acrimonia non mediocriter percellit: Arsenicum hoc (ait Agricola) vt acre venenum sit, tamen linteolo inuolutum, & cordi superpositum aiunt hominem à Peste tueri.



SANDARACA natiua pura perspicua, & friabilis, quæ trita, & vsta sulphur olet, ex eodẽ succo concreto, quo Auripigmentũ, sub terræ visceribus excocto, gignitur, minore pinguedine, quam illud, est donata, magnam tamen cum eo habet cognationem, cum in iisdem metallis (mineras vocant) proueniant, ad satietatem rufa est, & Cinnabaris colorem æmulatur: gleba

gleba est qualis plerumq; reperitur, & (vt Vitruuius Ciuis noster tradit) in locis, quæ sunt inter Magnesiæ, & Ephesi fines effoditur parata: optima est, teste Agricola, quæ pura, quæ ad satietatem rufescit, quæ etiamsi non teratur, nec ardeat, olet sulphur, quæ facilè potest teri, qualis in Ponto ad flumen Hypanem nascitur, auctore Dioscoride: Maiorem caloris vim passa videtur, ex quo flauum in rufum colorem mutauit, rubrum Arsenicum Græcum appellata.

SANDARACA fossilis proprio colore, scilicet rufo, conspicienda, cui Auripigmentum ob summam affinitatem, quam inuicem habent, in excoctione materiæ, simul concretum visitur: Gleba igitur conspicitur partim rufi, partim flaui coloris; Illud addam cum Agricola, quod vtile scitu, non tantum speciosum lectu, vtilitati enim, & oblectationi pariter inseruire noster debet labor: *Sandaraca vtuntur Pictores, vtuntur tornatores cum circa vasula lineas ducunt, vtuntur Medici, quòd vim habeat vrendi, sed liquoribus, resinisq; temperata multis morbis medetur, mulso quidem purulentæ excreationi, resina suspirijs, melle raucitati, silingatur, & deuoratur, resina veteri Tussi, si accensæ vapor per fistulam in os trahatur.* Quidam coloris rubri genus docent efficere ex Cerussa in Patinam cauam coniecta, & super carbones ignitos rudiculis ferulaceis tandiù agitata, quousque vsta colorem rubentem Sandaracæ fossili similem acquisiuerit: Minium vulgò, sed longè diuersum à veterum Minio dicitur.


EBVR fossile, & Vnicornu fossile, quæ Neapolitani Musæi Auctor, & Descriptor Imperatus Pharmacopæus optimus, & celeberrimi nominis, quem honoris gratia nominatum volo, accuratè descripsit, vt nos actum agere, haud necesse esse existimemus.


HALCANTHVM Pannonicum cœlum ſerenum Eteſijs Æſtate poſt Caniculę exortum ſpirantibus colore cœruleo, atq; lucido referens, cui acrimonia cum aliqua adſtrictione inſignis exiſtit.

CHALCANTHVM Cyprium ob colorem cęruleũ conſpicuũ, graue, & denſum, ſapore acerbo, ita ut guſtanti, linguam cum aliquo ſalſedinis ſtimulo vellicet.

CHALCANTHVM Saxonicũ tenue, & violæ albæ candore perſimile, cuperoſa vulgò, Capri aqua Germanorum.

CHALCANTHVM Chryſtallino colore, & ſplendore ex lapide ærario veluti ex parente effloreſcens; ex Pannonia aduectum ferunt.

CHALCANTHVM ex Bohëmie fodinis ſubuiride in capillorũ formam à natura efformatum à Pyrite æroſo per melenteriam, quæ illum vndiquaque amplectitur, procedens, quod viſu, & contemplatu dignum ſanè videtur.

CHALCANTHVM in viridi palleſcens, non ita omnibus cognitum, cum ex mari rubro aduectum dicatur, vt Franciſci Calceolarij ſenioris ſchędula teſtatum facit, apud non incurioſos iſtarum rerum inueſtigatores.

CHALCANTHVM coctũ, & hoc viride, quod vel in Crucibulo fuſum, aut liquatum ſummè vireſcit Hungarico ob præſtantiam æquandum: Vitriolum Romanum vulgò, cum Bagnaceæ agri Romani oppido conficiatur.

CHALCANTHVM Bagnaceo longè pulchrius, & efficacis facultatis: colore viridi, & cęruleo permiſtis Cyprium imitatur, ſapore magis acerbo, & odore magis viroſo donatũ, ſumma arte, & longo labore ex glebis quibuſdam cinerei

colo-

coloris quibus intermixtæ ſunt maculæ virides, & ruffæ ad apenninum montem elaboratum.

CHALCANTHVM in Germania coctum cęroleo colore ob elegantiam Cyprio non inferius, quamuis ad infectionem infirmiſſimum.

CHALCANTHVM metallicum latinorum (Melanteriã grecorum dici aiunt) cuius ſubſtantia fragilis eſt, & friabilis ex halitibus circa cupri fodinarum hoſtia expirantibus, ac aëris contactu quodammodo congelatis, inſtar lanuginis eo loci affixa concreuerit; colorem nigrum ex plena coctione videtur aſſequuta, nec non ob qualitatem à minera Cuprea impartitam ſalſa, atq; acris omninò percipitur. *Agricola.*



ELANTERIA friabilis in Miſy aureum imitans colorem punctis ſcintillantibus efflorescere viſu comprehenditur: notanda verò ſunt Agricolæ verba lib. iij. de natura foſſilium, ex quibus facilè atramentorum, & Melanteriæ natura perноſcetur; Atramentum triplex librarium, metallicum, & ſutorium, quandoquidem eo Sutores tingunt coria, Græci verò appellant χάλκανθον, quod ex ære quodammodo effloreſcat, nam Pyrites ærofus, qui & Chalcites dicitur Soreis, & melanteriæ, quam etiam atramentum metallicũ vocant, parens eſt, & effector, atq; ea rurſum atramentum ſutoriũ, atq; alia ſibi ipſis cognata gignunt.



ORY ex foſſilium genere lapidoſum, & colore nigrum, cuius parens, & effector, vt modò diximus, in ijſdem habetur fodinis, in quibus Melanteria Chalcitis, Miſy, & Chalcanthum à natura elaborantur, vt ob id à quibuſdam (Dioſcoride teſte) Melantheriæ ſpecies ſit exiſtimatum, cum nigro colore non videatur illi abſimilis: quamuis in alijs differat,

cum

cum odore,& ſapore magnum virus redoleat, ſtomachumq; ſubuertat, quæ qualitates, & effectus in Melanteria non deprehenduntur, Sory etiam craſſiſſimas partes, Miſy tenuiſſimas, Chalcitis medium obtinet locum inter illas: quare & Agricola docet, Sory craſſitudine, & odoris vehementia à Melanteria differre,cum non differat colore: à primo enim ortu concretius, & compactius ob partium craſſitudinem genitum eſt, atramentum gryſeum metallicorum vocari aiunt.



ISY durum, quia multũ ex Chalcantho effloruit, & ob longam coctionem, & elaborationem denſitatem nactum videtur, vt Gleba quædã Chalcanthina vocari poſſit: huius color eſt luteus, & ad aureæ Marcheſitæ colorem accedit,ſapore eſt acerbo,quia ex ſucco Chalcantho perſimili producitur, vt iuremerito Chalcanthi flos,& ob colorem atramentum flauum nominari poſſit.



HALCITIS puriſſima, & à quauis aliena re immunis, quam intercurſantes oblongæ venæ, & ſplendentes ambiunt,friabilis, æri ſimilis, à quo nomen ſumpſit, χαλκὸν enim æs, qualibus notis prædita, cęteris à Dioſcoride præfertur: Chalcantho foſſili dicitur affinis cum ex ſucco acerbo Pyritem ærosum lambente, & eũdem erodente, vt Chalcanthum oriatur. Quocirca doctiſſimus Cæſalpinus perſimilem æri intepræt atur apud Dioſcoridem reſpectu caloris viridis, ruborem enim ex perfecta vſtione acquirit, quamuis autem (ait) æs nitidum colore rubenti conſtet,neglectum tamen ob æruginem contrahit viriditatem; Apud Plinium Chalcitis eſt lapis ærarius, ex quo eradi (inquit) æruginem Scoleccam, & ipſum ęs coqui;continere tria genera, Æris,Miſyos,& Soryos: Sed non eſſe lapidem, ſed ſuccum concretum demoſtratio Phyſica ex propoſitionibus per ſe,& neceſſarijs conuincit,

lapis

lapis enim vſtione non attollitur in ſpumam, nec liqueſcit, vt Chalcitis profectò attollitur, & liqueſcit, vt & Galenus obſeruauit, non ergo lapis eſſe poteſt: cęterum mox Plinius veluti reſipiſcens mollem naturam, & veluti lanuginem concretam Chalcitidi attribuit, quare Dioſcoridi conſentire videtur: Galenus primo de Antidotis Chalcitim viridem, aut cineream in Theriacam aſſumendam vult, dummodo in ſpumam fuerit elata: hoc enim Theriacam efficit nigram, quod expeti ſolet; ſtatim quippè ab igne eximitur non perflatis carbonibus, ſic ſeruatur priſtinus color, alioquin luteus, vel flauus emergeret. Inueteratam Chalcitim tranſire in Miſy teſtatur Galenus 9. ſimpl. ſicuti Sory longo tempore in Chalcitim mutari: hęc igitur in Muſæo primum occurrit conſpicienda.

CHALCITIS dura, & ſyncera, in cuius natalibus Sory ex ſtirpe Chalcanthina ob affinitatem ſuo colore nigro permiſtum viſitur.

CHALCITIS dura cuiuſuis ſorditiei expers, in cuius ortu Miſy coloris auro ſimilis adnatum, ſimulq; conglutinatum cernitur.

CHALCITIS dura Pyritem lapidem, cuius ſuperficies cinerei eſt coloris, intùs verò ſubliuidus cum aliquo rubore apparet, adeò arctè vt Genitorem ſuum amplexans, vt mutuo amore veluti certare videantur.

CHALCITIS ex ęrugineo colore, qui illi videtur proprius, ob vetuſtatem, & nimiam deſiccationem, in colorem album mutata. Sory porrò Chalcitis, Miſy, Melanteria minùs quidem atramento ſutorio adſtringunt, ſed adeò vrunt (ait Agricola) vt cruſtas cauterij modò inducant: quo iurè autem dixerit idem Auctor Molibdęnam, Pyritem, Chalcitida, Miſy, Sory, Spodon, Pompholiga, Diphryges nec officinis

cinis, nec mediics esse cognita, ipse viderit: Forsitan tempestate illa, qua ipse Dialogum illum scripsit, illa ignorabantur: in præsentia omnia in lucem sunt eruta, & Musæũ Calceolarium satis harum rerũ metallicarũ locuples, & abundans Agricolæ querelam, vel accusationem irritam potest reddere.


GARICVM Metallicum Minerale à Musæi Neapolitani Descriptore accurato nuncupatum, quod præclarè etiã lingua nostrate Italica ab ipsomet describitur, Ferrante nimirum Imperato Pharmacopæo ornatissimo, & percelebri, quem semper honoris causa nominatum volo, atque eò potissimum, quod Calceolarij Senioris fuit amantissimus, vt ex pluribus epistolis, dum viueret, ad ipsum datis, potui conijcere: Is igitur hoc pacto Agaricum hocce minerale, mirabilem naturæ partum, describit: Terram existere ita vocatam candore Calci similem, leuitate dissimilem, quæ in Agarico summa esse solet, in specuum fornicibus inueniri, consistentiæ mollis, dum soluitur, fibrosi aliquid præferre, sed denique terrarum aliarum instar liquescere, nec eius ortum à veri Agarici ortu diuersum videri, quemadmodum etiam effigie omninò ipsum refert, linguæ adhærescere, quapropter & credi esse terram Samiam, & pro ea à multis peritis Medicis vsurpari: Sanguinis per os reiectionibus prodesse, & fœminarum profluuijs: generatim ad ea omnia adhiberi, quibus Samia Terra est conducibilis: Lac Lunæ nonnulli appellant ob mollitiem, & candorem, quam pręfert, dum in proprijs locis colligitur.

Hæc vtcumque ex illo Italico Musæo latinè reddere volui, vt sua cuique laus constet: & Agarici huius natura, & vires melius intelligerentur.

Verum-

Verumenimuerò iam tempus est, vt quartam hanc Musęi CALCEOLARII Sectionem absoluam, si antè omnia Lectorem optimum morali aliqua Parenesi commonefecero. Humanorum Bonorum triplex esse genus, animi, naturæ, & fortunæ: animi virtutes potissimum morales nostra bona, & perfectiones verè censentur, at rationis, & mentis virtutes nobis propriæ non adeò videntur, cum & separatis à corporis contagine mentibus communes existunt: morales vtiles tantum nobis Plotinus censuit, quoniam cum Deo connexionem vltimum hominis bonum esse docuit, quæ ad id perducunt, solum vtilia existimauit: Naturæ, ac fortunæ bona censent Stoici, & cum ijs magnus Seneca non verè bona, solum commoda, & ἀδιάφορα: Fortunæ munera sunt præsertim aurum, argentum, & cætera metallica, quæ hac sunt Sectione breuiter pro instituti ratione descripta. De ijs D. Bernardus, solus error hominum facit, vt aurum, & argentum iudicentur pretiosa, cum reuera nihil sint præter terram rubeam, vel albam: Boëtius in 2. de consolatione Philosophica etiam rationem validam adnectit, vt nos ad tutiorem his de rebus cogitationem, & estimationem traducat. De ratione boni est, ait, vt eum, cui competit, bonum reddat, apud bonos cumulatiùs reperiatur, & possidenti non noceat, at homo per diuitias non redditur Bonus, & apud homines improbôs, & iniustos diuitiæ cumulatiores reperiuntur, quæ etiam frequenter obsunt possidentibus, non ergò bonæ existimandæ sunt. Idcircò Seneca optime in lib. de paupertate. Nemo dignus Deo est, nisi, qui opes contemnit, hoc efficiunt diuitiæ, inflant animos, superbiam, & arrogantiam pariunt, inuidiam contrahunt, eousquè mentem alienant, vt fama pecuniæ nos, etiam nocitura, delectet: illa verò Epistolæ vigesimæ aurea sunt verba, diligenter à Christiano viro expendenda, & memoriæ mandanda, magnus ille, qui in diuitijs pauper est, sed grauior, qui caret diuitijs, nam diuitiæ nedum non faciunt hominem bonum, verum neque diuitem, quia auaritiam non extingunt: veræ autem diuitię sunt composita

Verba Senecæ aurea.

Paupertas in lege Naturæ, quæ ſola Auaritiam extinguit; non enim qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt, tantum enim vnicuique deeſt, quantum cupit, propterea breuiſſima ad diuitias per contemptum diuitiarum via eſt, præclarè etiam Epicurus, ad quam non vt transfuga, ſed tamquam explorator Seneca ſępè transfugit, ſi ad Naturam viues nunquam eris pauper, ſi ad opinionem, nũquam eris Diues, exiguum enim natura deſiderat, opinio immenſum. Illa etiam Iſocratis ſunt ſummi Oratoris, & Philoſophi, quæ experimento quotidiano in quolibet hominum ordine, & ſecta comprobata videntur. πλοῦτος δὲ κακίας μᾶλλον, ἢ καλοκαγαθίας ὑπηρέτης ἐστὶν, ἐξουσίαν μὲν τῇ ῥαθυμίᾳ παρασκευάζων, ἐπὶ δε τὰς ἡδονὰς τοὺς νέους παρακαλῶν. hoc eſt, Diuitiæ vitiorum magis, quam virtutis miniſtræ ſunt, licentiam, & facultatem ſocordiæ pręparantes, ad voluptates autem Iuuenes inuitantes. Hinc illa Ouidij exclamatio primo Metamorph.

Itum eſt in viſcera terræ
Quasq; recondiderat, Stygijsq; admouerat vmbris
Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat, prodit Bellum, quod pugnat vtroq;.

Quamquam à fortuna metallorum venas oſtenſas ſinè hominis induſtria, & labore exiſtimat Lucretius puriſſimis hiſce, & luculentis carminibus.

Quod ſupereſt æs, atq; aurum, ferrumq; repertum eſt,
Et ſimul argenti pondus, plumbiq; poteſtas,
Ignis vbi ingentes syluas ardore cremarat
Montibus in magnis, ſeu cœli fulmine miſſo,
Siue quod inter ſe bellum syluestre gerentes
Hoſtibus intulerant ignem formidinis ergò,
Siue quod inducti terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingues, & paſcua reddere rura,

Siue

Siue feras interficere, & detefcere præda,
Nam fouea, atq; igni priùs eft venerier ortum,
Quam fæpire plagis faltum, canibusq; ciere,
Quicquid id eft, quacumq; è caufa flammeus ardor
Horribili fonitu fyluas exederat altis
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat venis feruentibus in loca Terræ
Concaua conueniens Argenti riuus, & Auri
Æris item, & Plumbi, &c.

Illud porrò animaduerfione dignum, quod non per iocum, fed feria difputatione lib.vj. de re metallica fcribit doctiffimus Agricola inter caufas, cur putei amplius fodi non foleant ad perquirenda, & extrahenda metalla eam effe, quod in Germaniæ nonnullis fodinis, quamquam perpaucis eft alia peftis, & pernicias, Dęmones fcilicet afpectu truci, de quibus dixit in libro de fubterraneis animantibus infcripto, quod genus Dæmonum precibus, & ieiunijs pellatur, ac fugatur; quo argumento, atque alijs multis certò collegi, Catholicum fuiffe Agricolam, & orthodoxe pietatis amantem, quod litteris ad me datis teftatus etiam eft Marcus Velferus olim Duumuir Auguftanus, qui etiã fcripfit, fuiffe Agricolam lucernam ardentem in loco caliginofo.

Cæterum & Ariftoteles tantus Philofophus, Summum Bonum non effe pofitum in diuitijs perfpicuè oftendit primo ethic. cap. v. quoniam vita diuitijs dedita βίαιός τίς ἐστὶ hoc eft modo quodam vim infert, vel violenta eft, vt optime vertit Francifcus Picolomineus Doctor olim meus vir celeberrimi nominis: litteratores Critici vertere, vita, quæ in pecuniæ quærendæ ftudio verfatur, laboriofa eft, minimeque (vt ita dicam) vitalis, eccè quam leuiter primoribus labris ex Ariftotelis doctrina hauriunt, ad intima doctrinæ illius penetralia non adfpirant; fatius fuiffet in Grammaticæ, & Rhetoricæ præceptis tradendis occupari, quam in maximo Philofophorum explanando, quod fi publica lege cautum effet

melius cum ſerijs auctoribus ageretur; Cur ergo violenta locupletum vita? An quia vt acutè docet Picolomineus, tunc vis infertur alicui, cum illud prohibemus, ne ſuum finem attingat, uis enim rei graui tunc infertur, cum ne ad centrum tendat, impedimento ſumus, finis diuitiarum auri, & argenti eſt vſus, & effuſio, dum eas coaceruamus, ne ſuum aſſequantur finem, impedimento ſumus, & propterea vim eis inferimus: Bonum ergo vtile Ariſtoteli Diuitiæ ſunt ad vltimi finis perceptionem, & poſſeſſionem conducentes, ſed & quinto Ethic. fortunæ munera ſimpliciter, & ſemper bona eſſe docet, huic verò vel illi non ſemper, quaſi velit viris vitioſis, & mala cupidine deprauatis non eſſe bona, veluti etiam ægris ea non ſunt ſana, quæ ſuaptè natura ſana exiſtunt: paſſim enim huiuſmodi diſtinctio bonorum videtur Philoſopho familiaris, vt vij. lib. metaphy. text. x. cum ait ſicuti in actionibus efficere debemus, & per ſingulis bona ea reddantur illis bona, quæ ſimpliciter ſunt bona, ità in cognitionibus per nota nobis ea, quæ ſunt ſimpliciter nota, reddenda ſunt nota nobis: Franciſcus Vicomercatus pœnas, & purgationes per ſingulis Bona intelligi voluit: quem iurè refellit Picolomineus, Prudentia enim, recta conſultatio, & morales virtutes noſtra bona ſunt, quorum ope, quæ ſunt ſimpliciter Bona (Fortunæ nempè munera) reddimus nobis Bona: Pœnæ porrò, & purgationes duntaxat ex euentu id efficiunt, dum congruentem conſtitutionem animi, & corporis nobis conciliant, quæ noſtrum bonum eſt, cuius beneficio, rectè vtentes Fortunæ muneribus, ea ſimpliciter bona nobis propria efficimus: Præclara ergò illa Ariſtotelis ſententia vij. de Republica, declaratum ſcilicet eſſe in libris Ethicorum, Virum probum eum eſſe, cui per virtutem Bona ſunt, quæ ſunt ſimpliciter Bona: Cum iſthæc igitur veriſſima ſint, cur non valdè pudeat Chriſtianos, qui militiæ CHRISTI Domini noſtri nomen dederunt, vim inferre Auro, & Argento eorum finem, & vſum immodica, & auara eorum coaceruatione impedientes: numquã

effun-

effundentes; vel in delitiarum, & luxus ineptias, & prauas libidines prodiga manu insumentes; legatur primus Agricolæ liber de re metallica: vbi Socratis dictum adducit: Vinum ad vasa mutari: Diuitias ad eorum, qui ipsas possiderent, mores, Bonos Viros ijs benè vti, malos malè: Cum igitur Christianorum mores optimi esse debeant, & incorrupti; vsus etiam Argenti, & Auri ijs optimus, & nulla culpæ obnoxius esse debet: Vita etiam ad naturæ, & legis diuinæ perscriptum carior esse, quæ paucis contenta est, nec Chęnici insideте, & auaram cupiditatem de crastino solicitam fouere, atque alere solet: Sed nobis montes aureos fingimus, & ad immensa opum fastigia anhelantes; Xenophontæo etiam ænigmate ad auraria, & argentaria metalla fodienda excitamur, Est terra, in qua si sementem feceris, non fundit fruges, si verò eam foderis, multò plures alit, quàm si fruges ferret: ita enim de Atheniensium argentarijs metallis ille suauissimus Auctor scripsit, Fodinæ etiam plumbariæ quęstum annuum, cum fructibus agri optimi comparatum, ipsum triplum, vel minimum duplum esse dicentes, tum subdimus, quot ergo partibus antecedit eisdem fructibus quęstus argentarię, vel aurearię venę? Hoc pacto ad auaritię cupidinem exaggerandam, quod nobis vtile sit, in bonorum morum detrimentum solicitis articulis computamus, vt cum Poëta illo loquar: At quantò consultius fuisset cum Seneca quærere, Quid præcipuum in rebus humanis est? animo omne vidisse, &, qua nulla est maior victoria, vitia domuisse; argentum, & aurum, & huiusmodi Fortunę munera, magna, quia parui sumus, credimus, multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est, vt idem docet; Quid pręcipuum? non admittere in animum mala consilia, puras ad cœlum manus tollere, optare, quod sine aduersario optatur, bonam mentem: Iam verò cum cœcus Deus Plutus, cui inferna terrę regio attributa, nos ab huiusmodi virtutum optimarum exercitijs

Lib. 3. quæst. natural. in præfat.

auocat,

auocat, & absterreat, satis erit id persuasum habere, & re ipsa, & actu profiteri, & pręstare, quod Lucretius optimè monuit.

Quòd si quis vitam recta ratione gubernat,
Diuitiæ grandes homini sunt, viuere parcè,
Æquo animo, neq; enim est vnquam penuria parui.

Finis Quartæ Sectionis.



SECTIO QVINTA
IN QVA DE PLANTIS, RADICIBVS, ET EXOTICIS FRVCTIBVS, NECNON DE PEREGRINIS GVMMATIS, ET SVCCIS PINGVIBVS DISSERITVR.

Eodem Auctore.

SECTIO QVINTA.





VM Musæum hocce CALCEOLARIVM pro virili,& occupationum mearum ratione subcesiuis horis describerem, huiusque mei laboris amicum Virum doctissimum commonefecissem locorum interuallis à nobis dissitum,& disiunctum : is vt est scientiarum omnium notitia, & potissimum Mathematicarum instructissimus, statim monuit Analogias Geometricas, & Arithmeticas, Medicis, Anatomicis, Metallicis, Botanicis esse ad partium vsum, & virium plantarum, & fossilium causas vestigandas pernecessarias, quod ostensurum se libris etiã edendis profitetur, quemadmodum libris editis ciuilium, & criminalium causarum, & controuersiarum Iudicia se earum ope Analogiarum ad Aristotelis etiam lib. v. ethic. normam rectè informasse existimat: Respondi Mathematicas disciplinas res à motu, ac materia secretas expendere, quæ tamen τῇ νοήσει χωριστά κινήσεως ἐστι, cogitatione enim separata à motu sunt, non re ipsa omnifariam absoluta, quales abstractæ substantiæ, quæ à Metaphysico considerantur: Mathematicæ enim formæ reuera per se non cohærent; cogitatione tamen à materia, ac motu separantur οὐδὲ γίνεται ψεῦδος χωριζόντων, ait Aristoteles, non fieri scilicet mendacium abstrahentium, & cogitatione separantium circulum, & triangulum à materia: Physicæ autem species, sine motu, ac materia intelligi non possunt eam profectò vim habentes quã simitas, quæ absq; materia separatim comprehendi non potest; Hinc Aristo-

teles optime ſcripſit τὰ μαθηματικὰ ἐξ ἀφαιρέσεως λέγεσθαι, τὰ φυσικὰ ἐκ προσθέσεως, hoc eſt mathematicum res contemplari circumſcriptis omnibus, quæ ſenſu percipiuntur, phyſicum res cũ materia omnino deuinctas: Ex his etiam confici aſſerebam cum certam materiam non ſectentur mathematicę diſciplinæ, nec experimentum ad eas perdiſcendas eſſe neceſſarium; idcircò pueriles dictas diſciplinas, quoniam duntaxat ingenij acumen, & perſpicaciam requirant, & cogitationis memoriæque celeres motus, & firmitudinem, quæ animi dotes in pueris ſæpenumerò comperiuntur, quare apti, & idonei harum diſciplinarum Auditores, non autem ethicæ, & phyſicæ doctrinæ ab Ariſtotele exiſtimantur, quæ rerum vſu, & repetitis ſenſuum, & experimentorum obſeruationibus indigent: quare Geometria, & Arithmetica præter vſus vitæ communi neceſſarios, Pędia eſt præparans, atque excitans puerorum ingenia ad ritè philoſophandum, cum certiſſimæ ſint, & cogitationi διανοίᾳ ſtatim obuiæ, & expoſitę, quamquam pręire aliquis debet, cuius ſolertia (vt ille inquit) ſuccidantur vepreta, vel exurantur, & ſuperciliosa complanentur aſpreta, in magna enim rerum obſcuritate recondita arte, multiplicique, ac ſubtili verſari mathematicos Cicero etiam ſcribit, omnemque cognitionem multis eſſe obſtructam difficultatibus: at rerum naturalium proprietatum cauſas inquirentibus, vndiq; ſalubræ emergunt, & inexplicabiles labyrinthi: quas longo vſu, & obſeruatione eorum, quæ conſimili modo frequenter fiunt, facilè complanamus: Quis enim per Deum immortalem cauſam æſtus, ac reciprocationis maris ijs Mathematicorum ſubnixus analogijs veſtigabit? Quis Rhabarbari, Agarici, Ellebori, Senæ vires deprehendat? niſi longo ſtudio, multiſque iactis ex ſenſuum obſeruatione fundamentis Lunæ motum probabiliter æſtus cauſam exiſtere, bilem ſæpiſſime eiectam à Rhabarbaro, ab Agarico pituitam, ab Elleboro, & Sena melancholicos ſuccos pluribus experimentis exploratum habeamus: Sic Anthoram, vel Zedoariam ſerpentum, & Napelli veneno obſiſtere quis Auicennam docuit?

Vſus profectò, & obſeruatio diuturna : quod ſenſus κριτήριον ab altero rationis Criterio mox roboratum magis, phyſicam ſcientiam firmiorem, & magis inconcuſſam parit : Hinc deridendus & Pythagoras, & Pythagorei, qui (vt meminit Ariſtoteles) cum Denarij numeri ſummam perfectionem cœlo tribuerent, nec plures tamen, quam nouem Sphœras cernerent, decimam effingere auſi ſunt Terræ aduerſam, quã ἀντίχθονα vocarunt, quid hac ineptia inſultius? ſic vacuum dari in rerum natura alij viri docti conati ſunt oſtendere, quos Clariſſimus Pendaſius optimè confutauit, quare iurè ſomniare circa quantitatem Mathematicos Plato cenſuit, & Pererius nec omninò eſſe neceſſarias, & ſolidas ſcientias mathematicas ſeria diſputatione contendit : Vſum tamen, & fructum afferre, quem diximus fatemur, nec audiendum Ariſtippum, qui Mathematica hęc repudiabat, quod ex fine nihil docere videantur, eiusq; quod melius, aut deterius, nullam rationem habeant : tametſi memoriæ proditum ſit Platonem Eudoxo, & Architæ vitio vertiſſe, quod Geometrica problemata ab intelligibilibus, ac incorporeis rebus ad ſenſilia, & organica traducerent : Volebat enim Vir magnus ad eius, quod ſemper eſt cognitionem, nos ſemper erigere. Cæterum proferam etiam aliam coniecturam non incurioſam, quæ mihi in mentem venit, dum ad eum amicum pietate, & eruditione clariſſimum reſcriberem : quam quæſo te (optime Lector) vt benè tecum excutias, ac expendas : Exiſtimarunt Pythagorici, & Platonici omnem diſciplinam ἀνάμνησιν eſſe quandam, ideſt recordationem, & repetitionem eius ſcientiæ, cuius particeps, & compos fuit animus noſter, antequam in corpus migraret, quod in Menone, Phędone, ac alibi Plato diſertè docuit : Obſeruarunt tamen hi Viri Magni huiuſmodi recordationem non poſſe ex naturalibus rebus percipi, quæ manuductionem ſenſuum, & longi vſus expoſcunt, ſed potiſſimum ex Mathematicis his ſcientijs oſtendi, ſi nimirum ait Plato ἐπὶ τὰ διαγράμματα ἄγῃ, ſi ad figuras Geometricas perducat; nã diſcere eſſe recordari inſitarum

in anima rationum, Socrates in Menone hoc argumento probat, Pusionem quemdam (ait Cicero) Socrates interrogat de Geometrica dimensione quadrati, ad ea sic ille respondet, vt puer, & tamen tam faciles interrogationes sunt, vt gradatim respondens eò proueniat, quò si Geometrica didicisset: At cur Socrates Pusionem illum non interrogauit de causa Æstus Maris, & salsedinis; de Ortu, & causis Cometarum an in Cœli natura, & in Cœlo fiant, an in suprema aëris regione ex pingui halitu inflammato: quæ fuit certior Aristotelis sententia aduersus Astrologorũ somnia, an primæ qualitates formæ sint Elementorum οὐσιώδη, an potius proprietates ab occultiore forma fluentes, an cœlum anima informante præditum, an solum assistente intelligentia, & motrice: An seminis procreatio sit testium operatio; an veluti pondera textricũ vasis seminarijs apertis detinendis sint destinata: De vsu cerebri an in eo nobiliores animæ actiones perficiantur, an solum attemperando cordis calori inseruiat, an cœlorum orbes æquabili motu circa idem voluantur centrum, an epicyclis, & eccentricis opus sit ad tuenda τὰ φαινόμενα; Hæc & alia huiusmodi interroganda erant, quibus explicandis insertas animæ Idearum rationes, & notiones excutiens Pusio summam de se expectationem, & admirationem concitasset, at profectò experimentis, obseruationibus, longo studio, & iudicij maturitate ad hæc peruestiganda opus fuerat, quæ Puer propter ætatem tenellam adhuc nancisci non poterat: ea sunt interrogata, quæ simplici sensui, & phantasiæ exposita facillimam responsionem extorquebant, cum inter se apta, & connexa essent ex iactis hypothesibus, quare nec Plato sciẽtię, aut intelligentiæ nomine Mathematica est dignatus cogitationem, & veluti imaginationis Apicem illis concessit: Si enim sciẽtia omnis est reminiscentia non solũ notionum Mathematicarum, sed & Physicarum, & Metaphysicarum esse debet, vt satis patet: at nullus Pusio ea promet, quæ sensuum χειραγωγία indigent, & matura multi temporis consideratione, & iudicio. Fateor quidam Geometriam, vbi

vbi cum materia coniungitur, Geodęsiam, Mechanicam, Opticam, præſtantes artes, procreare, cuius rei apud Hiſtoricos egregia extant teſtimonia.

Extructo enim vaſtæ molis nauigio, quod Siracuſanus Hiero Ægyptiorum Regi Ptolemæo miſſurus erat, cum collectis ſimul viribus Syracuſanus populus Nauem trahere non poſſet, idque præſtitiſſet Archimedes, vt ſolus Hiero illam ſubduceret, viri ſcientiam, & ingenium admiratus Rex ἀπὸ ταύτης (inquit) τῆς ἡμέρας περιπαντὸς ἀρχιμήδει λέγοντι πιςευτέον, ex hoc die Archimedi de quauis re differenti credendum: Eumdem teſtatur Plutarchus Hieroni ſcripſiſſe datis viribus datum pondus moueri poſſe, fretumque demoſtrationis robore illud ſæpè iactaſſe, ſi terram haberet alteram, vbi pedem figeret, ad eam noſtram hanc ſe tranſmouere poſſe: Verum & αὐτόματα, & machinarum varia genera, & commoditatem vitæ degendæ, & ſubtilibus ingenijs admirationē, & honeſtam occupationem conciliant: Nos igitur omiſſis ſuperuacaneis his Analogijs, quæ propria, experimenta, vel veterum Auctorum obſeruationes ætatum plurimarum & iudiciorum firmatę conſenſu, & ratione dictabunt in deſcribendis ſtirpibus, radicibus, atq; alijs huiuſmodi ex vegetanti genere Muſæi noſtri Sectionis Quintæ libentes ſequemur.



NTORÆ, vel potius Antiphthoræ exemplum ſuperius attulimus, cuius vim abditā, & præſentaneam aduersùs Phthorę, vel Napelli venenum exploratam habemus: Hæc in Muſæo Calceolario aſſeruatur: radix eſt amariſſima (quam Napellum Moyſi, & Zodoariam Auicennę vocant) ſolidæ, & oblongæ oliuæ perſimilis, ſæpè maior: cortex ſubniger exiſtit, caro interior nardi montani inſtar eſt alba; iuxta Napellum venenoſam, & exitialem plantam creſcit, ne tam pernitioſum, & virulentum germen, ſine proprio antidoto, & alexipharmaco adoleſceret. Antiphthoræ ergò potius appel-

appellanda, quoniam Phthoræ veneno aduersatur: quamquam Carolus Clusins, siuè Garzias lib. primo histor. aromatum cap. XLIIJ. scribat hoc fabulosum esse, in Syluosis enim Malauar locis plurimum nasci Zedoariam, alijs etiam in locis Satam prouenire, nec quemquam iuxta Napellum hanc nasci radicem vidisse, tametsi diligenter perquisierit: illius etiam regionis Syluas procreando Napello non esse aptas: Oliuus Medicus pereruditus in sui testificatione de collectaneis nostri Musæi: Antiphthoram hanc esse ait Constantinopolitanam, frequentem esse in Gargano Monte, & quærentibus facilem inuentu in Baldo nostro totius Europæ, ne dicam Italiæ montium herbarum ditissimo, eius copiam multam esse in ea Valle, quam Attilonem vocant, suprà Baldum, Athesim versus spectantem, hoc in loco fortè Oliuus noster Napellum deprehendit, haud procul à Zedoaria virentem. Cæterum & ex Scaligero illa obseruanda Arnabo Pauli Zedoariam nonnulli, alij Zurambet Arabum esse arbitrantur, parui vtrum sit, refert, Neutrum tamen esse, satis patet ex Auicenna, qui tria facit capita separata; Zedoariam similem Aristolochiæ pingit, Zurumbet Cypero, Arnabo autem (Zarnabum vocat ipse) aitque surculos esse magna ex arbore Libani montis, in Cananor oritur & Zedoar, & Zerombam, quod suspicor esse Zurumbet, Ἀντιφθορὰ ergo illa radix potius vocanda, quod ἀντι φθορὰν contra exitiosum venenum valeat: Plantam hanc vnà cum radicibus ex percelebri nostro Baldi Monte erutam exactissimè descripsit FRANCISCVS CALCEOLARIVS Senior in suo Baldi Itinerario, quadraginta ab hinc annis tàm Latinè, quàm Italicè Typis edito: De Antora fusè scribit Mattheolus lib. iiij. sui Dioscoridis, vbi radices illius sibi ab amico Constantinopoli missas à Mercatoribus Zedoariam appellatas monet; aut saltem esse radices Napelli Moysi, cum eum scribat Auicenna, cum Napello crescere, & eius maiorem esse Theriacam: Vtiles esse non solum ad epotum Napelli venenum, sed ad cætera omnia venena, & ad Viperarum, & aliorum venenosorum morsum, Ligures felicissimè

Exerc. 114.

Cap. 73.

ſimè vti ad inteſtinorum lumbricos, aduerſus peſtilentiam, & omnes cordis affectus proficere, nec minùs præſtare in ijs febribus exitioſis, cum quibus exhanthemata lentium figura oboriuntur.



CONITI omnia genera quamquam in Muſæo aſſeruantur, eorum tamen ſimplicem Theoriam, & curationem ab optimis Phyſicis tradi nouimus: Nicander vnum genus duntaxat attuliſſe videtur, cum χολόεν, καὶ δυσαλθὲς ἀκόνιτον Felleum ſcilicet & raris euictum medelis Aconitum, vt Gorręus vertit, ſcripſit: Dioſcorides duo genera; alij tria, recentiores vt Mattheolus plura, eaq́; ferè nouē attulit, quæ apud ipſos diligenter deſcripta, & expreſſa legi poſſunt: inter ea Napellum enumerant, cui ſententię viſus adſtipulari Clariſſimus Mercurialis: Refragatur Gorræus, quod diuerſis capitulis de Napello, & Aconito loquantur Arabes, præterea ad quartum vſque gradum calidum, & ſiccum Napellum ſtatuunt, cum frigidum, & humidum ſit aconitum. Putat ergo Gorræus Napellum Ellebori nigri ſpeciem eſſe, ſed proculdubio deceptus in definiendo Aconiti temperamento Gorræus; cum enim inter ſeptica à Galeno reponatur, neceſſario calidum, & humidum exiſtit, quamuis lethale non ſit ob has manifeſtas qualitates, ſed ob naturam deleteriam abditam, quæ natiuum colorem iugulans alienum, & extraneum putrefacientem inducit: At Gorræus argumentatur ex ſymptomatis, quæ hauſtum aconitum infligit capitis grauitate, vertiginæ, humorum in oculos traductione copia flatuum, Hypochondriorũ diſtenſione, ructibus, crepitibus, quæ frigidæ intemperiei ſoboles videntur, quam validam rationem miror à Mercuriali prætermiſſam: ſed nec calidis curari dixit Gorræus, Sed maximam partem remediorum à Nicandro, & Dioſcoride propoſitorum ſiccandi validam facultatem habere; oculorũ etiã medicamētis Anodynis

dynis à Dioſcoride permiſceri; Verum profectò rudium ſemper Medicorum exiſtimaui eſſe decretum illud: omnes flatus, & vapores à frigore fieri; poſſunt quippè, & à cauſa calida fieri cum fuerit potiſſimum cum humiditate coniuncta, nec omnia Anodyna ſtupefacentia ſunt, quod fugiſſe Gorræum admiror, ſed & calida humida tenuium partium in Medicina Galenica conceduntur, vt hac de re à Medicis ſanæ mentis non ſit amplius dubitandum: calidum ergo, & humidum in tertio ordine, vel initio quarti eſt Aconitum, ſucco radicis duntaxat noxium: fructu, & folio nihil nocere teſtatur Mercurialis, qui alias plantas flore, alias fructu, vt Mandragora, alias radice, vt Aconitum, venenatas eſſe profitetur: nec aliam huiuſce rei potiorem aſſignari poſſe cauſam, quam illius radicis ſpecificam proprietatem: Toxicum inter Aconiti genera recenſent multi; & Promotum Auctorem citat Mercurialis, qui ſcripſerat non ſimplicis veneni genus, ſed compoſitum, vt Pharicum, eſſe Toxicum: Exiſtimo cum Mercuriali doctiſſimo Toxici nomine omne veneni genus vocatum, quo Tela, & Sagittæ à Græci τόξα nuncupatæ inficiebantur, vt Napellum, Aconitum, Elleborum, atque alij huiuſmodi ſucci venenati: Velenium Galenus vocauit libro de Theriaca ad Piſonem, non Helenium, quam plantam conſtat non eſſe venenatam, vt optime correxit acutiſſimus Scaliger in Comment. in lib. Ariſtotelis de Plantis, idque ἀπὸ τῶ βελῶν, quaſi populari Romanorum voce vſus ſit Galenus, quæ idem cum Toxico ſignificat; Iam verò Aconitum omnium venenorum ocyſſimum, hoc eſt in occidendo celerrimum Plinius dixit; ſic appellatum vel quod oriatur in cautibus, quæ Acones dicuntur, vel ab Acone, qui eſt vicus Periandinorum in Ponto, vt docet Theophraſtus; Narrant (ait Gorræus) Cerberi procreatum vomitu, poſtquam Hercules ipſum ab inferis extraxit per Specum Acheruſiam ad manes (vt aiunt) peruiam Heracleæ Ciuitati vicinam, ideò plurimum Aconitum in Ponto naſci iuxta ripas Acherontis fluuij: Curationem porrò huius atrociſſimi veneni præclare traditam à Dioſ-

à Dioſcoride, Nicandro,& Mercuriali conſultò prætermitto: Muſæum enim CALCEOLARIVM deſcribimus non affectionum præter naturam curationes tradimus, curioſa quædam nec vſqueadeò vulgata perſtrinxiſſe contenti. Flatus porrò à cauſa calida produci poſſe docent melancholici Hypochondriaci, quibus Iecur, venæ ventris, & Meſenterij feruēt, & probè oſtendit Sanctorius Sactorius primarius Theoreticæ Medicinæ Patauij profeſſor in lib. ſuis doctiſſimis de Methodo vitand. errorum in Arte Medica, quam virum honoris cauſa nominatum volui antiquæ noſtræ conſuetudinis, & beneuolentiæ memor: Is enim eo lib. ſupinos, & craſſos rudium, & triuialium Medicorum errores analytica Ariſtotelis doctrina patefacere conatur, quo nomine ſummam Reipub. Medicæ vtilitatem attuliſſe fateri debemus: Cæterum & alia ratione ſolui Gorræi ratio poteſt, ſi nimirum dicamus iugulato inſito calore aconiti vi, male obiri coctiones, vndè flatus, ructus, & crepitus mox oboriri non eſt vſqueadeò admiratione dignum.


APELLVM ex genere Aconiti eſſe profitetur Mattheolus accuratiſſimus Plantarum, & rei herbariæ veſtigator: eumque deſcribit pro more ſuo diligenter: radice (ait) nititur turbinata, vulgaris rapunculi modo, ſubnigriſcenteque, à qua numeroſæ oriuntur fibræ, adeò inuicem contextæ, vt ſpeciem retis referant, tota planta pernecabilis admodum eſt: ſed radix cæteris partibus atrocior, adeout manu aliquandiù retenta, quouſque concaleſcat, tenentem perimat: De Muſæi igitur Radice Napellica hæc erant perueſtiganda:
At obſeruandum Auicennam primo ſcribere venenum eſſe pernicioſum, & deſtruere bibentem ſe, mox veluti ſui oblitum Albaras, dixiſſe, curat linitum, & bibitum: Hîc miras exclamationum, & accuſationum turbas excitauit Leonardus Fuchſius: quomodo enim Venenum toxicum ſcilicet

vel cicuta (alterutrum enim exiſtere putat Fuchſius) potu deuoratum delere Albaras poteſt, quæ Leuce eſt Græcorum, vitiligo Latinorum ? Grammaticum Medicum appellauit Fuchſium Valleſius, & profectò ſæpè verborum miras nugas, & lites excitat, quoniam parum fuit Philoſophus, linguarum notitia ſatis ornatus ; Tales vero ſæpe ſe pro magnis venditant Medicis, & elatum gerunt in alienis iudicandis ſupercilium : ſed profectò ad parua reſpicientes ῥᾶον ἀποφαίνουσι aiebat Philoſophus : Hos ergo motus animorum, atque hæc certamina tanta exigui pulueris iactu comprime Lector optime, & ſecundo loco Auicenam exiſtima Napellum Moyſi hoc eſt Anthoram intelligere, quod Viri doctiſſimi putarunt, quod ità vocatum eſt, vt ab altero verè deleterio ſecernerent, hoc igitur ad Albaras delendas vtitur Auicenna : Napelli vis adeò immanis, ſæuaq; exiſtit (ait Mattheolus) vt nullis Antidotis occurri poſſit, niſi quam primum, & ſtatim ſuccurratur, quod Aconitum ſumentibus non euenit, quod hiſtorijs etiam quibuſdam lectu dignis comprobatum voluit, ſunt qui exiſtiment.

NAPELLVM eſſe Aconitum θηλύφονον, quod, teſte Plinio, & Theophraſto radix eius genitalibus omnium quadrupedum fœminini indita ſexus mortem eodem die inferat, eoque modo dormientes vxores interemptas à Calphurnio Beſtia, memoriæ proditum eſſe, alij θηριόφονον volunt, quod feras ſi guſtatur interimat : Alij Aconitum λυκόκτονον, & παρδαλιάγχες eſſe volunt, illud Lupos, hoc Pardos interimere, idcircò ita nuncupatum, vtcumque ſit ſpeciem Aconiti eſſe non diffitetur Mattheolus : licet Auicēnam interdum Cicutam, interdum Toxicum (teſte Fuchſio) per Napellum intellexerit.

Quæſitum eſt, ſi omnia in vſum hominum creata ſunt, ſi nos rerum omnium finis ſumus, vt & Ariſtoteles docuit, cur venena condita ? quid prodeſt homini tot venenorum prouentus à belluis, plantis, & metallicis proueniens ?

Reſpon-

Respondet Plinius noster, hoc commodum præstare venena, vt quoties homo vult,humanæ vitæ miserijs sese sponte vindicet,seruitutis iugo, crudeli fame,incurabili morbo, & intolerabili cruciatu: vni homini hoc priuilegium à natura tributũ, brutis animantibus denegatum, sic ad libertatem facilis via: si pugnare non vis,licet fugere, nil facilius, quam mori, & naturæ renunciare: Sed iniussu Imperatoris de statione decedere non licet, nec Christianorum purissima religio id permittit, vt satis compertum est; Ratio igitur nobis tributa vt vtilia prosequamur, nocitura vitemus, nihil autem est absolutè malum, omnia enim certo fine condita sunt, at finis boni rationem habet: primario instituto omnia fecit bona ipsa natura, secundario contigit vt alicui sit malum, quod multis erat bonum, & fructuosum, sic Cicuta, & Elleborum homini venenum, at Capris adipes, & Coturnicibus auget, ait Lucretius, nihil ferè tàm noxium, & venenosum, vt vita communis aliquam inde vtilitatem non percipiat, ex Viperis aduersus Viperas conficitur antidotum, quod venenis etiam omnibus prçclarè aduersatur, à Scorpio ictus ab eodem remedium petit, Elephantici epoto vino, in quod fortè Vipera irrepserat, ex Galeni testimonio feliciter curati sunt: Mithridates Ponti Rex epoto sæpè Mithridatio effecit, Toxica ne possent sæua nocere sibi, vt ait Martialis: In eo etiam elucet Dei Optimi Maximi prouidentia, vt nullum vigeat venenum, cui suum Alexipharmacum non sit oppositum, vt Basilisci perniciosissimo veneno Mustellæ virus, adeò naturæ placuit, nihil esse sine pari, vt optimè obseruat Riolanus Gallus vir doctissimus, qui etiam illud ex Aëtio monuit, si quis succo rutæ syluestris manus illeuerit omnibus animantibus venenatis impunè manus admouebit, saliuam hominis ieiuni ex Galeno, & Plinio Serpentibus Viperæ, Scorpioni venenum esse: ex Auicenna terram frigidã dilutam statim assumptam post bibitum, vel admotum venenum commota aluo, & vomitu liberare: hinc orta superstitio, apud nonnullos etiam Medicos non omninò rides perducendi vulne-

ratum hominem ad locum, vbi ictus est, & de terra linea, inclusa cum frigida aliquid exhibendi: Iam verò & illud quærunt Mercurialis, & Riolanus, an venenum arte parari possit, quod vel stata hora, vel determinatis diebus interficiat: lib. ix. de historia Plant. Theophrastus apertè hoc fatetur, cui & Galenus lib. de par. artis medicę adstipulatur; verum & ratio non inualida, si enim Canis rabidi venenũ per sex menses delitescit innoxium, aliquando per annum, si Alberto, interdum per quadragintas annos, si Alpharabio credimus, quidni Ars ad Naturę imitationem non componat venena, quæ stato tempore duntaxat vim suam exerãt? Sed profectò id sentiendum artem parare posse venenum, quod citiùs, vel tardiùs interimat vi veneni, & corporis cordisvè robore, atque habitu expensis, maior enim, & minor subiecti resistentia, quantum ad id faciat norunt rerum naturalium periti; sic & inter medicamenta Senna, & Agaricum tardius purgant, quàm Scammonium, & Colocynthis; sic tardior, & inertior vis Cicutæ, atquè Oppij, quàm Arrenici, & Sublimati: Aspidem morsu lethalem inferre somnum Auctores docent, hinc celerrimè, & indolenter enecare tradit Paulus Ægineta: eius propterea venenum delegit Cleopatra, ne in manus Cæsaris Octauiani veniret, idcircò somniculosam Aspidem Sisenna vocauit: Actiones porrò tempore stato, & definito institutæ à Proęresi, & consultatione proficiscuntur, quæ venenis conuenire non possunt: quocirca & Auicẽna septica venena in tempore interficere, hoc est non certo temporis spatio, sed indefinito scripsit, quare & Theophrastus definitum tempus pro indefinito posuit, vel vulgi sententiam est sequutus, vt existimat Mercurialis: Iam verò quod inficiari videtur Riolanus venenum cor appetere, & eò rectà ferri, quoniam certa venena cum certis partibus occultas inimicitias gerant, vt Cantharides cum Vesica, solanum manicum, & hoscyamus cum capite, lepus marinus cum pulmone, aspis cum epate, profectò decipi tantum virum existimo, & potissimum cum addit præter institutum accidere

vt ve-

vt venenata qualitas, cum aëre attracto se insinuet, dum arterijs dilatatis eum ad sui conseruationem allicit, non enim consulto, sed naturaliter agere venenum, nescireque radicalia vitæ principia esse in corde: omne quippè venenum, vt ex Galeno, Auicenna, & classicis quibusuis Medicis intelligimus præter manifestas facultates vim abditam, deleteriamq; obtinet, quæ perspicuam Antipathiam ad cor est sortita, quæ ex pulsu imbecillo, & paruo, sudore diaphretico, palpitatione, angore, deliquio animi, & alijs huiusmodi symptomatis percipitur, quare si Cantharides occidunt non læsa vesica primo, & per se, sed per Antipathiam ad cor id efficiunt: si enim non consulto, sed naturaliter ad vesicam tendunt, eamque lædunt, cur non magis cor cum veneni perniciosissimi rationem subeant: melior igitur Auicennæ sententia, omne venenum, quà tale vitæ primordijs aduersari docentis, non secundum contrarietatem, (nam opus esset omnia venena esse frigida, & sicca repugnantia vitæ, quæ in calido, & humido sita est) sed secundum noxiam proprietatem.

Illud porrò hinc breui disceptationi de venenis pro Coronide adiectum volo; in curatione primum communia venenorum omnium remedia esse tentanda hoc est venenum vomitionibus educere, aut clystere per inferna deijcere, quæ fuit vtilis Gorræi admonitio aduersus ex Triuio Medicos, qui ab Alexipharmacis temerè curationem auspicantur cum videant Nicandrum venena particularia hoc, vel illo remedio curare, verum cõmunia ille remedia supponit, vel Gorræo teste, cuius elegantem, & vtilem præfationem de natura, & curatione venenorum perlegere (Lector optime) ne graueris.

Cæterum Virorum eruditorum ingenia fatigauit Galeni locus lib. v. de simpl. medic. vbi Alexiterium medicamentum medium, quoad fieri poterit, maxime esse debere inter corpus, quod curatur, & venenum lædens disertè docet, obseruan-

seruandum ergo venena, vel primis agere qualitatibus, vt aqua frigida epota, qua primo haustu, messorem à meridiana tritura sitibundum se vidisse extinctum testatur Scaliger, sic à Gypso exugi totum cordis humidum, & proindè desiccatione interficere: vel secundis, vt Croco laxatur via spiritibus ita, vt abeant, vel tertijs, vt Cantharides vesicę, Lepus marinus pulmoni obsunt, vel vi occulta, quæ tota substantia, vel proprietas specifica dicitur: Tale est Scorpij venenum: contraria medicamenta totidem modis aduersari par est (ait Scaliger) primæ, ac secundæ qualitatis medicamenta notissima sunt; tertiæ vt Cantharidibus lac potissimum Asininum: quarti generis venenorum medicamenta obscurissima sola ratione comprehensa; in horum notitiã per vestigia venenorum tertij generis nos perduci subtiliter docet Scaliger: exempla erant eorum, quæ certis membris afferunt perniciem quare composita Alexiteria esse debent ex ijs, quæ ad easdem deferant partes, & ex ijs, quæ nocumentum auferant: Alexipharmacis igitur venenorum naturam permistam Galenus voluit nos intelligere; ideò mediam Theriacam dixit esse inter corpus nostrum, & venenum non inter medicamentum, & venenum, qua in re fortè deceptus Scaliger sua nimium fretus memoria: Summopere tamen probandus quod à Criticorũ argumento Galenum nostrum tuetur, quo aiunt nihil esse medium inter duo verè contraria: eos falli docet, quoniam cum Theriaca sit ex veneno composita viperarum nimirum carne, & ex ijs, quæ venenis repugnant, ex duobus extremis natura medium factum arte: *Venenum ergò additum* (subdit Vir doctissimus, & subtilissimus) *vt peculiari similitudine cognatum venenum appeteret, cumque eo sese inuolueret, atq; ei afferat id, quod ipsum vel expelleret, vel extingueret: id quod à natura quoque in Smaragdo factum prædicant, quemadmodum ex ijs colligere possumus, quæ ex suis experientijs prodidit Auenzoar:* Hæc Scaliger longè melius philosophatus Vallesio, qui hunc Galeni locum expendens putat si Alexipharmaca essent à venenis omninò aliena, & abhorrentia eorum vsum

Exerc. 33.

vſum non fore tutiorem quàm vſum venenorum, & in Prophylactice,cum venena actu non ſunt in corpore, tutò aſſumi non poſſe, hoc enim Ibericum eſt, & imaginarium, nam citrum Scorzonera Antiphthora, alia huiuſmodi conſimilia omnino ſunt naturæ noſtræ, & propriati cordis familiaria, nec vllam veneni qualitatem obtinent: Talis terra Lemnia, & Bolus Armenica, Mithridatum, & Theriaca, antequam Viperæ carnes adiungerentur,& Mithridates Rex ſua vſus Theriaca, ſine Viperarum, aut alterius veneni permixtione, quæ ex ſale, folijs rutæ, nucibus, & ficubus, vt multi ctedunt, conſtabat.

Cum Pſillis, & Marſis non eam ſerpentum inimicitiam eſſe, quæ cum reliquo genere teſtatur magnus Fracaſtorius, lib. de Sympati. & Antip. ſiue ſit miſtio ijs, non omnino contraria, ſiuè odor, ſiuè aliud per quod ſpecies minùs accidit ingrata, quæ amicitia, & inimicitia inter homines quoque verſatur, ideò alios ſine cauſa odimus, alios amamus: Hanc ſententiam carpit Scaliger, quoniam hoc pacto Marſi ſi naturam venenoſam, & veluti ſerpentinam obtinerent cæteris hominibus nocerent; ſed Satagenſis Cacullus eſt; intelligit enim Fracaſt. miſtionem, & temperiem humorum non omnino aduerſariam ſerpentibus: quamquam Problema ego reuera fabuloſum exiſtimo: nullo enim hodierno experimento eius veritas comprobatur: Agyrtarum potius commentum videtur, qui vino (vt ait Scaliger) ad bibendum exhibito, in quo inſpuerint ipſi prius, translatam eo potu vim prædicant: Sed de his ſatis ſuperque pro inſtituti noſtri ratione.

CHAMÆ-



HAMÆLEONIS albi, & nigri radices, quæ in Musæo repositæ conspiciuntur, præclarè à Dioscoride (sicuti & totã Plantam) descriptas legimus: Album ideò Ixiam aliqui vocauere, quod quibusdam in locis Viscum circa radicẽ inueniatur, quo pro Mastiche (ait) vtuntur mulieres: mox folia, flores, & semen describit. Radicem porrò in lętis collibus crassam, in montosis verò graciliorem in profundo albam, aliquatenùs anomaticam, graui odore, dulcem esse profitetur. Lacertam, vel minori Cocodrilo simile animal humilem, & veluti per terram serpentem Leonem, id enim est χαμαιλέων, vocarunt Græci, de quo Plinius fusè, ab hoc animali traductum nomen ad significandam herbam ob eundem mutationis euentum, vt enim animal id colorem mutat oculis, cauda, & toto corpore, eumq́ue reddit, quem proxime attingit præter rubrum, & candidum, quamuis aliqui solum candidum (teste Marcelto Virgilio) exceptum velint, pariter & herba isthæc cum terra colores mutat hic nigra, illic viridis, alibi cyanea, alibi crocea, atq́; alijs coloribus: εὐγείοις γεωλόφοις apud Dioscoride vertit Marcellus, pingui & campestri solo: rectius Ruellius lætis collibus, nam γεωλόφον vocabulum lobum terræ notat, qui collis existit: Acetabuli pondere pota ἄγει ἕλμινθα πλατεῖαν lumbricum latum ducit, vel pellit; ventris vocem temerè adiecit Marcellus: interaneorum vox melior à Ruellio adiecta, non enim in ventre necessario gignuntur lumbrici, sed in locis excrementorum qualia sunt crassiora intestina; venter lotus est coctioni dicatus, in quem nonnisi malè affectum, vel copiosa pituita confectum non ascendunt lumbrici, vel in eo procreantur, sumitur vero radix cum vino austero, & origani decocto ἀποζέματος, qua vocem cur succum origani feruefacti vertit Ruellius, non video: ἀπόζεμα enim decoctio est (vel potius liquor efferuescens, nam decoctum alia voce exprimitur) non succus, qui χύλος, vel χύμος, nec ritè radicem illam succo Origani mistam propinarit Medicus, cui

ægrotum

ægrorum propoſita ſit in aſſumendis medicamentis facilitas, & inſuauitatis vitandæ ſcopus cum mitiori medicamento depelli facilè morbus valeat. Contra difficultatem Vrinæ etiam eius radicis ἀφέψημα exhibet Dioſcorides, decoctum vertunt, & propriè mea ſententia, cum verò ea vox differat ab apozemate: infuſum verterem, vel efferueſcentiam liquoris, quaſi ſine expreſſione intelligatur ἀπόζεμα quando ſimpliciter in aqua efferueſcit Origanum: ἀφέψημα verò cum decoquitur, & ſimul exprimitur.

DE Chamæleone porrò nigro ſcribit Dioſcorides radicem eius eſſe craſſam, nigram, denſam, interdum exeſam, βεβρωμένην, quæ diſiecta flaueſcit, mordetq; commanducata: fuluo colore videri: reddit Marcellus, ſed vox ὑπόξανθος à Ruellio melius exprimitur, ξανθὸν enim flauum exiſtit, optimum indè confici medicamentum ob abigendam ſcabiem addito exiguò Chalcantho cedrino oleo, & exungia, Phagædenas, & fera vlcera, empiaſtri modò impoſita, ἀνασκευάζοντα ἑρπητίων ad mitiorem habitum transferens ſanat, ſic Marcellus, illitu ſanat Ruellius, ſed ieiunè nimis, nec fideliter, cum vocem illam priorem omittat, eſt enim ἀνασκευάζειν tranſmutare, quam vocem ritè percipere valdè conducit ad rectam illorum vlcerum curationem: ridiculè Barbarus, confutando fieri, ſecutus Rethoricum vocis ἀνασκευῆς ſenſum, quæ apud Rhetores confutatio eſt. Sæpè dixi iterum, atq; iterum repeto; non poſſe benè intelligi, & vertit Dioſcoridem, niſi à Viro Medico Artis vſu, & diſciplina inſtructiſſimo: Galenus hanc radicem noxiam intùs, exteriùs duntaxat medicamentis adijciendam exiſtimat: at cum à nonnullis Raphani inſtar in Acetarijs copiosè edatur, propterea non eſſe Galeni nigri Chamæleonis radicem putarunt, vt ſcribit doctiſſimus Mattheolus: Sed facilè is reſpondet: ex mutatione Cœli, & Soli potuiſſe eſculentam reddi huiuſmodi radicem, ſicuti Perſea in Ægyptum translata: Sic Arum Cyrenis rapi inſtar comedi, in Græcia, & Italia adeò eſſe acre, vt nec coctum, nec crudũ edi valeat, ſic Colchicum Ephemerum innoxiè pro Hermodactilis in Italia,

licet temerè, à Medicis sumi: Persea Arboris mentio admonuit me, vt obiter ex magni Scaligeri testimonio errorē abstergam, quo multos obstinatos Physicos imbutos deprehendi ex eorum genere, qui spreta bonorum auctorū lectione præ quadam animi inertia ex proprio ingenio, & mente philosophantur, atque aliena etiam dogmata elato supercilio iudicant: Istos pro vna arbore Perseam, & Persicum Arborem accipiunt recentato triuialium errore, vt facetè obijcit Scaliger, quasi Persicus venenata fuerit priùs, mox in Ægypto, vel Palestina μεταφυτευομένη, quasi dixeris transplantata innoxia, & esculenta sit reddita. Etenim ex lib. ij. de Compos. κατὰ τόπους satis liquet Galenum in Alexandria tantum Perseam vidisse, quo tempore in Græcia, & in Italia Persicus erat plurima. Sed & Plinius aperto bello eorum inscitiam oppugnat, & Dioscorides ipse, qui Perseæ, & Persici, tamquam duarum arborum fructus meminit, vtrumque ventriculo commodum dictitans: Subdit mox Scaliger, cuius aureum præceptum ab istis morosis Disputatoribus memoriæ mandari velim; Pulchros verò Dialecticos in secunda figura duobus affirmatiuis; pulchras ἀποδείξεις, quæ vnam τέκμηρσιν accipiant pro eo, quod esse debet ἴδιον κυρίως, καθ' ὅλου, καθ' αὑτὸ per se, de omni, quatenus ipsum scilicet vt scholæ loquuntur, hic profectò est ille perniciosus paralogismus, qui obstinatos hæreticos, rudes Botanicos, Telesios, Argenterios, Fernelios ingenij vanitate, & perniciosa ambitione corruptos in nodos inextricabiles perduxit, dum à subitario, & leui experimento ad vniuersale ipsum argumentantur, qui grauissimus error est à nobis alibi diligenter perstrictus: Fernelium excipio, vbi veteri doctrinæ non est contrarius.

Theophrasti de vtroque Chamæleone recitat verba Mattheolus ex lib. ix. de Plant. historia, quibus haud valdè dissentire à Dioscoride videtur: illud non oscitanter à curiosis prætereundum: si hominem ægrotantem experiri volueris, an viuere possit, lauandum ea radice triduò iubent; hoc enim si tolerauerit, moriturum nequaquam existimant;

occi-

occidere Canes, & Sues, Canes in farina hordacea ſubacta cum aqua, & oleo, Sues cum Braſſica: Addit Mattheolus Viſcum, quod Ixiam vocant, in radice albi Chamæleonis naſcens venenum eſſe mortiferum, tametſi ex eo tantillum aſſumptum ex ſomniculoſo vigilem reddat, idcircò Cretenſes mulieres ne in opere à ſomno corripiantur, modicum ex eo à Cœna nullo incommodo aſſumere: De eo intellexiſſe noſtratem Plinium, cum aliquod remedium contra aſſumptum Viſcum profert.



ERBAM PARIS vulgò nuncupatam, non eſſe Aconitum Pardalianchem contra Fuchſium contendit Mattheolus, vno conſtat Caule, rotundo, duorum palmorum altitudine (vt ipſe producta figura oſtendit) è cuius medio quatuor erumpunt folia, eodem ambitu, Crucis inſtar patentia Sanguineæ Virgæ ſimillima, alia præterea quatuor eodem modo prodeunt propè Caulis ſummitatem, ſed hæc minima ſunt, & longiuſcula, in quorum medio purpureus, vinoſusque extat globulus acino vuæ ſimilis, in quo ſemen concluditur album, & minutum, copioſumque halicacabi modo: Radix, quæ illi ſubeſt, tenuis in capillares ferè particulas diſſecta palleſcit, ſemen contra veneficia præſtantiſſimum medicamentum, quod peritorum Phyſicorum teſtimonio confirmat, eius puluere ad xx. vſque diem hauſto drachmæ pondere: ita ſedulò omnia proſequitur Mattheolus, cui tamquam primo rei herbariæ ſuo tempore illuſtratori ſummæ ab omnibus habendæ gratiæ.



E VERRVCARIA herba, quam Cichorium Verrucarium vocat Mattheolus, non poſſum, niſi verbis eius Viri celeberrimi aliquid litteris mandare, qui licet aliquando ob ſummam modeſtiam, atque ingenuum candorem, (quo præditus erat) ſe commentarios illos in

Dioſcoridem concinnaſſe ſit profeſſus in gratiam rudium, Pharmacopolarum non emunctæ naris virorum, vt obiecit Guilandinus acer eius aduerſarius, tamen quoniam primus facem prætulit herbariæ rei in denſiſſimis Arabum ſcriptorum tenebris ſepultæ, nec poſteriores quicquam eo melius attulerunt præter phaleratas nugas, & vaniſſimas de nominibus contentiones, magnæ ei gratiæ habendæ, & tamquã à ſeniore iſtarum rerum præceptore multa (vt aliàs libenter fecimus) perdiſcenda: Is igitur lib.ij.Commentariorũ hæc habet : Eſt & alia Cichoracei generis Planta, quam quidam Zacintham vocauere, nobis autem ab effectu Cichorium Verrucarium appellare libuit, Radice hæc nititur rapunculi figura, ſubnigricante colore, adnatis circumquaque capillaceis fibris. Folia habet Cichorij, verum paulo aſperiora. Caules edit cubitales, & quandoque maiores, tenues, aſperiuſculosque, in quorum ſummitatibus flores oriuntur aurei Cichoracea ſpecie, quibus flacceſcentibus ſemen remanet ſubnigrum capituli inſtar, circũquaque ſecundum longitudinem tecti melopeponis modo. Mira huius plantæ facultas eſt ad tollendas verrucas, ſiquidem ſcimus nos nonnullos, quorum manus Verrucis admodum numeroſis ſcatebant ſanatos eſſe deuoratis ſemel tantum in Acetario huius Cichoreæ Plantæ folijs : idem præſtat eius ſemen, drachmæ pondere tribus diebus deuoratũ, dum ſe cubitum recipiunt Verrucoſi: Hoc velim acceptum referant rei plantariæ ſtudioſi FRANCISCO CALCEOLARIO Pharmacopæo Veronenſi, qui Plantam ad me vnà cum facultatibus miſit, quo luculento teſtimonio facilè intelligitur quanto ſtudio, & honore Calceolarium Seniorem Virũ optimum, & rei Botanicæ peritiſſimum Mattheolus ſit proſequutus, cum non ſolum herbæ huius notitiam, quæ ad illius profeſſionem pertinebat, ſed etiam facultatem Verrucas abigendi ſe à Calceolario accepiciſſe ingenuè fateatur.


LYSSVM (Dioſcoride teſte) fruticoſa herbula eſt, vnicaulis rotundis folijs, fructu duplicium ſcutorum effigie, in quo eſt ſemen quadantenus latum; in montibus, & aſperis locis emicat, eius decoctum ſingultus ſine febre, potu diſcutit: non eſſe Rubiam minorem à Plinio deſcriptam: nec Heracleam Syderitim Aëtij, nec herbam Marrubio ſimilem Galeni, nec ſyluestrem Cannabim Ruellij Mattheolus contendit, cum iſtæ herbæ ad normam, & præſcriptum deſcriptionis Dioſcoridis non reſpondeant; ipſe quæ nam ſit non audet aſſeuerare, licet multas herbas à peritis herbarijs ſibi tranſmiſſas haberet, quæ cum legitimum Alyſſum non referrent, potius ſilentio ſupprimere, quam appingere voluit: Sed fortè non legerat, quæ ſcripſit Clariſſimus Fracaſtorius lib. iij. de curat. morb. contag. cap. ix. de curatione rabidorum, quo loco (vt erat etiam plantarum cognatione optime inſtructus) cum recenſuiſſet plures Syderitidis ſpecies hortenſem nempè odoratam, quæ herba Sancti Ioannis dicitur, pratenſem, quæ propriè Sclarea vocatur: nemoralem floribus exalbidis ſubpallentibus poſtremò Montanam Syderitim, quam ait eſſe in totum pratenſi ſimilem, niſi quod folia rotunda gerit, & verticilla minora, in quibus flore abiecto ſemina ſunt in inuolucro bina, ceu ſcutula: Mulieres hanc & in hortis ſerunt, ac Betonicam falſo nomine appellant, hanc ergò opinandum eſt fortaſſè Dioſcoridi primum, mox Galeno, & alijs fuiſſe Alyſſum, quæ & Syderitis quædam eſt, non ea tamen, quæ ſimpliciter Heraclea intelligitur à Dioſcoride, quam pratenſem diximus: Quicquid igitur de Alyſſo ſit, non errabūt iudicio noſtro, & qui minorem Rubiam, vel contuſam, vel ex aceto potam exhibebunt in rabie, quando & contra ſerpentes valet, nec illi pariter, qui Syderitem, quoniam & illa mire deſiccat. Hæc magnus Fracaſtorius, vt erat iudicij maturitate, & acumine, tum Crititijs ſenſus, & mentis mirificè natura, & ſtudio inſtructiſſimus: Alyſſon dicitur quoniam ſine

rabie

rabie hominem faciat λυσσᾶν enim rabire eſt, Arabes Alguaſcem appellant; Conſideranda verò Dioſcoridis verba, Α'λυσσον φρυγάνιον ἐςὶ Marcellus, exiguus frutex Alyſſon: Ruellius fruticoſa herbula eſt, ambo malè: φρύγανον enim latinè cremium, Gaza nouam fecit dictionem ſuffrutex, φρυγάνιον ergo cremiolum, vel ſuffutriculum, ſi dicere liceret hoc eſt exile, & paruum cremium: Quatuor enim vulgata ſtirpium genera ex Ariſtotele, & Theophraſto, Arbor, frutex, cremium, herba; Canum rabiem ſanare contuſum, & in cibo datum Alyſſum docet Dioſcorides καὶ ἀνθρώποις, καὶ ζώοις ἀβάσκαντον. hominibus, & animalibus faſcini Amuletum Ruellius, faſcinationes auertere ab hominibus, & pecore omni Marcellus, quæ interpretatio vocem Græcam expreſſius reddit, Vtcumque res ſeſe habeat, Platonici amuletis iſtis multum tribuiſſe videntur Pythagoreorum ſuperſtitionibus irretiti, Ad figuras etiam, numeros, & caracteros ſcriptos, & ad prolata verba credulitatem ſuã extenderunt, quibus ineſſe vim beneficam, & maleficam, vel ex vi cœlitus communicata, vel ex prærogatiua animæ rationalis ſibi perſuaſerant: Primam enim figuram, & nobiliſſimam eſſe cœlum, ergo maximè actiuam, & efficacem: primam inter phyſicas formas animam rationis compotem, eius primarium effectum eſſe ſermonem internum, exteriorem, tum caracteribus obſignatum: Verum profectò huiuſmodi amuleta ſi herbarum quarundam vires phyſicas exceperis, vt Hyperici, Alyſſi, Pœoniæ, ſimilium, omnia videntur ſuperſtitioſa, & magicis Demonum pactis expreſſis, & tacitis addicta: omnis actio à forma, aut qualitate phyſica emanat: at quantitas nullam habet agendi vim: Figura, numerus, oratio nullam agendi vim obtinẽt, quia quantitates exiſtunt: qua ratione apodectica, & valida vſus etiam Io. Picus contrà Aſtrologos, vt à figura, poſitu, & ſitu Aſtrorum, quæ Conſtellationes appellant, nullam in hæc inferiora prodire Actionem, aut vim efficacem oſtenderet, & plenè conuinceret.

Hinc

Hinc Catholica Ecclesia Romana Fidei columen, & orthodoxę Veritatis basis magica hæc amuleta, tamque vi, & opera cacodæmonum operentur, vitanda constituit, ne Fideles in dæmonis retia, veluti aliud agentes, sese conijcerent: Peripatetici ob rationem allatam vt ludicra, & inania omninò reijciunt. Pericles (vt ex Theophrasto Plutarchus refert) cum ex graui morbo conualesceret, & ab amicis interrogaretur, quàm grauiter, & molestè ab eo morbo fuisset conflictatus, ad eos conuersus, quæ ab Agyrtis, & circulatoribus collo appensa fuerant amuleta, & varia περίαπτα ostendit, hoc subdens magnam hinc potestis conijcere fuisse morbi sæuitiam, qui dimidium mentis eripuerit, nam si compos fuissem mentis, numquam tales quisquilias admisissem: Vox mehercle tanto Duce, & sapiente Oratore dignissima. Solæ enim mulierculæ, & rudis plebecula his nugis fidem præstant, immò obseruat acutè Riolanus Vir doctissimus (cuius caput XVI. comment. de abditis rerum causis diligenter perlegendum) Agyrtas, qui plusculum sapiunt ad morbos acutissimos amuletis non vti vt Tetanum, Choleram, Apoplexiam, Scyrrhum, sed ad affectus acutos, sed boni moris, & per se interdum curabiles. Cæterum Galenus noster, qui Platonis dogmatum fuit studiosissimus ab vsu verborum, & characterum non videtur in curandis morbis abhorruisse, nam Alexander Trallianus videtur eius librum legisse de occultis rerum proprietatibus, quem in libris de simpl. medicam. pollicetur, licet nobis liber iniuria temporum perierit, in eo incantationem Homericam probasse dicitur, qua fingitur in Odyssæa Vlissi repressum esse sanguinem verbis ab Autolici Filijs, ita ergo Trallianus lib. IX. Iustum est omnibus modis morborum depulsionem tentare, nam diuinissimus Galenus, qui Iunior ne esse quidem incantationes crediderat experientia, & rerum vsu doctior, tandem magnas eis inesse vires deprehendi. Riolanus doctissimus inter remedia occulta ad frangendum lapidem, nullum par esse annulo ex ære Cyprio confecto palàm profitetur, & de Alysso Dioscorides: Do-

mibus appensa, ait, salutaris esse creditur, quæ nobis verba ansam præbuerunt, vt dissertatiunculam hanc de Amuletis in Alyssi descriptione interponeremus: Qualis porrò planta sit, si cuiusquam præferenda sententia est, Fracastorij Montanam Syderitim esse putarim, quo pacto etiam Galeni sententia ij. lib. de Antidotis facillimè conciliatur: Quod verò Riolanus quasi irridere Galenum videtur, quod Platonicorum figmentis manus dederit, partim laudandus, quoniam ob demostrationem allatam nulla vis est orationi, figuris, numeris, & caracteribus, partim improbandus, nam Galenus publici boni studiosissimus, nihil intentatum prętermittere voluit, quod ad depellandos morbos faceret: Nos Christi præceptis, & orthodoxæ pietatis decretis eruditi superstitiones omnes ablegandas Platonicorum, & Ficini, & si quis alius est deterioris notæ Auctor censemus: Herbarum, lapillorum, metallicorum vires physicas à classicis exploratas, & decantatas Auctoribus duntaxat recipiendas profitemur: Veri enim effectus à formis physicis deriuant, vndè verissima, & constans amuletorum ratio petenda. Optasset Vir Clarissimus Iulius Recalchus primarius Medicinæ practicæ Ferrariæ Lector mei amantissimus in aureis commentarijs de similarium corporum natura, quos mihi superiore mense donauit, vt Galenus Physicam Aristotelis, nō Platonis arti medicę substruxisset, vt eius verbis vtar; hinc enim multam difficultatem, & errores multiplices in Artem esse inuectos, sed optarim ego etiam Virum doctissimum considerare maximum Dialecticum fuisse Galenum, & critirium sensus, & rationis elaboratissimum obtinuisse, quorum præsidio subnixus propositiones, & enūciationes demostrationis Medicæ semper per se, de omni, & quatenus ipsum excogitare, & efficere pro virili conatus est; si de demostratione libri extarent nobis id facilè constaret: De vsu, & actione partium corporis pręclarissimi, & fructuosissimi libri id satis emunctæ naris Viris, & Medicis ostendunt; in quarum partium vsu afferendo sæpissime Aristoteles lapsus ridiculum se Philosophum præbuit, quis

quis enim ipſum ferat de cerebri, lienis, teſtium vſu, & actione differentem? de cordis motus cauſis, & pulmonum? cum igitur is anatomicæ αὐτοψίας inſpectionis ſcilicet & diſciplinæ fuerit imperitus: Galenus ipſum deſerere in hac ſolum philoſophiæ parte, & Platoni in Timæo veræ doctrinæ ſemina iacienti ſe addicere eſt coactus: Dialectica parca naturalia vocata, libri Meteorum, lib. de ortu, & interitu potiſſimum Medicinæ noſtræ ſubſtruantur: libri de generatione anim., & de partibus, alijque huiuſmodi cum delectu legendi: cum in multis Platonis Timęus ipſis præferendus videatur: hæc mea ſententia eſt, nec tamē quid alij ſentire debeant, præſcribo, cum iudicia libera eſſe debeant.



INCETOXICVM non eſſe Aſclepiadam herbam à Dioſcoride memoratam eruditè, & ſolidè probat Mattheolus aduerſus Fuchſium: quoniam illius tum folia, tum radices nullo odore commendantur: flores virus nullum redolent, nec ſemen eſt Securidacæ ſimile: pręterea ex Oribasij ſententia Aſclepias folia longa non profert: at Vincetoxicum folijs prouenit laurinis in cacumine acutioribus, firmis, lęuibus, caulibus pluribus, lentis, viridibus, circa quos folia per interualla vtrinque bina ſpectantur, flores edit tenues ex pallido albeſcentes, radicibus nititur numeroſis in gyrum ſe circūquaq; fundentibus: Radices excalfaciunt, & ſiccant ordine primo, digerunt, aperiunt, reſoluunt, vis ei magna aduerſus omnia venena, vnde illi nomen, Demorſis à cane rabido vtiliter præbentur diebus XL. continuis ſequidrachmę pondere ex Cardui benedicti decocto; bibuntur quoq; quotidiè ex vino aduerſus peſtilentiæ contagia: Hæc eruditè, & prudenter Mattheolus, quæ apud ipſum fuſius expoſita leges lib. iij. Comment. cap. de Aſclepiade.



RISTOLOCHIÆ nomen Grauidas dedisse Plinius testatur,quem locum exagitat Mattheolus : hallucinatum esse Plinium nostratem Auctorem doctissimum clamat, & græci sermonis fuisse ignarum, cum non ab vtero gerentibus, sed à puerperis id nomen sibi compararit, Dioscoride teste, addit ad remorantes à partu secundas, & ciendos menses commendari; idcircò grauidis valdè nocituram in eijciendo fætu : Verum pace tanti Viri facilè tueri Plinij auctoritatē hac in re possumus, qui non ab vteri gestione dictam Aristolochiā profitetur, sed Grauidas nomen dedisse, quoniā ἀρίστη λοχοῦσαις esset optima scilicet puerperijs, ex effectu ergo perutili, quem expertæ essent mulieres parientes nomen herbæ Inditum docet Plinius, ita elegans nominis Etymum ex consensu mulierum herbam hancce expertarum depromptum existimauit,non igitur quatenus Grauidæ nomen dederunt, sed quatenus pariture sic nominarunt, perinde ac si quis diceret Medicos nomen tribuisse Panaceæ, quoniam omnium morborū esset medela, Vincetoxico, quoniā omne genus venenorum superaret : Hanc meam veterem pro Plinij defensione sententiam vidi postmodum à doctissimo Petro Victorio sexto libro variarum lect. si non clarè exponi, saltem innui : Dum verò Ciceronem arguit Victorius, quod libro primo de diuinatione scribat Aristolochiam ab inuentore nomen, & inuentorem ipsam herbam ex Somnio reperisse, vt memoria lapsus, & vnam pro alia herbam accepisse videatur, facilè ipsum tueri possumus auctoritate Græci Nicandri interpretis,qui in Theriacis Aristolochiæ mentionem cum fecisset, interpres ille ait, Ταύτην δὲ φησὶν Ἀριστοτέλης γυναῖκα εὑρηκέναι, ideſt hanc (ait Aristoteles) mulierem inuenisse: fieri ergo potuit, vt mulieri inuentrici Aristolochia nomen fuerit, & Somnio herbam inuenerit, quæ fuerit Aristotelis sententia : sed dimissa quæstione de nomine, sciendum est rotundam Aristolochiam esse efficaciorem, & tenuiorem longa : Ex Galeni sententia magis abstergere, & digerere : idcircò longam rotundæ substitui : sub Aristolochiæ

porrò

porrò tenuis nomine Clematitim ab Andromacho, & Galeno accipi: Vim purgatoriam adſcripſit Ariſtolochiæ Meſues, quod Dioſcorides, & Galenus non videntur obſeruaſſe, pituitoſos enim humores per inferna ducit, & ex nonnullorum ſententia etiam bilioſos, Pulmones, & pectoris vaſa ab humorum infarctu, & lentore validè expurgat, hinc maximum Aſthmaticis afferre præſidium credita. Exiſtimarunt nonnulli ex eruditis amicis noſtris herbam illam fuiſſe Ariſtolochiam, quæ iuxta pedes ſtatuæ virilis imaginis, quæ CHRISTVM Dominum referebat, quævè Cæſareæ Philippi, teſte Euſebio lib. vij. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ erecta fuit, miraculi monumentū, quo à duodecim annorum ſanguinis profluuio liberata eſt mulier ſolo tactu veſtis IESV Domini noſtri: vna quippè erat ſtatua CHRISTI ſalutem dantis, altera mulieris ſupplicantis: ignotum ergo herbæ genus ad pedes, ad manum, & ad fimbriam, vſq; excreſcēs, cuiuſcumque morbi medelam fuiſſe, ſed Ariſtolochia eſſe non potuit, quia hæc aperire, & egerere τὰς λοχείας exiſtimata, & mulier illa (cuius rei monumentum ſtatua) immodicè fluentem ſanguinem ſiſtere opus habebat, veriſimile autem eſt iuxtà pedes ſtatuæ CHRISTI herbam tali facultate præditam adnatam fuiſſe: neque licet de Hiſtoriæ fide dubitare (ait Marſilius Cagnatus) quoniam totam, vt apud Euſebium legitur, Sancta Nicęna ſecunda Synodus aduersùs Iconoclaſtas ex litteris Germani Epiſcopi Conſtantinopolitani, cum approbatione commemorauit. Verum & Plinius noſtras lib. XXIV. ſcribit herbam in capite ſtatuæ natam, collectamq; alicuius in veſtis panno, & alligatam in lino ruſſo dolorem capitis confeſtim ſedare traditum eſſe; hinc iuremeritò ſequi oportuit, ſi qua in pedibus ſtatuarum planta naſcatur, eam podagræ, & reliquis pedum morbis remedio eſſe, ait Cagnatus, Ciuis noſter quem honoris cauſa nominatum volo. Lib. 3. var. obſ.



E Macedonico PETROSELINO nec debeo, nec possum aliud literis tradere, quam quod scriptum est ab accuratiss. Mattheolo: sed prius Dioscoridis sententia, & verba afferenda: Petroselinum in Macedonia prouenit in præruptis locis, semine ammij, odoratiore, sapore acri, aroma olente: Vrinam cit, & menstrua, contra coli, & stomachi inflationes, & tormina prodest: Laterum, renum, & vesicæ doloribus in potu subuenit, admiscetur antidotis lotium cientibus: Præstiterat profectò tàm egregiam, & fructuosam Plantam soli Italici non esse expertem, vt eius facultatum vsu locupletaretur Medicina. Ita ergo de eo Mattheolus Macedonicum Petroselinum, & si antehac in Italia haud cognitum fuit, factum est tamen quorumdam diligentia, vt petito è Macedonia semine, iam quibusdam nostris habeatur in hortis: Huius copiam primum mihi fecit Iacobus Antonius Cortusus Patritius Patauinus, cuius liberalitate complures cum peregrinas, tùm raras sum consequutus plantas: exit itaque Macedonicum Petroselinum, folijs vulgari, seu aquatico Apio similibus, sed minoribus Caule crasso ramoso frequentibus alarum cauitatibus, floribus albis semine hortensi Petroselino, haud absimili, odorato, amarescente: Quamobrem aberrant toto cœlo, qui vulgare nostrum Petroselinum nihil à Macedonico differre contendunt, sua tantum auctoritate ne dicam temeritate nixi. Hæc Mattheolus: Sed nec Marcelli Virgilij verba ex suo Commentario prætereunda: cum ait: Indicat vox ipsa in petris, ac saxis natum apium Petroselinum à Grçcis quondam dictum fratre, hic tantũ in Macedonia natale solum illi assignat: Palladius in latinis nihil aliud de eo, quam locis asperis maxime prouenire ait, nec nos credimus alia, quam natalium ratione à satiuo differre: Mederi inter cætera saxatile apium, quod colon dicunt inflatioribus hic Auctor ait, non totum, nec ex quãcumque causa factam colicam affectionem intelligens, sed quæ priuatim ex crasso, & quali

& quali peditu efflatur non transeunte illac spiritu, sæpe fit; hæc ille: cuius Viri doctissimi coniecturæ non sunt spernendæ: Satiuum veterum apium esse vulgare nostrum Petroselinum hortis nostris perfamiliare conueniunt Botanici omnes illustriores de quo lib. xx. Plinius noster ciuis: Apio gratia vulgo est, namque rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent, & Galeni lib. ij. de alim. facult. Apium inter cætera (ait) familiarissimum est, & ori, stomacoq; gratissimum.



SESELI multiplex Dioscoridi Missiliense, Æthiopicum Peloponnense, Creticum: Siler montanum officinæ vocitant: Missiliensi maior videtur adscripta dignitas, & prærogatiua, folia fœniculi habet, crassiora, caulem vegetiorem: Vmbella Anethi, in qua semen oblongum, angulosum, degustanti acre: Radix longa est, iucundi odoris: semen, & radix excalfaciendi vim habet, hæc Dioscorides, & quæ sequuntur ad eius vires explicandas pertinentia: Cõtrà perfritiones (subdit mox) in itineribus cum pipere, & vino bibitur: capris, cæterisq; pecudibus datur in potu, quò facilius suos fętus enitantur. Quo loco obseruandum à Theophrasto Anochi mentionem fieri, quo capręcurentur cum Euonymi arboris fructus, & folia comederint, quid porrò fuerit Theophrasto ἄνοχος Anochus an simplex planta, an compositum medicamentum diù quæsiui à Viris doctis, & rei herbariæ, & Theophrasti studiosis, quin & à Gaspare Bauhino Basiliensi Professore percelebri: coniecturas tantum attulerunt, nihil certi, & explorati adducents: Miror Gazam, & Scaligerum alto silentio hoc pręterijsse, quorum intererat scholijs, & explicationibus rem obscuram illustrare; Viros igitur candidos, & eruditos oratos velim, vt quod sit Anochus diligenter inuestigent, & literis prodant, vtque eorum industriam litterariam vberius exacuam, quod 3. de hist. plant. c. post.

Boc-

Bocchus Lydiæ Rex in Virgiliano Culice memoratus, quid Onogyris Nicandri, quid Pharicum venenum fuerit ſimul perquirant rogo, & exploratè certis teſtibus, & auctorum probatorum fide, non per coniecturarum nubes doceant.

De Pharico tamen legenda coniectura Hermolai primo lib. corollarij cap. vj. vbi ſcribit quoſdam omnem vſum Nardi abdicare ob ancipitem ex ea Medicinam, propterea quod in Nardo quiddam veneni delibutorij vna naſci ferant, è quo Piſum illud vocatum Indi conficiunt exitiale non potu modo, ſed In ſudore corporibus appoſitum; tum ſubdit fortaſſisq; hoc ſit, aut non diſſimile, quod Pharicon à Dioſcoride, ac Plinio, Phariacon ab Athenæo dicitur, guſtu Nardi omninò, ſed reſolutionem faciens neruorum cum alienatione mentis, atq; ſpaſmo: aduerſari huic veneno maxime Cydoniam Philarchum prodere.

Redeo ad Seſelim, quam herbam Ariſtoteles lib. ix. de Hiſtoria anim. Ceruas ſtatim à partu petere, & cum eam ederint, ad prolem redire tradidit: Verum & à Medicis Galenus audiendus, qui lib. viij. de ſimpl. med. Seſelis ſemen, & radicem vſqueadeò excalfacere ſcripſit, vt admodum vrinam mouere queat, medicamentum etiam eſſe tenuium partium vt & comitiali morbo, & orthopneæ conueniat.



DAVCVM Creticum egregiè deſcribit Dioſcorides, folijs fœniculo ſimile, minoribus, & tenuioribus, Caule Dodrantili Vmbella Ceriandri, flore albo, ſemine acri, radice digitali craſſitudine: Aliud genus ſylueſtri Apio ſimile: Tertium aſſignatur genus folijs Coriandri, floribus albis, capite, & ſemine Anethi, probatiſſimum Creticum, omnium ſemen excalfacit potum, vrinam, menſes, & partus extrahit: Deſcriptionem plantæ, & facultates alias plenius apud Dioſcoridē leges, neque enim actum agere; atque huc omnia tran-

transferre par est. Illa Dioscoridis verba obseruanda: Seminis duntaxat in alijs generibus inualuit vsus, in Cretico etiam radicis, quæ maxime contra venenatorum iniuriã in vino bibitur. Præter alia addit Plinius nostras contusis, & euersis potum duobus obolis in Mulsi cyathis tribus subuenire, aut si febris adsit in aqua Mulsa: calculos eijcere: Folia omnia tela corpori infixa extrahere: Galenus monet efficax esse medicamentum ad mouendam vrinam, & prouocandos menses: foris impositum multum discutere, eam vim herbam habere, sed semine inferiorem, nimirum ob aqueę humiditatis misturam; Aqueam hanc Dauci temperiem, & naturam perstrinxit doctissimus Scaliger in Coment. Theophr. de causis plant. cap. xxvj. libr. primi, cum enim effatum Theophrasti attulisset: plantarũ nempè principia quibus procreantur, & perficiuntur, alia esse interna qualitates scilicet primas, alia externa, Aërem scilicet, & locum, subdit harum causarum alias sensu percipi, vt densitatem, & humiditatem, alias sola ratione deprehendi, vt calorem, & frigus, non enim humidissimas plantas esse fęcundissimas, neque plus fert (inquit) Spinachia seminis, quam Myrrhis, aut Daucus, & affines sunt natura.



MEVM legitimum ex præscripto Mattheoli Botanicorum, qui scripserunt, accuratissimo in Musæo ostenditur, Radicibus nigricantibus in obliquum, rectumq; sparsis longis, tenuibus, odoratis, acribus, folijs Anethi, Caule bicubitali; quas notas legitimi esse Mei, omnes rei herbariæ scriptores videntur inter se conuenire, vt docet Mattheolus, qui tamẽ ambigit, an hæc herba descripta, & à recentioribus pro Meo vsurpata sit verum Meum, cum radices non valdè odoratas obtineat, quia potius quoquopacto grauiter oleant, nec tenues cernantur, vt vult Dioscorides, nec folia Anetho, sed potius Asparago similia ferat; Hanc Apuli Imperatri-

cem

cem vocant, & ad venenoſorum Serpentum morſus præfe-runt, vſque ad Plinij noſtratis æuum peregrinam fuiſſe in Italia Plantam ex eo conijcimus,quod non ſeri Meum ni ea, niſi à Medicis, ijsq; admodum paucis ſcribat,ſed quòd ei fo-lia Anyſo ſimilia adſcribat,non Anetho ex præſcripto Dio-ſcoridis,vocum ſimilitudine deceptum Plinium putat Mat-theolus : Athamanticum vocatum, nobilius, & efficacius putatur, quod ab Athamante Aeoli filio fortè inuentum ſit, vel quod præſtantiſſimũ in Achamante Phthiotidis pro-ueniat? Tametſi radices tantum in vſum medicum venere, ſemen nihilominus viribus ſuis non caret: Botanicos porrò illos, & Plinium tueri poſſumus, quoniã vt Theophraſtus, Ariſtoteles, & Dioſcorides (magnorũ virorũ Triumuiratus) docet in humectis, & caliginoſis locis plantarum partes & craſſiores, & minus odoratæ procreantur, contra in mon-tanis, & ſiccioribus regionibus, & magis exuſtis, quare & Mei radices in Italia loco humidiori, quam in Græcia, vel Hiſpania, vel Macedonia prognatæ, nec adeò tenues, & grauiori odore præditæ ſunt, & folijs fortè Aſparago, vel Anyſo ſimilibus: Coniecturam afferimus, non τεκμήριον: nam radices omnes humectioris Soli grauem odorem ex ali-quo aquei ſucci exuberantis putore nanciſcuntur. Galenus lib. vij. ſimpl. radices Mei tertio ordine calidas, ſiccas ſe-cundo ſtatuit, idcircò lotium, & menſes ciere, ſi plus, quã deceat, ex ijs ſumatur, caput dolore afficiunt, qua in re ipſi probè cum Dioſcoride conuenit.


VNARIAM minorem ob ſemen racemo-ſum etiam βοτρυίτιν vocatam dodrantali alti-tudine ob mirificas, quibus pollet, vires in Muſæo aſſeruari cernimus, eius verò potiſſi-mum radices: Caule conſtat ſimplici, ro-tundo, lento, & gracili, è cuius medio in latus exit ramuſculus coſtæ effigie (ait Mat-theolus) cui folia ſunt vtrinque ſeptem annexa lunata, craſſaq; & firma,Braſſicæ marinæ modò: at Fuchſius cordis

hūmani

cordis humani folia formam referre docet, tum in summitate Caulis semen Betæ simile proferre: Mattheolus flores proferre in summitate Caulis Oxalidis minoris instar semine rufo, rotundo, minuto in Vuæ modum racematim cohęrente, vt mirandum sit hos auctores inter se dissentire: copiosissime tamē Tubingæ in pede montis Austriaci prouenire tradit Fuchsius, vbi ipse profitebatur, & sæpe ipsam herbam vidisse verisimile est terrestre quid gustata præfert, & adstringens, quare mediocriter frigidam, & siccam temperie esse coniectandum, proindè vulneribus glutinandis mirè efficax, & ad puerorum Enterocelas magnis effertur laudibus, tum ad supprimendos immodicos menses, & albū mulierum profluuium: Chymicorum nugas, quibus eius herbæ vsus frequentissimus est, libens prætereo (ait Fuchsius) adeò semper doctis, & prudentibus Germanis, & Physicis quibusuis Galenica, Hippocratica, & Aristotelica doctrina imbutis eius superstitionis impostura fuit exosa: tametsi nuper duodecim Proceres ad Mensam auream Symbola contulerint D. etiam Thoma Doctore verè Angelico, & cœlesti, Italorum summo ornamento, vel inuito, & tales nugarum aurearum pollicitationes, vel technas prę summa animi puritate, & sanctitate auersante ad conuiuiū illud perducto. Aliquod mysterium etiam in Lunaria illa, quæ Sferracauallo ab Italis dicitur putarunt, quod clauos euellat ab equis in montibus pascentibus, vndè ferreos calceatus amittant, ait Mattheolus, statim vt est cerebrosum, & meditabundum homiunm genus, putarunt vim magnatis in hac herba esse, quam Lunarię speciem statuerunt folijs minoribus securidacæ proximis, pusillis, cordisque faciem referentibus: Posse verò reperiri huiusmodi herbam facultate illa mirabili præditam Plinij nostratis auctoritate confirmat Mattheolus, qui lib. x. Picum Martium adactos cauernis à Pastoribus Cuneos admota quadam herba extrahere scribit.



AM verò vt curiosa, & grata varietate rerum Musæum afflueret semina quędam exoticarum Plantarum FRANCISCVS CALCEOLARIVS Iunior diligenter conquisita commostrat nempè Bammiæ, Beidelsaris, Melochiæ, & Chatæ: De quibus optimè scripsit Prosper Alpinus ex propria inspectione, & obseruatione in lib. de plantis Ægypti.

DE BAMMIA cap. xxvij. planta est (inquit) ad Altheæ magnitudinem, folijs, floribusque Maluæ, aureis tamen à quibus fructus fiunt similes quibusdam paruulis Cucumeribus, qui semina isthæc, quæ in Musæo asseruantur, parua subnigra, & rotunda continent in vsu illius gentis mox existere tradit, perinde apud nos ex Pisis, & Phaseolis fercula parantur, folia, ac fructus frigidos, & humidos esse in primo ordine, vim emollientem habere, proindè pectori, ac pulmonibus conuenire, aluum lubricam reddere, tumores emollire: fomenti aut Emplastri modò inflammationes resoluere, dolores mitigare: in renum inflammatione, ac calculo decoctum, cum Saccharo candido sumptum mirificè prodesse, Ophthalmias finita fluxione iuuare, quæ omnia satis docent Maluæ genus esse, vel Altheæ, quæ Soli, cœlique Ægyptij vi aliquam à nostra diuersitatem sit sortita, quod in multis alijs plantis facilè mihi persuasi; neq; enim τὰ ὄντα, absque necessitate multiplicanda, & vbiq; locorum eędem specie stirpes enasci valeant, licet perspecta singularium plantarum natura magnam sortiantur varietatem, quod in procreatione etiam hominis obseruat Aristoteles, cum in Ægypto octauo etiam mense fętus vitales in lucem edi scripsit.

BAIDEL-


EIDELSAR cap. xxv. ab Alpino deſcribitur, naſci nimirum in humidis locis propè Alexandriam in ramo Nili CALIG vocato, & Cayri loco prope el Mattharia perpetuò humida ex aqua Nili ibi diù ſtagnante: Eſſe plantam herbaceam fruticoſam multis ſtolonibus ab radice ſurrectis duorum ferè cubitorum altitudine ſeſe extollentẽ folijs latis, oblongis, rotundis, vt Aloes folia, craſſis, candidis, ex quibus diſſectis lac album manet, totamque plantam lacte exuberare: flores ferrè Croceos ranunculi floribus ſimiles à quibus fructus pendent teſtibus humanis figura perſimiles, in quibus alba lanugo, & ſemina parua, lata, lactucæ ſeminum æmula continentur, ex folijs contuſis emplaſtra fieri ad frigidos tumores, & dolores, ex lanugine parari cubilia, quibus vtantur, cur cubilia? fortè hac voce Alpinus intellexit periſtromata, & ſtrata, vel lodices, & ſtragula, non cubile totum, quo etiam lignea ſtructura percipitur: totam plantam lacte calidiſſimo, & exurenti ſcatere, quo pilis coria nudentur, lac ſiccatum dyſentericos fluxus etiam lethales inferre: ad curandam impetiginem, & lichenas, aliasq; cutis defœdatiores præſtantiſſimum eſſe medicamentum. Cæterum verè quis quærat cur huius plantæ lac, & generũ omnium Tithymalorum ſit exurens, & pernicioſum, cum animalium hac frigidioris, vel temperatæ ſit naturæ. An quoniam iſtarum plantarum lac eorum eſt veluti ſanguis, & alimentum, cum ipſæ calidiores ſint perſimile alimentum nanciſci debuerunt: at animantium lac nutrire paruulos fœtus, & infantes duntaxat debuit, qui temperati, atq; humidi exiſtentes conſimile alimentum expoſtulabant: Ficus etiam lac exedens emittit, & lactuca tum ſeneſcens, tum nouella, ſed huius innoxium lac profitetur Scaliger aduersùs Cardanum, multa verò noxia in eo lacte, *Exerc.* quod à calidioribus plantis promanat: tum ſubdit Scaliger 142. Tragopogon quoq; tametſi non id prodiderit Dioſcorides, tamen lactea eſt radice, eademque innocenti, quotidiana

alioquin vſu in Thuſcorum acetarijs vbi ſaxeſica nominatur: Putabat verò Cardanus ſuccum tantum viridem herbarum eſſe ſalubrem, ſed Hyperici oleũ ruſſum, vel villica ſua vocitabat: Medici Laſeris ſuccus viridis non eſt, ſaluber eſt, ſucci, omnes ſunt reſinæ nulla viridis: ſic generale illius Profatum diruit Scaliger.


ELOCHIA, & ipſa Ægyptiorum planta non contemnenda Blito perſimilis, folia anguſtiora, longiora, acutioraque obtinet, ſemina parum nigra Melanthio ſimilia, in quibuſdam obliquis cornibus concluſa viſuntur, quorum magnus apud eos vſus in ijs affectibus, quibus ſemina Altheæ prodeſſe in confeſſo eſt; maiorem lentorem habet eius mucago, quam Altheæ, proindè tumores concoquit, & emollit: cibus eſt ijs populis perfamiliaris in aqua more noſtra Betæ decocta, ſuccum tamen viſcidum gignit, qui contumaces viſcerum obſtructiones facilè pariat: totius plantæ, ſed maxime foliorum decoctum pectori amicum, quocirca aſperis, & ſiccis Tuſsibus, atque Dyſpnia affectis, cum Saccharo candido præſens medela: ſemina huiuſmodi pondere duarum drachmarum ſumpta omnes humores copiosè purgare teſtatur Alpinus.


HATE etiam vocatum Cucumeris genus in vſu habere Ægyptios idem Alpinus teſtatur, quam plantam, ait, à communi Cucumere noſtrate differre ſola magnitudine, colore, ac mollitie, quo intelligimus eaſdem herbas eſſe, vbique ſpecie, & viribus ſimiles, differre forma, figura, magnitudine, colore, atque alijs huiuſmodi accidentarijs conditionibus, quæ ſingulares plantas (Indiuidua vocant) mirè afficientes, & immutantes, efficiunt, vt nos veluti diuerſas, ac alias omninò ſtirpes, & cœli, ſolique exotici exoticas exiſtimemus, quod Philoſophis, & Phyſicis eruditis, non rudibus Bota-

nicis

nicis expendendum obtrudo. Cucumis ergò isthæc Ægyptia folia obtinet minora, candidiora, molliora, ac rotundiora, fructus longiores, viridiores, cortice pleno, molli æquali, gustui dulces, concoctu faciliores: Huiusmodi fructus crudi, & cocti saluber cibus esse putantur: qua ratione peste affectis prosint huiusmodi Cucumeres crudi esitati miratur Alpinus, quemadmodum Ægyptijs persuasum est: Dicerem ego duabus de causis id posse coniungere, vel quia crudi deuorati, vt nos consueuimus nostros, maiorem opem refrigerando, & humectando afferunt, vel quia vis alexiteria pro pestilenti veneno eradicando melius in crudis seruatur, cum ea per cocturam facilè exsoluatur: In ardentibus febribus, in renum, ac vesicæ calidis morbis refrigerando, ac humectando valdè vtiles, & ad sedandos podagricos dolores à causa calida excitatos: Stillatitiam etiam aquam multis diebus ægrotis exhibent ad renum feruorem compescendum, & calculos exturbandos, sed potissimum etiam ad Iecoris calorem moderandum: cum è cœli, aëris, & Soli insigni æstu illorum populorum incalescant corpo[ra].



OLLE vocant arborem in Perù nascentem (ait Carolus Clusius in Scholijs suis ad librum Nicolai Monardi de simpl. exoticis medicamentis) cuius pusillas duas plantas è semine natas se vidisse Machlniæ in horto splendidissimo Illustris Viri Ioãnis de Brancion, sed quæ tertio anno perierunt Hyemis iniuria: fuisse eas arbusculas trunco ex viridi nigricante multis consperso veluti maculis cinereis; Folia pennata vt fraxini, sed multò minora ex viridi nigricantia, serrata, & sub extremum angustiora, quæ ab arbusculis reuulsa lacteo succo, eoque lento viscido, & odorato manabant: ipsa folia trita fœniculi odorem reddere, gustata adstringentis facultatis nonnihil habere visa. Fructus ex quo natæ sunt, piperis ferè magnitudine, oleaginosus, pellicula rubescente tectus racematim cohærens (subdit Clusius) vt ex eius Cap. 24.

Icone,

Icone, quam ad viuum depingi, tum temporis curauimus, conſpicere licet: Florem, quem habeat, ignoramus, ſed quibuſdam Auctoribus minutus eſt Vitis flori ſimilis; hæc ille, qui mox docet ex Hiſpanijs ſe accepiſſe Molle ramulos ſuis racemis immaturis onuſtos, illius folia fuiſſe quidem alata, ſed in ambitu minimè ſerrata, talem etiam Molle Arborem Romæ fuiſſe conſpectam, veriſimile autem eſſe adultas arbores, & iam fructum ferentes, foliorum formam immutare: Hanc arborem abundanter naſci in conuallibus, & locis planis Peruanæ regionis, vt teſtatur omnes, qui Occidentalium Indiarum hiſtoriam ſcripſerunt, ſed Petrus Cieca maxime prima parte Chronici hoc pacto. Toto hoc tractu conſpiciuntur magnæ quędam, & etiã paruæ Arbores, quas Molles appellant incolæ, folia habent minuta, odore fęniculi, cortice adeò commendato, vt eius decocto crurum dolores, & inflammationes ſumma cum vtilitate foueantur ex ramulis fiunt Dentiscalpia vtiliſſima: Ex huius fructu cum aqua decocto, pro cocturæ modò fit, aut vinum, ſiue potio admodum bona, aut acetum, aut mel, tantoque in pretio apud Indos ſunt hæ arbores, vt quibuſdam locis eas conſecratas ſuis Idolis habeant: addunt nonnulli eius arboris foliorum decoctum doloribus ex frigida cauſa ortis auxilio eſſe; illius verò gummi, quod Mannæ modo candidum eſt, lacte diſſolutum caliginem oculorum abſtergere: Hæc pleniùs ex illis doctiſſimi Cluſij Scholijs volui hunc tranſcribere, vt plantæ huius egregiæ à FRANCISCO Iuniore CALCEOLARIO conquiſitæ, & in Muſæo aſſeruatæ natura, vires, & hiſtoria enucleatius à rerum naturalium curioſis lectoribus intelligerentur.

Cæterum & Rhapontici viridem radicem idem CALCEOLARIVS nobis oſtendit ſibi hoc anno ab Illuſtri, & Excellentiſſimo Domino Bartholomęo Sfortia Medico, & Profeſſore Patauino donatam, quam terræ creditam ineunte verè nobis veram Rhapontici plantam caule, folijs, & floribus prędıtam repræſentaturam ſperamus.

Verum

Verùm lector non grauetur disputationem de Rhapontico doctissimi Alpini legere Patauij habitam, & impressam anno 1612. apud Petrum Bertellium, & Clarissimo Medico Syluatico dicatam, vbi ēt eius Iconem affabrè expressam proponit, septemque capitibus enucleatè totam illius Plantæ naturam, & vires explanat, ostendens Rhaponticum esse Hippolapathum latifolium ex Thracię Rhodopęis mōtibus: plura non addo. Alpinum, qui volet, consulat.



ARVM docet Dioscorides esse vulgò cognitam herbam, surculosam, flore origani, folijs multo candidioribus, flore odoratiore, vim habere Sysimbrio consimilem, substringere enim, & modicè calefacere, quade causa illitu serpentia vlcera sistere, & in callidas illitiones addi, iuxta Magnesiam, & Tralles copiosissimam gigni: Ex Galeni placitis colligit præstantissimus Mattheolus primo de Antidotis in Hedychroi compositione, Marum ab amaraco viribus, & facie parum differre, licet amarius sit marum, tū odore fragrantius, vt eorum probanda sit sententia, qui marum amaracum illam esse putant, quæ odoratior est, & gustatui amarior, tum folijs viret minusculis, candidioribus, & tenuioribus ab Etruscis Persa gentile nuncupata: Sampsuchum enim, siue Amaracus Persa ab ijs vocatur: cuius illud genus, quod folijs constat pinguioribus, latioribus, viridioribus, gustui acrioribus, minùs tamen amaris legitima Amaracus existimatur: mollem Amaracum vocauit Virgilius, cum Venus Ascanium in altos Idaliæ lucos gremio fotum tollit,

At venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis Amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.

Hic

Hic enim proculdubio Poëta legitimam, & vulgatam Amaracum intelligit: Marum enim asperiora habet folia, & agrestius est, quam vt illi possint prærogatiuæ à Virgilio positæ conuenire; quod Alpinus etiam obseruasse visus: quod plantam hanc syluestre Amaracum, non Marum nuncupandum iudicet, decipi existimo, cũ profiteatur se apud aliquos Cretenses Marum vidisse, nostro Amaraco planè simile, licet foliorum qualitate, odore, & sapore diuersum vti superius descripsimus; Quod si Galeni, & Plinij tempestate fuit Marum Italiæ peregrinum, non est putandum in præsentia adeò esse exoticam plantam, vt in multis hortis, & viridarijs non habeatur, quin iurè affirmare possum in meo domestico hortulo efflorescere, & hyeme etiam perennare Marum ijs omnibus notis, & conditionibus natiuis donatum, quas Dioscorides, & Mattheolus præferunt.

Quare qui graciliorem Amaracum pro Maro substituunt, (auctore magno Galeno) non errant, quia vnguentum illud, in quo per Maro Amaracum admisceri iussit, &si minùs odoratum videretur, non tamen viribus inefficax fuit, verisimile tamen est legitimam fuisse Amaracum à Gal. vsurpatã, quanto magis Amaracino vnguẽto consentaneum fuisset syluestre hoc Sampsuchum, quod ipsissimum esse Marum æqui rerum æstimatores haud inficias eant.



ONTANVM NARDVM θυλακῖτιν dictam, in Cilicia, & Syria nasci Caule, & folijs Eryngio similibus, minoribus, minimè tamẽ spinosis, & asperis, testatur Dioscorides: Radicibus binis niti, aut pluribus nigris odoratis, ceu Hastulę regiæ, sed longè gracilioribus, & exilioribus, neque caulem, neq; fructum, neque florem proferre: radices profectò (quæ in Musæo visuntur) optime his à Dioscoride descriptis respondent: sed maxima statim se offert in Dioscoride, tanto Auctore, repugnantia: cum Caulem habere Eryngio similem Nardum prius doceat, mox in fine capitis neget Caulem

habere

habere: quo loco doctissimi Mattheoli coniecturam probare non possum, qui satis verba, & sensum distorquens, Græcã orationem sic legit οὔτε καυλός, οὔτε καρπὸς, οὔτε ἄνθος συμφέρει, nec Caulis, neque fructus, neq; flores confert; quoniam nimirum sola radix in vsu medico esse videtur, quia efficax, & odorata, non itidem aliæ partes, quæ odore carent. Verum ne omnibus peruetustis, & recentibus Dioscoridis exemplaribus tanta inferatur vis, libens, & volens Marcelli Virgilij modestam emendationem amplector in priori igitur parte φύλλα, καὶ κλάδους, non καυλοὺς legendum, hoc est folia, & ramulos Eryngio similia obtinens: ramuli porrò isti in fruticoso genere, quale Absinthium, Ruta, Thymus, pluraque alia (inquit Marcellus) conferti ab vno principio, pluresque oriuntur, & eadem ferè altitudine inter se crescunt. Per Caulem verò in posteriore capitis parte eam partem innuere videtur Dioscorides, cui flos, & fructus proximè innititur, quæ duo in montana Nardo negaturus, tertium etiam negare cogebatur, ita vindicatum à repugnantia Dioscoridem cognita legitimæ scripturæ iactura putamus: subdit Auctor ad eadem valere hanc Nardum, ad quæ celtica Nardus: Gallicam vertit Marcellus.



IVNCI odorati σχοίνου ἀρωματικοῦ Plantam egregijs virtutibus, teste Dioscoride, Botanicorum Antesignano, donatam in nostro rerum naturalium Thesauro pariter asseruatam cernimus: cum diphthongo Grece scribi tradit Marcellus, vt à Lentisco arbore differat, quam σχῖνον vocitant: Squinantum officinæ barbara voce appellitant, quasi Schenanthum σχοίνου ἄνθος: Iunci scilicet Florem: lib. tamen primo de Antidotis Iuncum odoratum ex Arabia aduectum miratur Galenus cur vocetur Iunci flos, cum nobis floris copia non adeò suppeditet, nam & si tota aduehatur herba, sunt tamẽ eius superiores partes (ait) à Camelis sępè depastæ, eo enim

vescuntur, & oblectantur maximè, hanc Galeni sententiam irridet Mattheolus: arduum enim esse credere, tàm ingentem esse Camelorum numerum, qui locustarum more Schœni florem depascantur, vt nulla supersit Planta, cui flos nō deuoretur: Nos pro Galeno dicere non ineptè possumus, quod Christophorus Acosta Aphricanus Medicus lib. de simplicibus exoticis cap. 24. scribit, Pabulum scilicet & Paleam Camelorum vocari Iuncum odoratum, quoniam in regionibus, vbi nascitur, non solum à Camelis plurimis, & frequentibus depascitur, sed & ab equis, & mulis, cum eorum sit consuetum, & ordinarium pabulum, quinimmo & reliquum armentorum genus eo vescatur: aliam idem Acosta videtur causam subnectere, cur infrequens sit floris vsus quoniam barbaræ illæ Arabum gentes Medici, & Pharmacopæi florem spernunt, tamquam nulli vsui idoneum: An quoniam eum vident in armentorum familiaré cibum concessisse: ijs tamen apertè refragatur Dioscorides Floris, arundinum, & radicis Iunci huius vsum esse attestans. Laudatissimum ex Nabathea, proximum Arabicum, pessimam ex Aphrica existere, eligendum rufum, recentem, floribus refertum, tenuem rubentibus fragmentis, qui manibus confricando rosæ odorem emittit; hoc videtur refellere Acosta dum scribit Iunci recentis probum esse odorem, sed non rosæ similem, quoniam in ijs, quæ ad gratum odorem pertinent, raró veritas ex re comparata percipi potest: Verum hoc Aphricanę subtilitatis, & friuolæ nugacitatis specimen, neq; .n. Dioscor. auctoritas posthabenda, in comparationibus enim non ταυτότης spectanda ab æquis rerum ęstimatoribus, sed ὁμοιότης: non eadem nimirum affectio, sed consimilis: Qui ergò Iuncus odoratus manibus confricatus propius ad rosæ fragrantiam accesserit, is cæteros bonitate præcellet. Hallucinatur etiam Acosta, dum Serapionem arguit, qui Iuncum modò herbam, modò plantam vocat; herbam enim existere non plantam, quasi genus speciei non conueniat, cum (vt Dialecticorum more loquamur) de ipsa prædicetur: Iuncus ergò est herba, herba

est

eſt planta, igitur Iuncus erit planta, turgent Aphricanorũ, & Iberorum ingenia pruritu litigandi, & cęteros vellicandi vt maximi, & ſoli ſapere videantur, ſed vix primorum Logicæ principiorum memores deprehenduntur, quod verò Auicennas fructum Schænanthi nigrum (teſte Dioſcoride) profiteatur, ab aliquo interpretum deceptus videtur, cum hoc apud Dioſcoridem non reperiatur. Iuncum rotundum vocat Cornelius Celſus, vt à triangulari diſtinguat, Odoratum Græci, vt à cõmuni Iunco ſecernant: notanda verba Dioſcoridis ῥοδίζουσα τῇ εὐωδίᾳ ſuauitate odoris, qualis in Roſis ſentitur, roſizantem, ſi latinè liceret vertere, vt innueret nobis videri ipſiſſimam Roſam: quod ad ſuauitatem odoris ſpectat, ſequitur Dioſcorides mordentem linguam μετὰ πολλῆς πυρώσεως, cum copioſa ignitione: ita enim ad verbum: vt mirum ſit tanto calore præditam eſſe huiuſmodi plantam, cum in campeſtribus paſcuis, & vbi lacus, quodam tempore ſiccantur, naſci dicatur, vim vrinæ ciendæ habet, menſes pellit, diſcutit inflationes, caput aggrauat, μετὰ λῦς καρη βαρικὴν, quæ vulgatior eſt lectio: alia erat (teſte Marcello) καρωτικὴν, quæ cari, & ſoporis inexpugnabilem neceſſitatem ſignificat, ſed priorem lectionem veritati magis conſentaneam putamus: Flos eius in potu vtilis ſanguinem reijcientibus: Radix adſtringentior eſt, ideo faſtidijs ſtomachi, & hydropicis cum pari piperis pondere per aliquot dies dari, docet Dioſcorides; Si quis plura de Schęnantho deſiderat: Dioſcoridem, Mattheolum in Commentarijs, Amatum Luſitanum in enarrationibus, Acoſtam adeat, tum potiſſimum Galenum 8. ſimplic. vbi eius docet facultates, quo pacto verò ibi modicè dicat Florem calefacere, Dioſcorides verò ignea mordacitate linguam afficere, cogitent eruditiores Phyſici, an exoluitur facilè ignea illa vis, vt piperis etiam vis in ventriculo, & Gingiberis, vt nonnulli exiſtimant: idcircò nũquam ab ijs iecur excalefactum: cum affectio, quæ tactus ſenſum permutat, modica, & attemperatior experimento comprobetur: Theophraſtus ex ſententia Meneſtoris, & Empedoclis Iuncum, Calamum, *Primo de cauſis cap. 27.*

Cyperum in locis humidis enaſci ſcripſit, vt ſumma harum plantarum caliditas loci contraria qualitate ad moderationem reuocaretur.

Iam verò Clariſſimus Mattheolus in Commentario fatetur ſe florum Iunci arculam plenam obtinere, quorum partem ad ſe miſerat Verona FRANCISCVS CALCEOLARIVS materiæ Medicæ admodum ſtudioſus, qui odoris ſuauitate, & fragrantia, & cæteris omnibus qualitatibus, quæ in Schænantho requiruntur, ita præditi ſunt, vt ſanè mentis eos eſſe negare oportet, qui Iuncum hunc adulterinum eſſe contendunt.



Lib. 4. Dioſcor. ANGELICAM non eſſe Myrrhidem Dioſcoridis ex eo euidentiſſimũ eſſe oſtendit Mattheolus herbariarum ſuæ tempeſtatis Anteſignanus, quòd ei folia ſint ſatiuæ peſtinacæ ſimilia, non quidem multifida veluti Cicutæ: Præſtantiſſimam porrò plantam eſſe Angelicam docet, cubitalem nimirum excedere altitudinem, Caule geniculato, inani, multis alarum cauis referto, folia proferre oblonga per ambitum ſerrata, in nigrum vireſcentia flores albos in vmbellam cohęrentes, è quibus ſemen prodit tenue lentium modò compreſſum; radicem ei ſubeſſe craſſam raphani modo, quæ in plures diuaricatur ramos, guſtu acrem, & ſuauiter odoratam: Satiuã paſſim in Miſnia ſeri, atque alijs Germaniæ locis, vndè ad Seniorem CALCEOLARIVM olim mitti ſolebat: Radices habet nigras, & fibratas, odore adeò eximio, vt meritò Angelicæ ſibi nomen compararit. Domeſtica quæ ſponte naſcitur Caule, folijs, vmbellæ ſemine, & radice longè maioribus prædita: radice ſuccoſa, ſubalbicante, acri, ſuauiter redolente: Syluestris, pumilior, ſed viribus omnium præſtantiſſima, ſubdit Mattheolus, Radice nititur pollicis craſſitudine, ſæpè maiori, ſucco flaueſcente referta: Aquatica cæteris grandior, ſed viribus longè imbecillioribus: ſecundo ordine excalefacit, & ſiccat venenis potiſſimum aduerſatur,

& pestilentiæ maximum Alexiterium censetur: Datur radicis semidrachma, cũ Theriacæ drachma è sua ipsius aqua ijs, qui peste laborant, & sudare coguntur, repeturque eodem modò post septem horas, quo solum antidoto multi persanati: trita in puluerem radix animi deliquijs, & cordis affectibus vnicè prodest, ad rabidorum etiam morsus exteriùs cum ruta imposita, & intrò in corpus assumpta: hæc, atq; alia de adeò præstanti planta Mattheolus.



SACCHARVM gignens Planta (si Garziæ ab orta, & Carolo Clusio credimus) arbor est interdum magna, & instar populi procera, interdum minor, ramos vt plurimum erectos (nisi quod pulcherrimos quosq; interdum incuruant ad pergulas, & deambulacra, apud Indos frequentia, conficienda) nodis Palmi longitudine ab inuicem dissitis distinctos habens, folium oleæ longius. Inter singula internodia liquor quidam dulcis generatur crassus veluti amylum congestum, & simili candore interdum multus, nonnũquam verò perpaucus, sed non omnes arundines, siuè rami eum humorẽ continent, at ij duntaxat, quos Bisnager, Betacula, & pars Prouinciæ Malauar profert; ab indigenis Sacar Mambu vocatur, quasi Saccharum de Mambu, quoniam Indi arundines, vel ramos arboris id proferentes Mambu appellant: modò Tabaxir vocare cæperunt quoniam eo nomine à Mercatoribus Persis, & Turcis, Arabibusque petitur ex India in suas regiones exportaturis; Hæc ex prædictis Auctoribus, qui esse insignem errorem Gerardi Cremonensis obseruant apud Razen Tabazir spodium interpretantis, idcircò Dauum Terentianum omnia turbantem ipsum vocarunt: In Insula D. Thomæ singulis mensibus arundines seri testatur Iul. Cæsar Scaliger: quinto mense maturæ sunt, tum secantur tempe- *Exerc.* stiuæ, moluntur, premuntur ad succum, quod reliquum *164.* est, cannarum nimirum fracces, altilibus porcis exhibetur,

hoc

hoc mirandum in modum pingues fiunt, id adeò, vt tamen delicata caro compareτur, quæ nulli ſit inferior Gallinaceæ, & ægrotis detur in cibum (cum alioquin, ſubdit Scaliger) gens Hiſpanica vehementer abhorreat à Suilla, cuius cauſam, vel me ſilente, cordatus lector facilè coniectabit. lib. ij. Dioſcorides cap. de melle, eſt aliud (inquit) concreti mellis genus, quod Saccharum nominatur; In India verò, & fœlici Arabia in Arundinibus inuenitur, ſalis modò coactum eſt, dentibus vt ſal fragile, aluo idoneum, & ſtomacho vtile; ſi aqua dilutum bibatur vexatæ veſicæ, renibusque auxiliatur: illitum ea diſcutit, quæ tenebras oculorum pupillis offundunt; Porrò an iſtud Saccharum veterum, cum noſtrate per expreſſionem cannarum, & arundinum, & decoctionem parato vnum, & idem ſit magna inter ſuperioris ætatis Phyſicos interceſſit controuerſia Io. Manardo, & Fuchſio negantibus, & ſuper diuerſo arundinum genere ex cœleſti rore concreſcere profitentibus, quod Dioſcorides deſcribit; quemadmodum mel aërium mãna ſcilicet in quibuſdam Arborum frondibus per ſe concreſcit. At noſtræ ætatis Saccharum ex alijs arundinibus in aqua decoctis exprimi in Madera, Sicilia, Cypro, Creta, Rhodo Inſulis, atq; etiam in ipſo Ægypto: Hæc ſententia luculenter refellitur à Mattheolo præſtantiſſimo Phyſico, & ſuperioris æui Botanicorum Phęnice, cuius exquiſitum, & exactum iudicium hac in re cum Scaligeri cenſura doctiſſima conuenire oppidò quàm ſum lætatus. Nullo enim certo auctorũ teſtimonio ex rore cœleſti concreſcente probare poſſunt Manardus, & Fuchſius Saccharum Dioſcoridis fieri, nec Dioſcorides, & Galenus ſummi materiæ interpretes hoc ſiluiſſent: ſed in ijſdem arundinibus, ex quibus per artem noſtrum Saccharũ exprimitur, & excoquitur, veluti liquor, & lachryma aperto præ nimia ſucci copia in latere calamo reſudat, & tamque gummi exterius concreſcit; Hoc pacto reſinæ, & gummata omnia diſſecto, & diſciſſo ſui arboris cortice promanant: quod αὐτοψία ipſa, & occulta experimenta teſtantur.

Veriſſi-

Verissimæ huic Mattheoli,& Scaligeri sententia subscribit Ciuis noster Plinius lib. xij. Saccharum (inquit) & Arabia fert, sed laudatius India, est autem mel in arundinibus collectum gummium modò candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis auellanæ magnitudine: Strabo etiam non infimæ notæ Geographus lib. xv. in India Arundinem mel sine Apibus gignere disertè docet, non quod ex rore ibi concreto fiat, quemadmodum mannæ in Arborum frondibus, sed quod ex interiori cannarum medulla Saccharearũ gummi instar prodeat dissectis ijs, atque ibidem concrescat; ex ijsdem mox à natura edocti illarum regionum homines per expressionem paratum, vt igne concresceret, & addensaretur operam dederunt: Verum enimuerò, & duplici necessaria demostratione peruicacia illorum physicorum innouandi pruritu plus æquo fascinatorum conuincitur: quod enim ex rore concrescit, vt manna, à Solis radijs, vel leuiter tactum liquescit, & in auras dilabitur, & exoluitur, At gummi Sacchareum magis concrescit, & durescit à Sole perstrictum; quod mannæ in Apulia, & Calabria non euenit: Præterea veterum Saccharum, teste Dioscoride, Galeno, Plinio, durum est, salis modò coactum, dentibus fragile, candidum, quæ conditiones rebus è rore concrescentibus, vt Mannæ, conuenire non possunt, vt experiẽtia rationis dux satis declarat. Ex his conficitur Saccharum è rore concreto non gigni; Quod ergo sponte prodit ex arundine videtur deperijsse, nec ad nos amplius mitti, quoniam arte deuicta natura; sectę enim vniuersæ arundines nec permissum, vt pluris temporis interstitio succo vberiori turgeant; iterum quotannis satæ, quibus concisis, decoctis, & expressis copiosius Saccharum comparatum, ita compendij, & lucri certior, & vberior spes affulsit. Zucchara vocant Arabes; Indi proxima voce Iagara: Duæ spes (inquit Scaliger) altera è cannis, altera ex herba, tertiã addit ex arbore Indica Haoscer vocata à Serapione: est lactis pars tenuior calore concreta, quæ ex oculis, sedibusque foliorum exiens gummi modò condensatur: Arboris folia lata, fructum aiunt simil- Cap.1.

ſimillimum Camelorum teſticulis, quod exprimitur ex eo Cauſticum eſt; quod ſtillat ex quauis parte inciſæ Arboris pro Pſilothro præſtantiſſimo ad depilanda coria habetur: Ex cannis duobus habetur modis nam vel exprimitur, & decoquitur ad ſpiſſitudinem, & candorem, aut ſponte prodit, vt cæteræ arborum lachrymæ, ſicuti à Chamæleonte Maſtiche reſudat, hoc ſponte prodiens Saccharum eſt Dioſcoridis, Galeni, & Auicennæ, cuius prouentum à ſola natura olim expectabant, quod collectum cum ſuis arundinibus mittebat India: Addit Scaliger natura verò fieri etiã nunc legimus in Hiſtorijs, etenim ad Bathecalam Indiæ, vtrumque venit in Mercatibus; quamobrem inconſultiſſimè inducti ſunt ad arbitrandum Mannæ vulgaris modo ſuper arundinibus congelari Saccharum Dioſcoridæ: Sole namq; liqueſcit omne manna etiam Orientale, niſi præueniatur, at Zuccarum ſolideſcit: ſed & verba ſunt apud Senecam in Epiſtola LXXXV. aiunt (inquit) apud Indos inueniri Mel in arundinum folijs, quod aut ros illius cœli, aut ipſius arundinis humor dulcis, aut pinguior, hæc Scaliger, quibus corroboratam Mattheoli veriorem ſententiam intelligimus: Sed cur rorem cœli adiecit Seneca magnus Philoſophus? An fortaſſe quoniam Mannam aërium ſcilicet mel cum Saccharo comprehendere voluit; illa enim ex rore concreto, Saccharum ex dulci, & pingui ſucco reſudante procreatur, vt ſolidè oſtenſum arbitror: At Fuchſius noſtrum Saccharum ſitim excitare, non Galenicum tradit, ſed comparatio in Galeni oratione non ſententia abſoluta inuenitur, ait.n. lib. viij. ſimpl. med. ἔτε κακοςόμαχον ἐςὶν, ὡς τὸν παρ᾽ ἡμῖν, ἔτε διψῶδες, quaſi diceret non perinde eſſe, atque mel ſiticuloſum: præclarè Auicenna, in ipſo eſt virtus faciens ſitim, minorem tùm ſiti, quoniam facit mel: ſed critici Logodędali ſubſannare Auicennam, & Arabas rebus contemplandis, & ſcribendis addictos ſolent, cum ipſi præter verborum fucum, nulla ſeria doctrina ſint imbuti: Quocirca temeritatem illius comprimit Scaliger, qui in ſuis Prauidoxis nocere Saccharum dixit, vt oſtenderet non eſſe Dioſcoridæ, qui

εὐκοίλιον, καὶ εὐστόμαχον Saccharum eſſe docuit, hoc eſt bonam aluum facere, & ſtomacho vtile eſſe aqua dilutũ, & potum: cum experimenta certiſſima ſuum ſaginatorum è Sacchareis fraccibus eam opinionem conuellant: ſubdit mox Scaliger propria experimenta de Saccharo noſtrate cum maximus fuerit & Philoſophus, & Medicus (quicquid medicelli quidam ſordidioris lucelli auiditate, & ambitione corrupti de ipſo ſentiant) ſenum vitam (ait) bonumq; habitum proueximus ad annos vſque decrepitos, quos florentes, atq; virides peregerunt. Cæterum & Paulus Ægineta de hoc Saccharo Dioſcoridis meminit lib. ij. de linguę aſperitate agẽs cum ſcribit, καὶ ἅλς ὁ ἰνδικὸς χροῖα μὲν, καὶ συστάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλὶ, γεύσει δὲ μελιτώδεσι, hoc eſt Sal Indicus colore, & concretione communi Sali ſimilis, guſtu autem, & ſapore melleus: Artefacti Sacchari mentionem à Solino fieri nonnulli dictitant, cum in Indiæ paluſtribus ex Arundinis radice exprimi humorem ad mellis ſuauitatem ſcribit; ſed prudenter, & eruditè Mattheolus factitias innui Indorum potiones vini loco apud ipſos vſitatas docet, ſicuti ex Glycirrhizæ radicibus, & è dactylis dulces ad potandum elicimus ſuccos: Hinc Lucanum, & M. Varronem ſuæ ſententiæ teſtes laudat; illum cum ſcribit,

Quiq; bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos,

Hunc verò ijs præclaris carminibus, & elegantibus.

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

Quod Varronis teſtimonium ad Saccharum fuiſſe olim tranſlatum à Viris doctis, ſed rerum naturæ imperitis non me latet, & indè Sacchari conficiendi artificium ab ipſa, vſque vetuſtate magna ambitione repetitum, quaſi ipſi ſoli ſaperent, reliqui in maxima rerum antiquarum ignoratione verſarentur. Altera Zuccari ſpecies ex herba miro reſudat modo, ſubdit Scaliger: Tigala ei nomen eſt apud Arabas,

& Ægyptios; Erodi aiunt herbam à vermiculo quodam, vndè Zuccarum exturgeſcit, concreſcitq; in minutas grandines: Extinguit ſitim, pectori accommodum, tuſſim tollit; Herbam Aboali Alhuſar, alij vocāt Alhoſor propter varios pronunciandi modos, ſicuti hodiè in Germanijs: idem non herbæ ſuccum, ſed rorem putat, redditque rationem, quare non faciat ſitim, quia (inquit) parum dulce. hæc ille.



SALIS mentio ex Dioſcoride, & Paulo Æginetæ ſuperius facta reuocauit mihi in memoriam errorem effatu dignum Hieronymi Mercurialis Viri alioquin incomparabilis, cuius cum fuiſſet in varijs obſeruationibus à Marſilio Cagnato Viro Clariſſimo, & ciue Veronenſi admonitus, tamen palinodiam canere noluit ob magnum nomen, quod ſenex in litteris fuerat adeptus (erubeſcant enim ſenes ob innatam φιλαυτίαν à iunioribus quicquam diſcere) is ergò aduerſus doctrinam Ariſtotelis lib. iv. Meteorum docuit Salem reſolui oleo etiam calefacto: ſi aliquid aqueum oleo ſit permiſtum, per ſe ab aqua, ex accidenti ab oleo diſſoluitur: ſed Sal in oleo, ſiue calefacto, ſiue non ſolutus numquam, ſed integer ſemper reperitur, quod ſenſus teſtimonium docet contra Mercurialem; hoc etiam Columella docet lib. xij. ſcribens oleum
Cap. 50. congelatum cum amurca Sale reſolui, & ſeparari ab omni vitio, neque verendum eſſe ne ſalſum fiat, nam quantuncumque (inquit) adieceris Salis, nihilominùs ſaporem non recipit oleum, cuius cauſa ea eſt, quoniam Sal oleo non liqueſcit, alioquin ſaporem cum oleo communicaret, vt reſina: Fundamentum demonſtrans ſententiæ Ariſtotelicæ illud eſt, quoniam ſal, & nitrum à calido ſicco concreuerunt, ergo à frigido humido diſſolui debent, quæ qualitatibus illis coagulantibus contraria ſunt, at oleum calidum eſt, neque eius humiditas ſeparabilis eſt, ſed per lentorem compacta, vt optime in ſuo Cōmentario docet Alexander Aphro-

diſeus:

diſęus : quocirca etiam valdè deceptus Mercurialis, cum oſcitantiam Ariſtotelis vocat ſcribentis νίτρον δὲ καὶ ἅλες λυτὰ ὑγρῷ οὐ παντὶ, ἀλλὰ ψυχρῷ, nitrum ſcilicet & ſales non omni humido ſolui, ſed frigido, quod principijs iactis valdè erat conſentaneum ex natura rei; Alexander optimè: ab aqua, & à ſpeciebus aquæ hæc liqueſcunt, ſpecies verò aquæ ex Ariſtotele vinum, lotium, ſerum, acetum, quorum accidentarius calor non impedit ſalis diſſolutionem, vt patet olei verò natiua, & genuina caliditas impedit, vt dictum eſt: ſed ridiculam etiam rationem adiecit Mercurialis, quod fit, cum res ad reſtim redit, cur ſolo oleo ſal non diſſoluatur, putat enim hoc fieri, quod ſtatim fundum petit, ibiq; omni humore priuatus minimè liquari poſſit; hoc profectò eſt ſortiri digitis, quod loquamur, vt Critici faciunt ſolidioris doctrinæ imperiti, ſed intimius ſemper perſcrutanda Philoſophi mens, qui (teſte etiam Auerroe) nihil ſinè valida ratione docuit, quoniam ei ſemper prȩſto erant propoſitiones per ſe, de omni, & quatenus ipſum τὸ καθόλου θηρεύοντας, ait, ἀπόδειξιν ἔχομεν, vniuerſale venantes demonſtrationē habemus: quod ijs, qui in varijs lectionibus Ariſtotilem pro ingenij vanitate carpunt, velim eſſe propoſitum.

Lib. 4. Meteor.

In libri poſter. analyt.



ÆTERVM & Acaciæ Ægyptiæ Plantam, & fructum, & ſuccum legitimum noſter rerum naturalium Theſaurus ſeruat: In Ægypto naſci inſtar arboris, frutice ſpinoſo, nec ſe in rectum extollente, luculentus eſt Auctor Dioſcorides, qui, δενδρώδης, θαμνοειδής, οὐκ ὀρθοφυής Græcè habet, quaſi arboreſcentem, fruticoſum, nec in rectum creſcentem dixeris; ſic Marcellus, ſed acutius Ruellius frutice ſpinoſo (nā Thamnus ſpinas habet) florem habet candidum, & ſemen in ſolliculis lupino ſimile, ex quo ſuccus expreſſus ſiccatur in vmbra, niger ex maturo ſemine, ſubruffus ex viridi, eligitur modicè ruffus, & odoratus, aliqua folia cum ſemine exprimunt,

manat & gummi ex ea ſpina: vis ei ad ſpiſſandum, refrigerandumque efficax: hęc Dioſcorides, qui eius multas recenſet facultates medicinæ vtiles. Proſper Alpinus lib. de Plantis Ægypti cap. IV. Acaciam ſant ab Ægyptijs vocari tradit, in Ægypti locis à mari remotis naſci: copioſiſſimam prouenire in Montibus Synai propè rubrum mare poſitis, ad mori magnitudinem creſcere, ramos ſurſum latius expandere, quod arborem non in rectum ſe attollere Dioſcorides dixit, Caudicem Pruni thamni nimirum magnitudine habere, corticem nigrum, aſperum, multis acutiſſimis ſpinis munitum: Folia oblonga, parua minutiſſime inciſa tanaceti proxima, flores paruos, pallidos, ſubflauos, albos etiā rotundos, paruos lanæ floccos imitantes, Platani fructibus forma ſimiles longè tamen minores, nihil aliud florem videri, niſi mollem lanuginem paruum, rotundumque globulum efformantem, non ingrati eſſe odoris: Ex floribus ſiliquas lupinorum æmulas proferri imprimis virides, mox nigras apparere, ſemina in ſiliquarum folliculis contineri: folia, flores, & fructus multa guſtum acerbitate, & aſperitate ferire: Ex immaturis ſiliquis viridibus ſuccum exprimi, hunc coquere Ægyptios, vt indurent; ex folijs, & floribus imperfectis ſuccum etiam parari, verum alio bonitate longè inferiorem: Cayri Coriarios multam illius ſucci copiam ad denigrandas pelles abſumere: huius arboris marē, & fœminam reperiri, illum ſpinis horridiorem, fructus non edere, hanc ſpinis paucioribus, & mollioribus refertam ramos intrà non habere, ſed extrà: Arborem eſſe fœcundiſſimam, florereq; incipere Pleiadum ortu Nouembri ſcilicet menſe, & rurſum earundem occaſu menſe Martio: bis quotannis fructum ferre, & maturare, hanc veram eſſe veterum Acaciam, vel Spinam Ægyptiam appellatam, Kachiam etiam ab illis dictam, multos Pharmacopolas Orientalem Acaciam appellaſſe, vt ab illo ſucco diſtinguerent, quem ex ſylueſtribus prunis paratum pro vera Acacia ſubſtituunt: Damnandos eſſe eos, qui non ex Ægypto, vbi naſcitur, & quotidiè indè comportatur, petendam Acaciam, ſed

sed ex Græcia illius minimè feraci putant : quocircà & Mattheolum nostrum tantū virum,& de re herbaria optime meritum damnat Alpinus, quod ex Bizantio se Acaciam habuisse dixerit, & falsam eius imaginem pinxerit: Sed de Clarissimo Mattheolo me longè meliora augurari iuuat, nam & eam plantam ex Ægypto primùm delatam Bizantium, hinc mox habuisse Mattheolum verisimile fuit, præterea eam Plantam pro Acacia descripsit, & delineauit, quā sibi amici transmiserant, cuius veram iconem omnino præstare testis minimè oculatus non potuit: Profectò Vir omnium hac in plantarum vestigatione diligentissimus non debet culpam aliorum præstare semper verax, ni aliorum laboret fides. Iam verò & eos reprehendit Alpinus, qui verum Gummi acaciæ apud nos nō reperiri existimāt, quod forma vermiculari ex Dioscoridis præscripto non sit præditum: nec enim vno colore, nec vna figura gummata omnia acaciæ constare, sed vario, nam crassiore succo è cortice manante, non multum deorsum mouetur, sed statim excretus coalescit in gummi rotundius, si tenuior, & fluxilior exeat, oblongum gummi reddit; cumq; Ægyptus, ac Arabia prunis Cerasis, pomis, atq; alijs gummiferis arboribus careant, quicquid gummi vnde conuehitur Acaciæ arborū existere in confesso est. Multos deinceps in medicina vsus, atq; effectus Acaciæ enumerat Alpinus, nos duos potissimum selegimus. Vnum, quod nimirum quamuis sanguinis fluxionem per os, & per aluum strenuè sistit Acacia, quin & mulieribus immodico mensium profluuio pęnè emortuis incolumitatem ijs sistendis restituit; alterum quod podagricos, & articulorum omnium dolores auertit, non solum fomento ad arcendum humorem in Articulos defluxum, & decubitum, verum &si eius succi modicū sumatur per aliquot dies antè fluxionis tempus, vt interna vasa angustiora reddita humorum defluxui minùs pateant, quod optimum est pro curanda Arthritide præceptum: adderem ego & pro nephritide, laxitas enim vasorum, & viarum quantum valeat præter crassitiem succorum, & feruorem renum ad cal-

culos

culos gignendos, & alij Medici eruditi antè nos obseruarunt, quocirca & adstringentibus agendum esse ex Galeni etiam doctrina palàm litteris prodiderunt.



E CASSIÆ fistularis, vel Ægyptiæ siliquæ (sic ab eruditoribus Physicis nuncupatæ) folijs, & floribus aliquid scripturus, antè omnia admonere lectorem debeo à veteribus Medicis, & Herbarijs nihil de hacce planta litterarum monumentis mandatum: vt iam cum Hermolao desinere debeant Critici antiquarij nihil non cognitionis nostri sæculi, vt cum Scaligero loquar, ad antiquitatem referre: Præclarum, & verissimum est Scaligeri Elogium, quo Hermolaum tantum auctorem cohonestauit, cum Virum animo liberali, eruditione plena, incomparabilis doctrinæ, diuinæ probitatis appellat, cui quantum habendum gratiæ ob diligentiam, atque sedulitatem, tantum libertatis retinendum ad iudicandum ob veritatem, atque fatendum posteriorum etiam sæculorum acerrima cura, & diligentia multa comperta, & excogitata, quæ ad Dioscoridis, Galeni, & Hippocratis inuenta nullo pacto referri, nisi affectato quodam ostentandi ingenij pruritu possint: Cassiam ergo fistularem arborem docet esse Alpinus nuci, trunco, ramis, & folijs proximam, corticem, planum, mollem, ac cineritium obtinere qualis in crescenti nuce spectatur: Folia eius nucis folijs duplo longiora, & in extremo aculeata, ex qualibet Ala quinque huiusmodi folia ordinatim posita pendere conspiciuntur: flores fert aureos, copiosos leucoijs proximos, sed multo maiores florum anagytidis instar, ab alis prædictis pendentes, & deorsum vergentes, qui potissimum oriente Sole suauissimum odorem spirant; hinc Ægyptios per Cassiarum vireta, & viridaria odoris captandi causa deambulare solitos idem scribit: Flos quilibet media sui parte

multa

multa capillamenta tenuissima rosarum consimilia flosculis obtinet, quæ paulatim adaucta in crassiores postea mutantur fistulas, quæ iustam adeptæ magnitudinem duorum cubitorum æquant longitudinem. Florere incipit arbor mense Iunio, toto Iulio perseuerat Alexandriæ, & Cayri, Pelusij etiam Septembri florent Cassiæ: Virides colligunt Phaseolorum siliquis valdè similes, in aqua primum ebullias Saccharo condiunt, & in varias regiones asportant; quæ Pelusij leguntur corticem crassiorem habent, parum intùs medullæ; Cayrinæ, & Alexandrinæ cortice constant tenui, sed plus intùs substantiæ mollioris obtinent, quare istę etiã cæteris bonitate præcellunt: quæ sonum manibus, vel à ventis concussæ edunt præstantiores habentur, quæ enim nullum emittunt sonitum, prę nimio humore vitiata pulpa, id efficere creduntur, sonitus enim sicciora corpora consequi videtur inuicem collisa, siccitas porrò putredini aduersatur, quæ calore, & humiditate exuberante fouetur, quæ ratio satis apodictica peruicaces quosdam Physicorum permouere debuit ad veram hac de re sententiam amplectendam, & potissimum quia seniores erat, & cum Platone optandum illis fuerat, vt saltem in senecta bonæ illis opiniones contingerent. Cæterum cur recentibus Cassijs non vtantur Ægyptij, sed saltem post quartum mensem, cum recentes noxiæ videantur, non explicat Alpinus; Forsan id eueniat, quoniam recentes, flatuosæ, & superuacanea humiditate confertæ, quæ temporis progressu absumitur, quod & alijs rebus dulcibus contingere cernimus, vt vuis pensilibus, & alijs fructibus, qui repositi sicciores, & sapidiores reddũtur. Iam verò, & Christophorus Acosta de Cassia scribens idem cum Alpino sentire visus. Tradit verò grandi Amygdalo persimilem Cassiæ fistularis plantam adolescere; in Indijs Orientalibus, ac Occidentalibus comperiri: Malacæ, & Siami copiosam: ex Orientali illam meliorem, quæ ad Septentrionem vergit, & prę omnibus Cambaiæ genitam; Flores obtinere flauos, odoris non insuauis, quibus cadentibus subnasci cannam viriditate insigni præditam, qua

inue-

inuetereſcente virorem deinceps in nigredinem mutari: Gerardum Cremonenſem fefelliſſe Manardum, Leonicenũ, alios, quaſi Auicennas voluerit Corticis Cannę puluerem valere ad ducendos menſes, & educendum partum, à Sepulueda hoc defendi, & totum experientiæ attribui, cum hoc ligneæ Caſſiæ proprium ſit, quæ Canella vulgò appellatur, cuius duplum deficiente cinnamomo, capitur.

PVLPA Caſſiæ huius fiſtularis cum Saccharo candido, & Glycirrhiza ad renum, & veſicæ vitia pro arcano remedio vti ſolent Ægyptij, renum enim extinguit immodicum ardorem, humores noxios abſtergit, & per vrinam expellit, proindè ſe ſe à calculis immunes ſeruant. Cæterum & ipſe ad ſuppreſſum lotium prouocandum fœliciſſimè hac Pulpa vſus ſum cum ellaterio permixta: Siliquas verò Caſſiarum virides in aqua prius leuiter decoctas, mox in vmbra deſiccatas Saccharo, vel melle condiunt ad puerorum vſus, & delicatarum mulierum. Finem huic diſſertatiunculæ imponebam; verum incidi in Scholium Caroli Cluſij, quo caput de Caſſia ſoluente Acoſtæ illuſtrat, qui cum ſcribat folia eſſe Mali perſicæ ſimilia, nonnunquam anguſtiora, ait Cluſius hoc verum eſſe, ſi ſingularia ſepares, quoniam verò coniugatim bina ſemper in oblongo neruo naſcuntur, & ſumma ala poſtremum, imparem numerum faciens commodius meo iudicio comparaſſet cum fraxini folijs, aut ſimilium arborum, quæ alata folia ferre ſolitæ, & integra plerumq; abijcere conſueuerunt, quemadmodum Iuglans, Sorbus, Rhus Ceratia; hæc ille.



EMINI aliàs me legiſſe apud Ioſephum Quercetanum Conſiliarium, Medicumque Regium in Gallia in ſuo Peſtis Alexicaco: Caſſiam non ſinè magna animaduerſione eſſe exhibendam; primum enim cum dulcis ſit facillimè in temperamentis bolioſis in bilem mutatur, præterea ex facto per ignem experimento

aquam

aquam acerrimam fortiſſimam,& pungentiſſimam eductam, nec id reijciendum in vim igneam, & feruidam ab igne profectam, quoniam ex pulpa Melonum, Cucumerum, & cucurbitarum tum etiam pomorum aqua refrigerans ſolùm elicitur, contrà Caſſia erodentem, & corrodentem non ſecus, ac mel ipſum, ſuppeditet, cuius vi quæ metalla diſſoluunt conſtituantur; prætereà magnam aquæ, vel decoctionis copiam ad eam diſſoluendam eſſe neceſſariam, quo nomine potus fœculentior, & ſpiſſior, quivè nauſeam excitet, conflatur: in Bolo exhibitam ſtomachi, & ventriculi inflationem cum nauſea generare, vel ipſius Meſues iudicio viſceribus imbecillioribus, mollioribus, & laxioribus non parum noxiam: Hieronymum etiam Capiuaccium Doctorem,olim meum de me optime meritum teſtem laudat Quercetanus, quod in tractatu de Peſtilentia doceat Peſtis remedia adſtringentia, & corroborantia eſſe debere cum humiditas, & partium debilitas corpora ad contagium ſuſcipiendum procliuia reddat, quæ duo à Caſſia in ventriculis ingenerentur: Delecampium etiam Medicum percelebrem, qui Caſſiam cum Myrobolanis, Rhabarbaro, vel Manna permiſcendã cenſuit, cum corrigentibus ſcilicet & corroborantibus, ſine quibus Caſſia nunc faſtidium, & nauſeam mouet, nunc appetentiam hebetat, nunc Ventris profluuium permoleſtum inducit, vt ex Hiſtoria Cardinalis cuiuſdam intelligimus, cuius inteſtina lubrica prorſus, & debilia fuerunt: Ei cum imperitus Medicus Caſſiæ vnciam vnam dediſſet aluus ſic erupit, vt vnius diei ſpatio miſer quinquageſies deſederit, ac dyſenteriâ, & teneſmo tandem obierit. Hæc ex Delecampio Ioſephus Quercetanus.

Hîc igitur quæro, ſi interrogetur Hermolaus Barbarus Vir diuini ingenij ad quam nam veterum plantam ſiliqua ſoluens Ægyptia referri poſſit, reſpondebit, ſcio, ad ſiliquas lib. primi cap. CLX. quas recentes, ait Dioſcorides, ſto-

macho aduerſari,aluũ ſoluere, ſiccatas ſiſtere, ſtomachoq́ue vtiliores eſſe, vrinam ciere, ſed præcipuè, quæ vinaceis condiuntur ἐκ τῶν στεμφύλλων συντιθέμενα : M. Virgilius ex Longobardo codice, quæ ex folijs ſiliquæ componuntur vertit, vel quæ ex ſiliquarum corticibus conficiuntur,ita enim vertit στέμφυλλα : eum auctorem lege.

Verum age moralem aliquam admonitionem interponamus : Caſſiæ huius natura admoniti, cuius aquam acrem, & corrodentem igne elicimus, cum prima fronte medicamentum humectãs, & attemperans videatur, ſi verũ eſt, quod Quercetanus docuit : Ei profectò aſſimilari poſſunt quidam in communi vitæ conſuetudine, qui an Viri boni ſunt ſperare licet, iudicare periculoſum eſt, cuius rationem hanc reddit Cicero, non ſolus ſummus Orator, ſed & magnus morum Magiſter, Multis enim ſimulationum inuolucris tegitur, ac quaſi velis quibuſdam obtenditur vniuſcuiuſq́ue natura, frons, oculi, vultus perſæpè mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè, quare nobis à natura ferè inditam ſuſpicionem haud omninò vitioſam putauit Homerus Δύσζηλοι γάρ τέ οἱ μὲν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων, ſuſpicioſum enim ſumus ſuper terram genus hominum, quæ verba Alcinoo Vlyſſes reſpondet lib. VII. Odyſſææ: Suſpicionem porrò definiuit Ariſtoteles lib. ij. magn. moral. opinionem, qua inclinamur ad hoc, vt ſentiamus, hæc ita eſſe, & non eſſe, ita enim ſemper aliquid de aliquo iudicamus cum hæſitatione tamen ne res etiam aliter ſeſe habeat : Diuus Thomas, quo Doctore verè Angelico nil doctius nec ſua ætas habuit, nec noſtra, nec ventura habet, vel habitura eſt, Suſpicionem vitium eſſe exiſtimat docens eſſe opinionem mali cum ex leuibus iudicijs procedit: triplicem eius cauſam conſtituit malitiam, ac hominum improbitatem, cum quis malè affectus eſt erga alterum,& tertiam malorum experientiã, quocirca ſenes ſuſpicioſos Philoſophus vocat, quod diù vixerint, & à multis decepti fuerint, quos probos putabant ex ſe ipſis de alijs conic-

coniecturam facentes, quare de omnibus rebus ambigunt, & anatomen negotiorum moliri conantur, vt Cassiæ fecisse Quercetanus videtur: quoniam ergò malitiam cælare veteratorum proprium est, & trium Idolorum cultum Vtilitatis, Ambitionis, & Voluptatis, quibus tota vitæ communis ratio Sus, deq; miscetur, Suspicionem hanc laudabilem animo induere par est, longa rerum experientia subnixam, & ἀδιαφόρῳ in rebus ambiguis Aristotelis iudicio firmatam; vt & Diuum Thomam tantum Virum hanc suo calculo approbaturum non diffidam: Verum non tantum in personis, sed in rebus etiam, & negotijs simulatio existit, quod Demosthenes pulchrè docuit Olynth. iij. omnium facillimum est semetipsum decipere, quod enim quisq; vult, id etiam sibi fingit, sæpè autem natura rerum alia est; naturã, mentemq; simplicem, nec vllis simulationum inuolucris obtectam, & Persius optabat etiam in faciendis votis, cum cuiuis promptum non esse scribit aperto viuere voto, cum alia clarè, & vt audiat hospes, à Dijs precabantur, alia sibi introrsum, & sub lingua immurmurabant; idcircò Pythagoræorum symbolum probatur μετὰ φωνῆς εὔχου voce precare: simile est, ait pereruditus Persij interpres in publico viuere, & aperto hostio: Seneca præclarè Epistola XLIII. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros: Vix quemquam inuenies, qui possit aperto hostio viuere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit, sic viuimus, vt deprehendi sit subditò adspici: Marcus Imperator lib. iij. Assuefacere te debes ea solum cogitare de quibus si quis repentè te interroget. Quid nunc cogitas? liberè statim possis respondere hoc & illud; vt ex ijs continuò fuit manifestum omnia in te simplicia esse, & mitia, & animanti ad communionem nato conuenientia, qui omnia spernat ad voluptatem spectantia; addo ego proprium emolumentum, & ambitionem; & M. Tullius iij. de offic. grauiter præcepit in omni deliberatione celandi, atque occultandi spem, opinionemq; remouendam esse, vt tandem illud Senecæ re ipsa exprimamus, Sic viue cum hominibus, tamquam Deus vi-

deat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant. Cæterum isthæc aurea præcepta non sat est in eruditorum, consessu tantùm inculcare, quod ieiuni quidam, & ostentores critici faciunt, re ipsa sunt præstanda, vt simus lex spirans, & venerabile morum, & honestæ vitæ exemplar in corrupto sæculo cęteris præferamus.



ALABATRVM cum docuisset Dioscorides non esse Indici Nardi Folium, quod putasse quosdam quadam odoris cognatione deceptos, sui generis Folium esse, quod Indicæ gignunt Paludes Lentis palustris modò innatans aquis sinè radice ostendit, collectum sensim lino transui, & siccatum recondi, laudari recens cum nigredine quadam candicans integrum, nec fragile odore caput feriens, & reliqua, quæ diligenter persequitur Dioscorides. Verum Garzias ab
Cap.19. orta lib. primo Historiæ Aromatum: Folium Indum esse ait Mali medicæ Folio simile, angustius tamen per extremum colore viridi, tribus per longitudinem excurrentibus costis, qua nota facilè dignosci odoratum Cariophylla, quodammodo redolens, non tamen vehementis odoris, vt Nardus, vel Macis, nec tàm subtilis, aut acuti, vt Canella: Refellit etiam Dioscoridis sententiam de procreationis modo, cum scribat, Aquis non innatat hoc Folium Lentis pa-
Cap.11. lustris modo, vt scripsit Dioscorides libro primo, & hunc sequutus Plinius lib. xij. quibus impositum est in huius descriptione, sed nascitur in procera arbore procul ab Aquis, cum multis alijs locis, tum in Cambaia, & si ab aliquo Pharmacopola Tamalapatra petieris, statim te intelliget, quoniam Vernacula est eorum lingua; Non sunt verò Folia tàm validi odoris, atque Spica Nardi, sed suauioris, neque eo modò colliguntur, vt Dioscorides perhibet, sed collecta [in fasciculos colligantur], atque ita væneunt, dilutiore viridi colore nitent, non ex candido nigricant, &

præ-

præferuntur integra, quod facultas in iſtis meliùs conſeruari credatur. Odore nequaquam caput feriunt, vt reliqua odorata; Tum ſubdit Garzias Auctor eſt Plinius lib. XII. Arborem eſſe in Syria Folio conuoluto, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta, fertiliorem quidem eius eſſe Ægyptum, laudatius tamen ex India venire, in paludibus ibi gigni Lentis modò odoratius Croco, ſalis guſtu, minùs probari candidum, ſaporem eius Nardo ſimilem eſſe, & cuius odor in vino ſufferuefacti antecedat alios: Ex his videtur colligere Garzias à Plinio noſtrate deſignari Malabatrum, tametſi nec tàm validi odoris eſſe ſciat, vt Crocum, nec Nardi ſapore: quod verò eius odor alios antecedat, ea tempeſtate verum eſſe potuiſſe, cū ignota adhuc eſſent Benieui de Boninas, Ambarum, Moſchus, Agallochum aromata odoratiſſima: Auicenna & Arabes per omnia Græcos ſequuti. In hoc omnes conuenire, Vrinam ſcilicet ciere, oris halitum commendare, veſtes ab eroſione tueri, eaſdemq; cum Nardo vires ſortiri. Huius hiſtoriam cum Bethle confudiſſe Amatum Luſitanum, & Marcum Oddum Medicum Patauinum, idem eſſe Folium, & Bethle perperam in Theriacæ examine exiſtimaſſe profitetur Carolus Cluſius: Betre fructum putandum, ex Auicenna eſſe Tembul, à Iacobo Antonio Cortuſo ſibi tranſmiſſum, exiguum, glandis forma, quem cum Folio Indo vulgari ad nos interdum adferri, intellexerat; Hoc Folium à Betre differre Cluſius contendit, Arboribus enim ſeſe implicare, & circumuoluere Betre, eaſque volubilis modò ſcandere, cui non diſſimilia habet folia, præterea & diuerſis capitibus Folium, & Betre ab Auicenna deſcribi: Iam verò cum iſthæc ſcribat Garzias, & Cluſius Viri eruditi, & diligentes, & diuerſis notis Folium deſignent ab ijs, quibus ſuum deſcribit Dioſcorides: quis verè ambigat non idem eſſe Folium veterum, & recẽtiorum: vel folia in paludes decidua oſtenſa tantum Dioſcoridi: Vtcumq; ſit (nolo enim recentionum hac de re induſtriam in dubium vocare) ad Theriacæ confectionem à Garzia deſcriptum Malabatrum admittendum, quod & à

COLLEGIO Noſtro VERONENSI diplomate publico ſæpius comprobatum.



E BETRE quędam perſtrinximus, Differre à Malabatro contendit Garzia cap. xviij. naſcitur in omnibus Indię maritimis regionibus Luſitanis cognitis, in continenti non reperitur, niſi è maritimis allatum, neq; regionem frigidam amat, vt eſt Sina, nec Solibus nimis aduſtam, vt Moſambique, & Sofala: Seri vitis modo ſcribit idem Garzias, addi ſtipites, & pedamenta, per quę repens ſe ſuſtineat noſtratis Hederæ inſtar, ſcandere.n. volubilis modò Cluſius admonuit, cui & folia perſimilia habere, Garzia mali Medici Folio ſimile Foliũ eſſe oblongius tamen, & per extremũ arctius, venas, ſiue Coſtas, vt diximus, per longitudinem excurrentes habens, optimũ cenſeri benè maturum colore flaueſcente, corrũpi ſi recens à planta collectum diutius manibus tractetur: frigidam facultatem ipſi attribuit Auicenna: ſed eius exemplar fortaſſe deprauatum, calidum enim, & ſiccum in fine ſecundi ordinis ex ſapore amaro, & odore conijcitur, vt Galeni nos methodus ad veſtiganda medicamentorum temperamenta inſtruit; Id verò ſcitu curioſum, quod tradit Garzias: opulentiores aliquos adituri, hoc Betre maſticare pro more habent, vt odore os commendent; Summæ enim inciuilitatis apud eos eſſe anhelitum non habere odoratum; ſic tenuioris fortunæ hominem cum potentiore colloquentem manu ori appoſita loqui, ne teter aliquis odor nares feriat; Mulieres etiam Viris congreſſuræ Betre mandunt, antequam colloquantur, putantq; ad laxiuiam maximam eſſe illecebram: Quibus obierunt ſanguine iuncti, vel ieiunantes, eos ab eius vſu per aliquot dies abſtinere: cibo ſumpto mandi, Betre alioqui cibos nauſeam ciere aiunt.

SECA-



ECACVL à Mauritanis Medicis vocatum, quid reuera apud Græcos exiſteret, dubitarunt multi Viri eruditi: Menardus, cui multæ gratiæ habendæ, quia inter primos ſitu, & ſquallore obſitam rem herbariam illuſtrauit, Polygonatum Dioſcoridis eſſe putauit Fraſſinella ab Hetruſcis dictum, ab alijs Italiæ populis Ginochietto, quaſi Græcam vocem ad viuum exprimentibus; Ex huius radicibus docet præſtantiſſimus Mattheolus aquam ſtillatitiam confici, qua mulieres ad faciem detergendam, & poliendam pro fuco vtuntur: cæterum & huiuſmodi radices Saccharo conditę ad albas vteri fluxiones plurimum conferunt, ſi diutius ijs vtantur fœminæ eo morbo laborantes: Iam verò Manardi opinio iurè à ſolertiſſimo, & in plantarum explorandarum ſtudio vnicè perito Mattheolo refutatur, quoniam Secacul habet Piſi folia, quibus Polygonatum caret, præterea & flores purpuraſcentis violæ maiores, albicanteſque obtinet, radices pollicis craſſitudine, indicis longitudine ex Serapione; longiores Polygonatum eſt nactum; cinereo extrinſecùs colore, ſolida intùs matrice, & neruoſa eſt Secacul, quæ omnia in Polygonati radice deſiderantur: Eſt igitur Secacul radix Indica, vt Auicenna docet lib. v. Secacul ſunt radices Zingiberi ſimiles, quæ conuehuntur ex India, & fit ex eis cum ſunt recentes conditum in loco ſuo, apud nos autem humectantur in primis in aqua calida, quod etiam à Serapione traditum eſt: neque ijſdem pollent viribus Polygonatum enim ad vulnera, & maculas faciei delendas à Græcis probatur; Secacul verò ab Arabibus ad prolifici ſeminis vbertatem, & Venerem conciliandam: Hinc Manardi auctoritate deluſi multi (ait Mattheolus) qui Polygonati radices Saccharo conditas ad Venerem excitandam auidiſſimè deuorarunt, ſed irrito conatu, & ſucceſſu. Sæpenumerò dixi, atque iterum inculco nouatorum illum pruritum doctrinas veteres damnandi, & nouas obtrudendi, præterea & criticorum omnia ad præſcriptum Dioſcoridis, & no-

& noua ad vetera redigendi sæpissimè errores noxios peperit, cum dempta, vel remissa acrius, & diligentius exquirendi ratione ad sirenum scopulos adhęrescimus, vt factum est in his Polygonati radicibus pro Secacul vsurpatis: illaudato solo optime fruges enasci possunt, quare nec Arabum familia Medicorum despicienda, quæ proprias obseruationes, & curam in perscrutandis simplicibus medicamentis à Latinis, & Græcis ignoratis adhibuit: delicatulus ergo ille mentis appetitus rudes Mauritanorum voces, & sermonem despuendi omninò à serijs, & doctis Physicis abijciendus, nucleus, & medulla doctrinæ amplectenda, in quo studio quem parem faciam I.C. Scaligero vix reperio.



CALAMVS Aromaticus in India nascitur, ait Dioscorides: melior est fuluus, densè geniculatus, & qui assulosè frangitur, plena araneorum fistula, albicans, lentus in mandendo, & adstringens, ac cum aliquanta acrimonia amarus.

Hæc quidem Dioscorides: Sed statim maxima controuersia inter Auctores exorta, alijs Acorum veterum esse putantibus, alijs Galangam esse Acorum statuentibus, Manardus, atq; alij Viri docti legitimum Acorum esse existimantes refelli videntur à Garzia, quoniam tria distincta capita de Calamo, Acoro, & Galanga, Auctores potissimum Auicenna, & Serapion scripsere, qui Calamum describunt in sola India nasci profitentur, at Acorum nisi in Europa nasci tradunt; quare Indis Medicis fuisse ignotum Acorum, cum ipse à Nizamona vocatus, vt ab affectu tremoris eum liberaret, cum eius Medicis de Acoro est altercatus, quod esset Acorum nescientibus, nisi quod apud Turcas nasceretur: Præterea Calamus pallet, acer, calidus, & siccus secundo ordine: Acorum albet, amarum calidum, & siccum tertio ordine: Galanga vtroque calidior, & odoratior; Calamus, & Acorum cerebri, & neruorũ morbis conueniũt:

Galanga

Galanga ventriculum roborat, flatus discutit, oris halitum commendat, quocirca Clariss. Paternus Præceptor meus, qui summa cum laude Patauij Theoriticem Medicam olim profitebatur confectionem Diagalangam vocatam inter familiaria ventris remedia in primis habebat; non esse odoratum Calamum, nisi è terra auulsum, quantoque virentior est, tanto validioris, & tetrioris odoris videri, idem docet Garzias; Plutarchum Calamum Arabicum, Celsum Alexandrinum vocare, non quod extra Indiam etiam nascatur, verum quoniam ex India ad eas regiones conuehatur, seri per vniuersam Indiam, plurimum in Guzarate, & Belaguate: Goa in hortis satum prouenire, sed perpaucum: familiarem eius vsum mulieribus in vteri affectibus, & neruorũ doloribus: expeti Hyeme à Mulomedicis: contusum enim additis allijs, & ammi, quod est Cuminum rusticum, Salis momento, Butyro, & Saccharo, iumentis aduersus frigora manè exhibent id medicamentum vocari Aratam: quo vtimur, subdit Garzia, radix non est, sed Calami, cũ aliquantula interdum radicis parte fragmentum; hallucinari ergò, qui nihil nisi radicem esse putant, vt Acorum esse (licet falsò) ostendant: falli Manardum dum viij. lib. Epist. se vidisse in Pannonia recentem Calamum scribit, vt non longè petitus videretur, qm̃ ex India tm̃ affertur, fieri potuisse, vt satum in sporta, vel fictili viderit, vt plerumque satum Gingiber nascitur; neque quod in Calamo spongiosum est flauescente colore aliqua in re simile esse aranearum Telis, vt falsò Auicennas, & Serapion tradidere, quos Græcis, & Latinis melius hæc nosse oportebat, hæc nos pressiùs ex Garzia lib. primo de Aromatum historia: Cæterum Clusius in Annotationibus Garziã obscuritatis insimulat, Calamumque esse radicem, cum aliquantula interdum foliorũ particula, legitimum Acorum existere, eo Italos, Gallos, Germanos vti: spreto eo tetri, odoris, & saporis horridi, quem describere Garzias videtur, ob hanc enim causam apud nos in vsu esse desijsse: Mox quasi palinodiam canens, & se ipsum emendans, cum tertio recudenda esset illa Aroma- Cap. 32.

tum Hiſtoria ſcribit Cluſius, ſibi commodè innotuiſſe legitimum Calamum Aromaticum à Bernardo Paludano ex Syria, & Ægypto reduce communicatum, & ad Dioſcoridis deſcriptionem exactiſſimè quadrantem, cuius propterea Iconem ex fragmentis exprimi curauit. Vmbelliferam potius plantam, quam harundinaceam cenſendam, rectum enim habere Caulem, multis nodis, ſeu geniculis cinctum, læuem alioquin, intùs concauum, & membranula vti harundine præditum, qui aſſulosè, vt Dioſcorides ſcripſit, frangitur, ſatis eſſe odoratum, gratique ſaporis, amari tamen, & nonnullius adſtrictionis participem: Folia (vt ex veſtigijs colligere licet) bina ex aduerſo ſingulis geniculis ſitu Caulem amplecti videntur, radix ſummo capite nonnihil extuberat, deindè in fibras deſinit: ſimilis Calami fragmenta ab Antonio Collano ſibi miſſa mox teſtatur Cluſius, licet magis amari ſaporis, & nullius adſtrictionis, quibus in Theriacæ compoſitione fuerat vſus; Porrò huiuſmodi omnia iam deſcripta in hoc luculento rerum naturalium Theſauro aſſeruari, vnicuiq; ipſum perluſtranti conſpicuum eſſe poteſt.

In hoc deſcribendo Calamo ſequutus ſum recentiorum Auctorum teſtimonium, & auctoritatem, qui propter nauigationum commoditates in India, & Arabia verum Calamum videre, & ſuis notis explorare potuere, nam quæ à Matthe- olo Viro Clariſſimo, qui antè hos vixit memoriæ ſunt mandata per otium, & animi cauſa æquiſſimus Lector perlegat & Viri ingenium, & accuratum ſtudium plantarum perquirendarũ in ſui æui tenebris candidè ſaltem admiretur, & dilaudet. Hermolaus Barbarus libro primo Corollarij cap. xvij. de hoc Calamo agit, eruditionem affert, legitimum Calamum ob eaſdem ſui ęui tenebras referre omninò nõ potuit: ab Hippocrate ſcilicet Myrepſicon, ideſt Vnguentarium vocari, in Arabia naſci, communem eſſe Indiæ, atque Syriæ: tum ex Theophraſto docet, inter Libanum montem, aliumque ignobilem in conualli modica paluſtribus ſiccatis per Æſtatem tricenis ſtadijs iuncum & Calamum odoratos

gigni:

gigni: Sed præstantiorem odore Calamum statim è longinquo inuitare: Araneum eius (vt ait Plinius) in fistulæ florem appellari, magno Domitij errore in quadam Papirij Poëte Syluula non distinguentis harundinem Saccharum fundentem ab odorata: Calamo pretium in libras Denarij xj. reliqua probatio vt niger sit: paulò post: legi (inquit Barbarus) & in Męotide odoratum nasci Calamum radice subalbida, & sine fistulis plena intus, & amara, specie Acori, de quo & falsi quidam sunt, Acorum eam putantes: cætera perquire Lector apud Hermolaum.

Verumenimuerò in Musæo CALCEOLARIO præter prædictum Calamum, & Martinelli conspicitur Calamus, quem ex Malacha Indiæ Prouincia allatum scribit, Harundo est geniculata, nitida, paruum quæ digitum æquat, cuius color flauus est saturatior, odorata, parum lenta inter mandendum, quæuè subacris, & amara percipitur: ijs ferè viribus prædita censetur, quibus Calamus alter apud Dioscoridem, & Galenum donatur.



SATYRIONES amborum generum se comperisse testatur Mattheolus noster in Comment. suis Italicè conscriptis, opera, & sedulitate duorum peritissimorum Pharmacopæorum FRANCISCI scilicet CALCEOLARII Senioris Veronensis, & Cechini Martinelli Seplasiarij Venetijs ad insigne Angeli: à CALCEOLARIO primam Satyrij speciem habuisse, vt erat rerum singularium inuestigator acerrimus, à nonnullis Dioscoride teste Trifolium vocitatam, cuius Iconem subijcit ex viuo effictam, cui nulla deesset ex notis à Dioscoride positis: Martinellum verò ex Damasco Syriæ erithronium Satyrium misisse: cuius etiam figuram delineauit, vt qui testiculos canis esse Satyrium putant, tandem aliquando resipiscant: eos testiculos se vdisse in montibus vallis Ananiæ, atq; alibi

varias, ac diuersas species præter illam, quæ duas parit radices manibus humanis persimiles: vulgò palma CHRISTI vocatas, & ab Auicenna digiti citrini, hæc quidem ille in eo Commentario Italicè scripto, verùm cum in latinis duarum editionum Commentarijs, quos pro legitimis, & accuratè scriptis agnoscit Mattheolus, nulla Satyrij Calceolarij facta sit mentio: facilè subueritus sum eam primam Satyrij speciem existimasse, mox (diligentius re perspecta) Phallum Hollandicum, cuius sententiæ fuit Ludouicus Fumanellus nostri Collegij Medicus nobilitate, & virtute insignis (vt mihi olim rettulit, cum in sua peramena villula huiusmodi plantam offendisset, & alijs peritis rei herbariæ viris ostendisset, neq; enim affirmando huiusmodi plantas obtrudebat Calceolarius, sed summo, & peracri Mattheoli iudicio explorandas subijciebat, quoniam exoriens tunc huiusmodi studium barbarorum antea situ obsitum diligenti examine, & ἐποχῆς Arcesilæ suspensione nimirum assensus indigeret. Porrò de Satyrio Dioscorides scribit lib. iij. Tryphillum vocari ἐπειδὴ ὡς ἐπὶ τὴν γῆν φύλλα τρία φέρει κεκλασμένα, quoniam tria fert folia ad terram infracta, quasi quod illa terram spectet, & ad illam deuergant; sic benè transtulit Ruellius, quod non percipiens M. Virgilius textum verborum emendando corrupit ὡς ἐπὶ πολὺ legens, plerumq; scilicet illum foliorum numerum obseruari, quod arbitrarium est, & gratis dictum, rumici, ea, aut lilio similia minora tamen & rubra, Caulem cubitalem, nudum, obtinet florem lilij effigie candidum, radicem bulbosam, mali magnitudine, πυῤῥὸν, ruffam sic melius Marcellus, non fuluam (vt Ruellius vertit) intùs vt ouum candidum, gustanti dulcem, ori non ingratam, cum vino austero bibitam contra opisthotonum valere, & cum vtendi venere, vrget necessitas, valdè pollere vsurpatam docet, quod & de Satyrio erythronio hoc est rubente tradit: Semen scilicet illius ad Venerem stimulare non minus, quã Seincus (Cocodrilum terrestrẽ vocat Marcellus) radicem vel manu contentam ad libidinem excitare, eoq; magis si in vino bibaur.

CAR-



ARPESIVM porrò Galeni esse Arabum, & Mauritanorum cubebas Hermolaus Barbarus lib. IV. Corollarij memoriæ prodidit: hoc duorum generum esse Ponticum,& Laertium à montibus Pamphyliæ,vbi frequens est, ita dictum: Inueniri hoc & in Sida copiosum tradit, oppidum id esse Pamphyliæ. Naturam, & effectum ei reddere, quales ipsi Phu, gustumque similem, tenuioris hoc est, subtilioris substantiæ, propterea, & plus virium in eo esse purgandis, & exterendis intestinis, quæ sint occlusa, non tamen par virtute penetrandi Cassiæ, nedum Cinnamomo, etiam si Quinto (inquit Galenus) ita videbatur vrinam ciere,& renes calculis laborantes liberare, quo argumento (subdit Hermolaus) Mauri Syluestri Myrti Baccas Carpesium, & Cubebas esse putauerunt, præcipuè cum nec Carpesium Dioscorides,nec Galenus Myrtum Syluestrem vmquam nominent, affert postea rationes apodecticas Hermolaus, quibus ostendat Cubebas non esse syluestris Myrti Baccas, odoratum semen Carpesium est, hoc est Cubebæ: Fętent syluestris Myrti Baccæ, dum recentes sunt: ossea in ijs duritia: in Carpesio nihil Tale: superuacuum verò existimat in re confessa quidem, sed à nobis primum comperta, longiorem moram ducere: Illud in transcursu dixerim Carpesium, si ore contineatur, claram vocem facere pronuntiantibus, subdit Vir Clarissimus,ob id Bernardus Iustinianus homo imprimis doctus, & eloquens, nũquam sine hoc semine concionabatur, sed & illam dotem prædicant, maiorem in coitu voluptatẽ sentiri ab ijs, qui habeant id in ore, quasi non satis sit in ea titillatione mens commota, nisi doceamur, quemadmodum nos Venus adminiculatior, & violentior transuersos auferat: Galenus lib. vij. de simpl. medic. facult. eadem ferè habet, quæ in suum doctissimum Corollarium transtulit Hermolaus, Carpesium scilicet simile esse vocato Phu, hoc est Valerianæ, non gustu tantum, sed & facultate, sed plus habere tenuitatis, proindè magis eo etiam Viscerum obstru-

obstructiones extergere, & lotium mouere, renesque calculis degrauatos expurgare, non tamen eatenùs tenuium esse partium, vt loco Cinnamomi (si non sit ad manum) liceat vsurpare, sicuti faciebat Quintus: Præstantius esse Ponticum Carpesium Laertio, non tamen vel ipsum esse Cinnamomi viribus vicinum, immò non paruo deterius optima Cassia, nuncupari vtrumq; à montibus quibusdam Pamphyliæ, in quibus nascitur: ingensque eius prouentum esse in Syria. hæc ex Galeno auctore locupletissimo. Cæterum Garzias Hortus non esse Carpesium Cubebas ex eo euincit, quoniam Cubebas ex India petant Turcæ, & Syri, magnoq; redimant, cum non conuecto vti possint, & sine magno sumptu, quale est Ponticum Carpesium, quodue plurimum in Syria nasci tradunt: huic argumento probabiliter responderem efficacius esse Indicum Carpesium, idcircò spreto antè oculos posito illud exquiri. Alterum argumentum efficacius: Carpesium ex lib. primo de Antidotis describi à Galeno festucarum tenuium modo, at festucis dissimiles esse Cubebas omnes vident. Matthęus Syluaticus ex Serapionis, atque Arabum auctoritate Cubebas etiam Dioscoridis Myrtum syluestrem, vel ruscum putauit, sed falsò; decipi enim verè putat Garzias Mauritanos, cum easdem facultates in libris Græcorum repertas Indicis medicamentis accommodare student, & eadem nomenclatura donare: Planta Cubebarum (vt idem docet) Malo vulgari minor est, folijs piperis, sed angustioribus per arbores Hederæ, aut, vt verius dicam, Piperis modò repens, non Myrti effigie, nec folijs Myrti similibus: Fructus racematim cohæret, non quidem vt in vua coniunctim, sed singulis granis ex suis pediculis dependentibus: Flos est odoratus, magnus earum in vino maceratarum vsus ad excitandam Venerem; Tanta in existimatione est hic fructus etiam vbi nascitur, vt eum incolæ decoquant, antequam efferri sinant, metuentes ne alibi satus enascatur, quod à Lusitanis fide dignis se accepisse Garzias profitetur, qui longo tempore in Insula Iaoa habitauerunt, quibus & Carolus Clusius assentiri vide-

videtur : Obſeruat etiã doctiſſimus Mattheolus Carpeſium Galeno eſſe Λεπτὰ τὰ κάρφη παρατιλήσια τοῖς ἀκρέμοσι τȣ̃ κιναμώμȣ tenuia ſcilicet ſarmẽta Cinnamomi Virgultis ſimilia : quare potius eſſe radicum Sarmenta Galeno Carpeſium cum Phu ſapore, & facultate aſſimiletur: diutius etiam aſſeruetur, & perduret, quod ſolidiorum radicum proprium eſſe videtur.



ACORVM, de quo mirificas controuerſias Botanici recentiores excitarunt, aliqui enim Calamum odoratum eſſe volunt, negant alij, vt Garzias, quoniam diuerſis capitibus Auctores de ijs agunt, præterea Calamus in India tantùm naſcitur, Acorum duntaxat in Europa : Acorum igitur folia iridis habet anguſtiora tamen, radices, non diſſimiles, complicatas non in rectum, ſed obliquum tendentes, & ſummo ceſpite ſparſas geniculis interceptas, albicantes, guſtu acres, odore non ingratas, optimum eſt denſum, candidum, plenum, non exeſum, odoratum : Vires ferè eaſdem præcisè obtinet cum Calamo, propterea Calamum eſſe putarunt non infimæ claſſis Phyſici, & Herbarij, ſed (teſte Garzia) Calamus pallet, acris eſt, calidus, & ſiccus in ſecundo ordine: Acorum albet, amarum, calidum, & ſiccum tertio ordine. Idcircò Acori loco Calamum ſubſtituendum docet, ſed maiori quantitate, quod non adeò calefaciat, & deſiccet ſicuti Acorum: Plinius radices nigras, & minùs venoſas ei reddidit, teſte Hermolao, qui fatetur ſe intùs rubentem vidiſſe, foris colore inter nigrum, & candidum: raram inuentu falsò tradit Apuleius, nec niſi cum florem emiſerit cognobilem locis cultis, & hortis, pratisque naſcentem, legendam Auguſto menſe : Piperapium vocari idem auctor docet, quoniam apes ſuſpenſa in earum vaſis herba numquam diffingere obſeruatam ſit: Acoro flores aureos, Croceosque atri-

tribuunt, ſemen ſpiſſum, atque gliſcens, non ſine odoris gratia: Haberi ferunt in Chio, Helleſpontoque, & Euxino mari radicem Acori ſubrubentem venis intrinſecùs neruoſis prætenuibus, & candidis; eaque indigenas Iridis loco vti: Hanc ergò fortè vidit Barbarus, & nos in Muſæo repoſitam conſpicere, & explorare ſine controuerſia poſſumus. Sed non ſunt hîc prætermittendi admirabiles Scaligeri ſubtilitatum Theſauri, ita enim & de Acoro multa non aſpernanda intelligemus, & quo pacto calida, & odorata in frigidis proueniant locis nobis conſtabit. Dixerat Cardanus: Rubus mora ferens, & Filix nonniſi frigidis inueniuntur regionibus; obijcit doctiſſimus Scaliger Calabriam, & Siciliam vtriusque plena eſſe: in Syria quoque, & Aphrica tàm rubum, quàm filicem eſſe: Triticum non tantum in temperata, ſed in æſtuoſa regione naſci: ſic aromata in calida, & frigida. In Iaua enim inſula plurimum Tritici: In ea Indiæ parte quæ affinis eſt Temeſtitam ſegetis in herba, & ſtipula plurimum, Spicæ etiam ſpem certam futuram, ſi per Soli nimiam liceat vliginem: in Angliæ parte vltima, quam Scotiam vocant, adeò probum oriri Triticum, vt cum eo pane nullus præterea tota ex Europa comparari mereatur. Iridem, & Acorum inter aromata numeranda eſſe docere odorem, nec reclamare Theophraſtum, illum in Illyrio optimum, non in Aphrica: Acorus ad Tanaim: eam namque radicem, quam falsò vocant Calamum Aromaticum Acorum eſſe: Air incolas vocare: alios Boſtuorce, Lituanos Tartaricam herbam, ſua lingua Tattarſchizeli, quia Tartarum tractus is eſt, qui ad Tauricam pertinet Cherſoneſum: Turcas etiamnum vocare Aſarum: Calamum autem Aromaticum in Aſianis, & Ægyptijs apohecis vulgò venalem eſſe ea facie, quam delineat Dioſcorides; in Ægypto frigidiſſima naſci, argumento eſſe Oppium; In India Cacao, ſubdebat Cardanus, ſemina calida in frigidis non poſſe perfici, quia Aeris auxilio opus habet natura; calidas verò radices poſſe:

Obijcit

Obijcit Scaliger Cyperum,& Acorum Ponticũ nullis commentis ſub aquis à natura perfici, ſæuas eſſe Hyemes in frigidis locis, Æſtiuos Soles imbecillos, ſubtus terram verò aquas eſſe calidas hyberno tempore, numquam tamẽ aquas ad Mæotidem, ſub terra ad eam venire caliditatem, quæ ſat ſit coquendo Air, hoc eſt Acoro: Hæc ex his Clariſſimis Auctoribus attulimus, vt intelligeremus, quo res teſtimonio recentiori nituntur, eò eſſe veritati propiores, multaq; à Pharmacopęis Patrum noſtrorum diffidentia, & imperitia deceptis palàm non admitti, quæ tamen propter Luſitanorum nauigationes Indicas paſſim communicata, & vulgata cernimus, nam profectò & Balſami arbuſculum funditùs interijſſe, atque hoc pacto ſpeciem deſijſſe pronunciabant, vuamque Amomi fuiſſe in vſu negabant, ſed tantùm lignum, ſed præſtabat rationibus vltro citroque ritè penſitatis: & Cluſij, Garziæ, Bellonij, Scaligeri auctoritate ſubnixos exiſtimare nos poſſe oculis cernere, & manibus contrectare, quæ à veteribus fando ſolum, & audiendo percipiebantur. Nemo ſapiens, aiebat ille, mutationem conſilij inconſtantiam putauit: deſinant igitur inuentis frugibus glande vſcit, aut vllis ſuccedaneis aut ἀντιβαλλομένοις Theriacã, & alias huiuſmodi magnas compoſitiones conficere.

XYLOBALSAMVM, quod in CALCEOLARIO Theſauro aſſeruatur notas eas obtinet ad vnguem, quas recenſet Dioſcorides lib. primo, cum probari recens ait tenue, fuluũ, odoratũ, quadantenùs Opobalſamum ſpirans: cum verò comperiatur Balſami ſuccus, qui Opobalſamum dicitur; Carpobalſamum, quod eſt Balſami ſemen, & lignum Balſami, de quo in præſentia agimus, prudenter Dioſcorides monuit præcipuam auctoritatem eſſe ſucco, ſecundam ſemini, minimam ligno: hoc ex aqua potum cruditatibus, torminoſis, vulſis, venenatorũ ictibus opitulatur, vrinam cit: Ad capitis vulnera cum ſicca Iri conuenit,

ſquammas oſſium extrahit, & ad vnguentorum ſpiſſamenta additur: Ruellium prætermiſiſſe vocem ἑφεψηθὲν miror, quæ neceſſaria eſt, vt intelligamus prius decoquendum Xylobalſamum aqua, mox potandum.

Vſque ad præſtantiſſimi Mattheoli tempeſtatem creditum videtur, quod Xylobalſami loco in officinis habetur, Myrtum potius referre, quã Balſamum, quod fortaſſe verum fuit, cũ poſtmodum diligentia recentiorum, & nauigantium induſtria horum medicamentorũ prouentus in Italiam inuectus: eius vice Leucoij radicem à Galeno ſubſtitui docet Mattheolus, ſicuti Myrrhę Stacte, vel oleum Irinum pro Balſami ſucco. Vir admirabilis ingenij Hermolaus lib. primo Corollarij, admonendi ſumus (inquit) Dioſcoridem in huius mentionis Calce dicere Xylobalſamum decoctum cum Iride ſicca mederi capitis vulneribus ἀνάγειδε καὶ λεπίδας nos ſquammas detrahere conuertimus, vt vel porriginem intelligas: hæc Barbarus doctè, legerat enim apud Celſum porriginem fieri, vbi inter Pilos, quaſi ſquãmulæ à cute reſoluuntur modò ſine vlcere, modò exulcerato, loco λεπὶς etiam eſt ſquãma fractorum oſſium; caruncuIam etiam inter viuam, & emortuam oſſis aduſti partem ſubeuntem, quod abſceſſit, expleturam (eodem Cornelio Celſo teſte, λεπίδα à Græcis appellari idem teſtatur Hermolaus.



DE CASIA Dioſcoridis caput expoſiturus doctiſſimus Marcellus eruditè, & eleganter monet, aliquas plantas adeò eſſe natura noſtro Orbi implacabiles, vt nullis blanditijs, aut obſequijs retineri ſe apud nos patiantur, non ſecùs quã Alpini homines delitias Vrbium, & maieſtatem faſtidientes, cum primum remiſſa tantiſper eorum cuſtodia, & cura, in genuinum, & natale ſibi ſolum reuertuntur, tantus Patriæ, & natalium ſuorum omnibus amor eſt, nam & Vlyſſes fumum ſe malle è caminis Itachæ emergentem videre, & deinceps mori profeſſus

fessus est, ita enim Minerua apud Homerum Iouem ὕπατον κρειόντων summum scilicet regnantum alloquitur ἀύταρ ὀδυσσεὺς ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται : Ex harum igitur censu Plantarum erit Græcorum Casia, quæ nulla cura, & diligentia sub cœlo Italico aut Septentrionali excoli, aut perennere valuit. Iuxta enim odoriferam Arabiam nascitur, teste Dioscoride, crassi corticis Sarmento, folijs Piperis: eligenda fuluescens, pulchri coloris, Corallij æmula, perquā angusta, longa, crassa, fistulosa, gustu mordens, cum aliquanto feruore adstringens, aromatica, vinoso odore, huic tamen præferri docet crassam, purpuream, & nigricantem, quæ rosam odore imitatur: Ex hac fortè oleo permista, vnguenta apud veteres factitata crediderim, quæ summus Poëtarum Virgilius innuit, cum ait,

Nec Casia liquidi corrumpitur vsus Oliui,

Delitias enim à rusticorum abdicans vita, haud corrumpi ab ijs legitimum olei vsum aromatum permistione significat. Antiqui eius loci expositores tradunt olei generalem esse vsum, quod cum in vnguentum fuerit corruptum, vni rei tantum esse aptum incipit: at cum aiunt Casiam herbam esse, qua fit vnguentum ieiunè satis, & imperitè rem transigunt: sicuti & à recentoribus Dioscorides consulendus fuerat, qui fistularem, & soluentem Casiam, de qua supra egimus, à Virgilio intelligi putarunt. Est & alia Poëtarū Casia, quam Cneorum nigrum aliqui esse censent, de qua Virgilius,

Tum Casia, atq; alijs intexens suauibus herbis
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

& alibi

Nam ieiuna quidem cliuosi glarea ruris
Vix humiles apibus Casias, roremq; ministrat.

De hac & Hermolaus meminit lib. IV. Corollarij, cum ait, Nostri hanc scilicet Chamęlæam, & Thymelæam præcipuè Casiam videntur appellasse; Theophrastus Cneorum, Higino id apud nos Casiam interpretante, cuius duo genera

ferantur, candidæ,cui folium cutis modo quadantenùs Oleagineum, nigræ, carnosum Tamarici similius, siuè vt in Theophrasto quidam (quos probo) legunt, Myrto: Candida magis humi se spargit, & odorata est, nigra sine odore: Radix ambabus alta, prægrandis, rami copiosi, crassi, surculosi ab terra protinùs, aut paulò supra emicant admodum lenti, vt quibus ad vinciendum pro iunco vtuntur venere in coronamenta folio. Post Æquinoctium Autumni germinant, atque florem mittunt, qui diutinus eis est, hæc tota de Cneoro, siue Casia Theophrasti sententia est. Hæc Barbarus, quæ eo consilio attuli, vt Casiam Virgilij, quæ herba est humilis apibus apta, & familiaris à Casia lignea, & aromatica distingueremus. Ad quam reuertens libenter ex Theophrasto adnotarim. Eam fruticem esse magnitudine Salicis Amerinæ, sed multis, surculosisq; brachiatam ramis, crassiore, quam Cinnamomum Sarmento, præterea neruosissimam, & solo cortice cõmendabilem, qui ei cutis tenuitate obducitur, neque aliter detrahitur, quã si præsutas corio bubulo virgulas bicubitas enati vermes eroserint cortice tuto, intactoq; propter amaritudinem, odorisque acrimoniam futuro, quãuis Dioscorides crassum ei corticem adscribat, Plinius, & Theophrastus, tenuem potiùs cutem. Fabulas esse Hermolaus tradit, Casiam, Cinnamomumque nidis Auium decuti plumbatis sagittis, aut circa paludes quasdam colligi propugnante diro Serpentũ genere, vt Theophrastus ait, Vespertilionumque, vt alij: quoddam genus Casiæ hircinum virus redolere, Τραγίζουσαν, proindè damnari transtulerunt Barbarus, & Ruellius: alij Mauritanos porri odorẽ vertisse animaduertentes Πρασίζουσαν legerunt vtra lectio sit verior experti iudicent, ait Hermolaus; qui capite illo de Casia lib. primo Corollarij se inuenisse apud Græcos authorem tradit, qui Paulum, & Oribasium de Casia Syringa loquentes induxerit, quod scilicet aduersus flauam bilem prosit, præter naturam pallescentes, angina affectos, & peripneumonicos iuuet, & Oribasius eadixerit refrigerari colores iocinoris intemperatos; ex his

intel-

intelligimus Cassiam fistularem Ægyptiam, & Cathatarticem superius à nobis descriptam cognitam fuisse vetustioribus post Galenum Græcis Medicis, calidam, & humidam abscessu primo, cum Aromatica, & lignea excalefaciat, & siccet abscessu ferè tertio: hoc adscripsi ob summam Hermolai auctoritatem, & quia apud alios auctores hoc reperire vix quispiam possit. Cæterum Cassia Aromatica menses trahit ex Dioscoride, lentigines tollit, cum melle illita: Fœminis prodest εἰς ἐγκαθίσματα τε καὶ ὑποθυμιάματα: eius scilicet decocto desidentibus, vel per suffimentum excipientibus (ita enim verterim) ad dilatationẽ matricis, vel ad laxandos muliebres locos (vt Marcellus vertit) Grȩcè Πρὸς ἀνευρισμὸν μήτρας. Duplo pondere medicamentis mixta in cinnamomi defectu, idem præstat, ἄγαν δὲ ἐστὶ πολύχρηστος, ad plurima scilicet perquam vtilis, vel multiplicis vsus, quod remediũ polycreste à nonnullis etiam Medicis appellatur.


Erum enimuerò vt ex prȩscripto Socratis apud Xenophontem meliores aliqua ex parte ex hac stirpium lectione discedant Lectores, illud accuratè perpendendum existimo. Quemadmodum Plantarum perfectio ex proprij loci natura retinenda qua conseruantur, soli cȩlique ratione habita, & virium suarum explicatione, & diffusione potissimum dignoscitur, quævè stirpes à sua genuina natura, & proprijs notis obsignata à Dioscoride degenerant eas damnari docet, vnde & Pseudocasiam vocauit, quæ minimè odorata est, sed hirci, vel porri virus redolet, ita homines vitiosos, & prauis scelerum, & libidinis habitibus deformatos à sua natura plurimum deflectere, quæ ita comparata est, vt appetitionum motus sub rationis gyro compescantur, ratio porrò humana legi diuinæ subdita sit, vt morbi illi animorum gemini euellantur vitium, & ignorantia, virtutum, & doctrinæ saluberrimis antidotis, quod ex Platone acceptum vberius explicarunt

tum

tùm gentiles Philoſophi, tùm Sacræ paginæ interpretes, meliori lumine illuſtrati, quorſum enim ſcriptũ, impios eſſe corruptionis ſeruos, à quo enim quis ſuperatus eſt, eius, & ſeruum addictum eſſe? peccatorum ſuorum vinculis vnumquemque conſtringi, nec liberum dici poſſe, qui vincentibus, & vincientibus cupiditatibus ſit ſubiectus? Hinc Prophetarum vaticinia Euangelicis litteris conſentanea eam Chriſtianis libertatē pollicentur, quæ in ſyncera in Deum, & omnes homines charitate poſita eſt: vt veriſſimè, & ſapientiſſimè Diuus Auguſtinus pronunciarit, tum demum verè liberum eſſe voluntatis arbitrium, cum vitijs, peccatiſque non ſeruit, ſolum peccatum miſerrimam inducere ſeruitutem, vt bonus quiſq; etiamſi tyrannide opprimatur, verè ſit liber, malus autem, etiamſi regnet, ſeruitute prematur, non vnius hominis, ſed quod grauius eſt, tot dominorum, quot vitiorum; proindè Achabum regio ſceptro licet inſignem venundatum tamen, ac peccati ſeruum fuiſſe, qui ſordido Idololatriæ cultui crudelitati, iniuſtitiæ ſe totũ ſpontè addixerat: Ex his grauiſſimi Theologi calculum adijciunt ſententiæ illi peruulgatæ apud Stoicos, Solum Sapientem eſſe liberum, qui nihil velit, niſi quod rectum eſt, & iuſtum, & nullos patiatur Dominos, quos timeat; quod ritè expreſſum ab Horatio.

Lib. de Ciuitate Dei.

Quiſnam (inquit) liber? Sapiens ſibi qui imperioſus,
Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis.
Duramq; callet Pauperiem pati,
Peiusq; letho flagitium timet.

Verum & Dion Chryſoſtomus orat. vltima gentium ſtoliditatem irridet bello aſſiduo certantium, vt ſe in libertatē vindicent, cum ſub vitiorum iugo duriſſima ſeruitute premantur: Vos, ait admiror, miſereorque ob difficilem, atque iniquam ſeruitutē, qua à vobiſmetipſis copulati detinemini: non vno ſolũ vinculo, neq; duobus, ſed ſexcentis circundati;

Tum

Tum memorat Dion primam dominam Voluptatem, quæ Sardonium quiddam ſubridens occurrat vincula florida, & mollia ſecum afferens, mox crudelem dominam Auaritiam, poſtremò, quę ſuauiſſimo dominatu corda mortalium vaſtat Libidinem dominandi; quæ tria ſunt Idola res omnes perturbantia, & ſæpiùs à nobis exagitata: Aduersùs hæc Plato, Ariſtoteles, Seneca tres vitæ benè inſtituendæ admirabiles Magiſtri præclaris præceptis nos armarunt, atq; adeò animarunt, ſed geminum hominum genus legitimæ huic pugnæ, atque inſtitutioni viſi mihi ſunt ſemper repugnare; Hiſtriones nempè quidam ſubdoli in hac vitę ſcęna (ſiquidem vniuerſus mundus videtur in pręſentia hiſtrioniā exercere) Hypocritas vocarunt pietatis Chriſtianæ aſſertores. Præterea Critici quidam φίλαυτοι, & ſibi nimio plus placentes, qui viuunt, ſcribunt, & loquuntur perindè, ac in veteri Republ. Romana M. Varronis, aut Ciceronis ſectatores forent; iſti tres illos ſapientum Proceres eò tantum legunt, & citant, vt ingenium oſtentent, & orationem phaleris inſtructam obtrudant: & ſe pro magnis litteratis apud vulgus ignarum, & admirabundum venditent; verum paucis opus eſt ad bonam mentem; hęc ſtudendi methodus doctum efficiet, non probum: hoc pacto inſtar Penelopes procorum hæremus in Ancillarum amore, hoc eſt in exucca antiquitatis notitia, & imitatione, non penetramus ad Penelopem, hoc eſt virtutem, & ſapientiam, quæ omnibus doctis, & veris Criticis, qui ſunt ſol, & ſal litterarum debent eſſe propoſita, vt ſæpè inculcat doctiſſimus Lipſius, cuius etiam illa aurea præcepta: Sicuti rota, quæ in terra voluitur, parte ima, ac minima eam tangit, cætera extat, & eſt in alto, ſic nos oportet decurrere per hæc humilia optima, & maxima parte altos, & ſubleuatos: Explorent ſeſe Critici, & Hypocritæ ſentient ſibi ineſſe diuinum quiddam, ingeniumque ſuum, ſicuti ſimulachrum aliquod dedicatum putabunt, vt ait Cicero, quare infinitis partibus maiorem curam nobis eſſe ponendam in exquirendis rationis humanæ perfectionibus, ne tamquam Pſeudocaſia degeneremus, quæ

eis

eis commoditatibus,quæ ad corpus & præſentis vitæ ſtatum pertinent: Sed Hypocritæ Auaritia, & Ambitione turgentes ſat habent, ſi vitæ integritatem, & rationis perfectionẽ in primæ Dominæ Voluptatis corporeæ carentia poſitam perſuadeant; Critici voculas conſectantur, & locos pugnãtes conciliant: Hiſce normam ſtudendi præſcripſit Lipſius, ſicut limites in agris confundi non ſinunt, & miſceri, ſic ſalutaria illa ſapientum monita & lectio coërcent, & animũ, nec diffundi ad vana illa ſinunt, nec miſceri: quod egregia ſimilitudine comprobatum à Plutarcho, qua ſtatuit efferatos animorum motus Sapientiæ præceptis, & ſententijs audiendis, & ruminandis ſic compeſci, ac manſuefieri, vt truculentos canes, qui ad agnitæ vocis agnitionem rabioſos ponunt latratus: Verum id adijciendum optimam educationem puerorum, vt in viros vndiq; perfectos euadant, Baſim certiorem, & ſolidiorem eſſe hiſce præceptis, quæ adultos inſtruent, educatione virtutum habitus comparantur: Habitus per virtutum ſingularum actiones adoleſcentibus inſinuandas fiunt. Id verò Ariſtotelis in fine ethicorum tenendum, & Legislatoribus,Principibusq́ue inculcandum, numquam fore ſcilicet Ciues, & Ciuitates vera virtute fęlices, niſi lege ſanciatur educatio,quam apud Sinas vigere aiunt, atq́ue etiam alibi vſu, & conſuetudine inualuiſſe: Hæc igitur ſedulò agenda,non ad inanem doctrinæ, & ingenij nundinationem in vulgus efferenda, vt otioſæ Criticorum, vel Aulicorum mentes nouitate delinitæ detineantur: Illud Ennij valdè mihi probatur ea libertas eſt, qui pectus purum, & firmum geſtitat, Aliæ res obnoxiæ nocte in obſcura latent: quaſi virtutum ſtudium magis proprium ſit hominis, vt acutiores etiã Peripatetici contendunt, non anxia illa cauſarum rerum naturalium inueſtigatio, quam occupationem peſſimam Hebræus ſapiens nuncupauit.

Hoc pacto per morales virtutes præclarum fundamentum perfectioni Chriſtianæ, quæ ſuperiori, & maiori lumine eſt ſubnixa, ſubſtruemus: & quemadmodum ſingulę animantes ex propria naturæ ſuæ actione ſummam & perfectionem,

& vo-

& voluptatem nanciſcuntur, ita ex formæ humanæ rationis ſcilicet operatione ſecundum virtutem comparata, quantũ viuenti homini licet, proprium, & genuinum nobis bonum conciliabimus. Bias ſanè interrogatus, quod eſſet omnium in vita maximè ἄφοβον, hoc eſt intrepidum ὀρθὴ συνείδησις, inquit, hoc eſt mens, ſibi benè conſcia: aſſiduæ, & domeſticæ furiæ ſunt improbis carnifices illæ conſcientiæ, quas, vt velint (vir doctus ait) prorſus deponere non poſſunt. Aurea verò prçceptio M. Tullij, & ſemper in pectore geſtanda: *Satis nobis* (ſi modo in Philoſophia aliquid profecimus) *perſuaſum eſſe debet ſi omnes Deos, hominesq; celare poſſimus, nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe faciendum:* Honeſtæ verò vitæ rationes in ventura tempora numquam differendæ, quinimmo Talaria nobis induenda, & in hoc dignitatis, & honeſtatis curſu remis, & ventis conſuetis contenti eſſe non debemus, nulla ergo interponenda mora: Scitum enim illud eſt ſeram parſimoniam in fundo eſſe, vt monuit etiam Heſiodus μεσσόθι φείδεσθαι, δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδώ, ideſt, parcendum in medio eſt, grauis eſt res parcere fundo; illic enim non ſolum quod minimum, ſed & quod deterrimum reſidere ſolet: ita demum, ait Seneca, Vita beneficium erit, alioquin mors eſt, & quidem turpis inter fęda verſantibus. Maximum enim viuendi impedimentum eſt expectatio, teſte eodem Seneca, quæ pendet ex craſtino, perdis hodiernum, quod in manu Fortunæ poſitum eſt, diſponis, quod in tua, dimittis: & ſapiens Belga præclarè ad quendam Plauti locum alludens, Miſeria, aut inſipientia noſtra, numquam iudicijs, aut deſiderijs quieſcere, præſentia omittere, abſentia quærere, & vitam ſemper inter vota ſuſpenſam habere.

De breuitate vitæ.

Hic ego Criticos antiquarios amicè oratos velim, vt non expendant quis ſcribat, aut quomodo ſcribatur, ſed quid ſcribatur, anxiam enim illam, circumtonſam, & veluti manufactam ſcriptionem nos ſpernere iam ſumus proteſtati, quæ, teſte Seneca, animum non minùs puſillis eſſe occupatum oſtendit; ita illud continget, quod maximum eſt in

Christiana disciplina, vt factores verbi, non tantum Auditores efficiamur.



AD Musæum nostrum redeo, in quo cum Casia prædicta asseruari tũ Cinnamomum Dioscoridis, & veterum conspicitur: Quinque huius genera produxit Dioscorides: qui etiã præferri Mosyliticũ docuit recens, nigrum, ex vinoso in cinereum vergens, leue, tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cinctum, perquam iucundè olens, optimi ferè temperamentũ, odoris proprietate constat, inueniri etiã in optimo, quodve seorsum nascitur, odorem Cardamomo proximum, acre, mordens, & cum calefactione quendam salsum: Talibus genuinis notis nostrum hocce Cinnamomum præditum videtur. Contendit eruditissimus Mattheolus Cinnamomum non inueniri, vel difficillimè, quòd ex Galeno etiam probatum voluit lib. de Antidotis, qui in Imperatorum Thesauris tantum comperiri scripsit, indè petendum cum Theriaca conficienda esset: Sed nostra ætate, Lusitanorum nauigationibus omnia patefacta: Compertumque Casiam, Cinnamomum, & hanc Canellam vulgarem idem esse medicamentum, quinimmò & eiusdem Arboris esse ramulos, qui pro soli varietate odoris, & virium præstantia variant, quod Nicolaus Monardes visus obseruasse, qui ex Occidentali, & Orientali India petitum agnoscit Cinnamomum: Eadem ferè Garzias Hortus, & Carolus Clusius, ille Cinnamomum Arborem esse ait magnitudine oleæ interdum minorem multis ramis præditam, non in ijs quidem contortis, sed rectis, esse autem Canellam, siuè Cinnamomum secundum & interiorem corticem, qui ab exteriori, & crassiori repurgatus in laminas quadrangulas sectus humi abijcitur, atque ita per se conuoluitur, adempto cortice tribus postea annis ab eo Arbore abstineri: qua de re diligenter legendus Garzias vberius Cinnamomi tractationem prosequutus;

quutus: At Clusius scribit se in Belgio vidisse Cinnamomi ramulos rectos non enodes, sed nodis quibusdam, siuè ramulorũ vestigijs palmum ab inuicem dissitis insignitos, corticem tenuẽ subcinerei quodammodo coloris, iucundi odoris, suauis gustus, sed qui sua acrimonia aliquantulum linguam vellicaret: lignum inodorum fuisse, & insipidum non minùs, quàm Salicis ramus cui valdè similis, retinuisse corticem suauem illam tùm odoris, tùm saporis iucunditatem, tametsi totis quadraginta, aut amplius annis à sua matre reuulsi essent ramuli, atq; eam esse maiorem, quam nostra Canella: Verum sedulum Lectorem ne pigeat diligenter perlegere, quæ tres isti auctores prædicti, & potissimum Clusius de hac Planta præstantissima tradunt; ita enim melius, & veterum Cinnamomum cognoscetur, & recentiorũ tenebræ discutientur, qui Cinnamomum corticem esse pernegarunt, & nobis deesse existimarunt, contra quam Fuchsius, & Amatus Lusitanus tradiderant: Cinnamomum scilicet quod Zeilam mittit Corticem esse arboris quatuor ferè cubitorum altæ, crassitudinis brachialis, sex, vel septem è trunco mittentis ramulos, quorum Cortex, qui Cinnamomum est, sit tenuis, odoratissimus, gustatu acris, valdè mordax, mansum rutam olere: hæc verè Fuchsius, & Amatus, qui Lusitanorum suorum inuenta, & aduectas merces probè norat, & exploratas habebat; Illud porrò ioco ne, an serio subnectere debeam, æquus lector iudicium feret, quòd auctor incognitus notarum in Aromata Garziæ à Clusio impressarum (quem esse Iosephum Scaligerum eruditum quidem Virum, sed impotentis ingenij, & ambitiosi, non obscuris argumentis conieci) memoriæ mandauit, cum.n. scripsisset Garzia Cinnamomum vocarunt, quod significat Lignum odoratum, quasi Amomum ex China: exclamat ille nihil ioculatius, ineptius, stultius dici potuisse: primum enim balbutientes Lusitanos pro Sina China pronunciasse; secũdo, nullam cognationem esse Amomi cum Casia; tertio, Cinnamomum vetustissimam esse vocem apud Hebręos in Prouerbijs, & in Exodo Kinnamon; vocemque Hebręam

producit: Sed benignius accipienda erat Garziæ ſententia; nec in eam ex toto plauſtro conuicia iactanda: Quis enim certa rationum fide conuincat, apud etiam Hebręorum vetuſtam linguam eam non habuiſſe ethymologiam Cinnamomum; ſicuti Cinnamomum, & Balſamum aromatizans odorem dedi, quem locum obſeruans amicus meus linguæ Hebrææ peritus, ſibi probari coniecturam Garziæ profitetur, quis etiam docuit Auctorem Anonymum Sinam non poſſe eſſe Chinam, ſi viueret Goropius Becanus è Belgica ſua lingua facilè exprōpſiſſet etymum: Sed hæc minuta tranſilienda erant, licet à moroſis Criticis arripiantur auidè tāquam diuina virgula ſuppeditata: & Hiſpano homini erudito prudenti, & diligenti puſilla hæc ἁμαρτήματα condonanda, vel clementius, vt dixi, & candidius interpretanda.

Cinnamomum nigrum ſcribit Plinius eſſe commendatius; atque etiā varium præferri candido, certiſſimo argumento ſi ſit ſcabrum, atq; inuicem tritum contumaciter frietur, & inhorreſcat, improbari molle, aut cui albicat cortex; Pretia quondam fuiſſe in libras denariorum mille: Auctum eſſe id parte dimidia incenſis ſyluis ira Barbarorum, aut etiam fortè fortuna, quàm Auſtri tam ardentes ibi afflare ſolent, vt Æſtatibus ſyluas accendant: Coronæ veteribus fiebant ex Cinnamomo interraſili auro incluſę, hæc ex Hermolao, ex quibus in delectu Cinnamomi Plinio, Dioſcoridi conſentientem cernimus. Vires etiā & facultates eximias apud Dioſcoridem, Galenum, Mattheolum alios comperiet lector: obſeruandum tamen cum dixiſſet Dioſcorides Cinnamomum omne habere vim calefacientē diureticam emollientem, & coquentem, ſubdere ἄγει δὲ καὶ ἔμμηνα, καὶ ἔμβρυα πινόμενον, καὶ προτιθέμενον μετὰ σμύρνης, ideſt, menſes, & fętus educit cū Myrrha potum, & appoſitum, quæ noſtra ad verbū interpretatio Marcello etiā arriſit; Ruellius malè qui καὶ, pro ἤ exponit, aut ex Myrrha impoſitum pellit, quaſi potari cū Myrrha nequeat Cinnamomum, ſed ſolum vtero ſit imponendum; hoc tamen repugnat experientiæ, nam in Virginum, & Viduarum euocandis menſibus Cinnamomo cum

primo lib. Corollarij cap. 13.

Myrrha

Myrrha Troglodytica, adiecto etiã Dictamno Cretico fœliciter vtimur, cui experimento, & Dioscorides adstipulatur, cuius scriptura καὶ habet cũ Myrrha scilicet potum, & appositum menses, & ἔμβρυα pellere Cinnamomum, vt optimè vertit Marcellus; Sed eiusmodi multa sunt, quibus in exprimenda Dioscoridis mente imponere lectoribus expositores solent, quæ breuitati studentes in præsentia præterimus in nostra Dioscoridis conuersione omnia vberius prosequuturi.



CANELLA Alba Clusij, sic à multis appellata (Casiam vocare possis) exoticus est cortex (eo authore teste) antè paucos annos inferri cæptus in tubos plerumque conuolutus, & albicans; eius duo obseruauit genera, vnum maioribus tubis præditum, & crassius, alterum tenuius, & minoribus Tubis, quod præferendum, vtriq; generi cortex scaber ferro detersus, & ęquatus videbatur; crassiori color minùs cãdidus, minorque acrimonia, tenuiori maior acrimonia, color magis candicans, & maior fragrantia: hęsitasse se Clusius diligẽs, & exactus rerum exoticarũ Scriptor fatetur, an huiusmodi Cortex ex arbore, ac frutice, an ex radice esset ademptus. Demum ex fragmentis Corticũ candore eximio, & acrimonia præditis, quæ Batavi ex Moluccis, & Iaua reduces referebant, se cognouisse docet, non ex ramis, vel trunco, sed ex radicibus detractos huiusmodi Cortices, quod probat ex frequentibus nodis, & vestigijs, vbi fibræ inhæsissent, quæ omnia radicibus conueniunt: Cæterum & alterum fragmentũ Corticis sibi Amstelredamo transmissum testatur Clusius, quod enode erat pedalis longitudinis, vt primum illud genus Casiæ albæ, quod crassius, & vilius putatur, multis lacunis huiusmodi cortex erat distinctus, quæ videbantur vestigia foliorum, quæ ramum, vndè Cortex detractus, cinxerunt. Huiusmodi ferè omnia Corticum

frag-

fragmenta odorata, & acria, in Musæo hoc nostro, si diligenter ipsum perlustraueris, lector asseruata comperies.



LIGNI Cinnamomi, Xylocinnamomum appellant, cuius & Dioscorides visus meminisse, fragmenta in eodem rerum naturaliũ Thesauro conspiciuntur, quæ ferè ex doctissimi Clusij verbis superius descripsimus; qui in Belgio duos Cinnamomi ramulos à se conspectos tradit: quorum cortex subcineri coloris, iucundi odoris, suauis gustus acrimonia linguam vellicantes: at lignum ipsum inodorum, & insipidum non minùs, quàm Salicis ramus, cui perquam simile.



ASPALATHVM porrò ad Vnguentorum spissamenta ab Pigmentarijs adhiberi Dioscorides testatum reliquit; θάμνον esse ξυλώδη fruticem lignosum multis horrentem spinis, optimum esse grauem, detracto Cortice rubentem, aut in purpuram vergentem πυκνὸν densum, quæ vox prætermissa à Ruellio; odoratum Πικρίζοντα ἐν τῇ γεύσει, dum gustatur amarescentem: gustatu amarũ vertit Ruellius, sed si quis ab ipso per ęquo, & bono peteret, cur Dioscor. non scripsit ἐν τῇ γεύσει πικρὸν? sed πικρίζων, quid respondeat Ruellius: profectò nõ sine mysterio, & legitima ratione hoc pacto scripsit diligẽs, & exactus Auctor significans (ni fallor) nõ esse in Aspalatho amaritiem verã, & exquisitã, sed leuem, & veluti se, dum gustatur, prodentem: Quod re ipsa verũ esse facilè comperi, dũ Aspalathum Musæi nostri degustarem: feriebat enim gustum amaritudo aliqua, sed non sine insigni acrimonia, & aromatica qualitate coniuncta: Facultatem obtinet calefacientem cum adstrictione, vndè cum vino decoctum ad oris vlcera, ἄφθας, colluenda conuenit; ad Nomas genitalium, & sordida vlcera

infun-

infunditur, subiectum in pesso partum extrahit. Aluum sistit eius decoctum, & sanguinis reiectionem potu Cohibet, Dysuriam, & ἐκπνευμάτωσιν inflationes nimirum soluit. lib. vj. simplic. medic. Galenus de Aspalatho tractãs acrẽ, & adstringentem facultatem ipsi attribuit; illa calefacere, hac docens refrigerare, quare ad putredines, & fluxiones cohibendas mirificè conducere: quo loco obseruandũ nullam ipsi amaram qualitatem à Galeno maximo qualitatum medicamentorum exploratore adscribi, tantũ acrem, & adstringentem: quod argumento est illum amarorem à Dioscoride agnitum leuem esse, & inter gustandum à cæteris qualitatibus valdè superari. Apinas, tricasque saperdarum nouorum criticorum in re Botanica libenter omitto: Vtilia prosequor; non esse Santalum rubrum Aspalathum, optimè colligunt ex Serapione, qui separatim de Santalis tamquam de re Arabum propria agit, mox de Aspalatho Dioscoridis sub nomine Darsisam, ratio etiam adstipulatur nam Santali omnes frigidi: Aspalthus calidus, vt ostensum est: Illud postremò adnotatione dignũ videtur nostratem Plin. lib. xiij. docere probationem Aspalathi in colore ruffo, vel igneo esse, tactuq; spisso, & odore castoreo: qui locus nonnullũ ex Criticis recẽtioribus impulit, vt putaret aliũ esse Dioscoridis, alium Plinij Aspalathum propter huncce odorem, cũ simpliciter odoratum Dioscorides statuat, nulla Castorei adiecta mentione: Sed proculdubio is deceptus, nã se ipsum explicat, dum ait: Tradunt in quocũque frutice curuetur Arquus cœlestis eandem quæ sit Aspalatho suauitatẽ odoris existere, sed in Aspalatho inenarrabilem quandam: quo significatur odoris grauitas quædã, non tamen ingrata, quam inenarrabilem vocat Plinius, simplex enim Castoreũ detracto adipe, & cæteris quæ odoris fœditatem pariunt, odorem haud ingratum redolet, vt peritissimi rei herbariæ testantur. Huius Dioscoridis Aspalathi tria prægrandia, & praeclara frusta in Musæo asseruata conspexi.

ASPA-


SPALATHVM porrò Ruellij, hoc eſt Rhodium oleaſtrum, quod eſſe legitimum Aſpalathum ſibi perſuaſerat, noſter pariter Theſaurus ſeruat prècatorijs coronis (vt vocãt) ob ſalutationem Beatiſſimæ Virginis conficiendis accommodatum: Eius materiem docet Mattheolus partim eſſe nigram, partim ex nigra, & flaua, venoſam, rubram, ac ſubrubram (vt Ruellius inquit) nuſquã à ſe viſam. Hanc plantam ex olearum eſſe genere, vt Rhodij à ſe interrogati retulerunt, in tractu Rhodio abundè prouenientem, ſed nec multis horreſcentem ſpinis, nec detracto Cortice rubeſcentem; quare iurè Ruellij Aſpalathum, non Dioſcoridis dicemus: ne de nomine lis vrgeat.


SPALATHVM roſeum videtur deſcribere Plinius lib. xiij. cap. xxiv. vbi in eodem tractu Ægypti ſcilicet Aſcalonis & Cypri Aſpalathum naſci Spina candida, magnitudine arboris modicæ, flore roſæ teſtatur. De eadem Spina loqui etiam viſus lib. xxiv. cap. xiij. ex præſcripto Dioſcoridis; fruticem eſſe humiliorem, ac ſpinoſum, in Niſyro, ac Rhodiorum inſulis naſcentem, ſed non vbiq; odoratum.


HVRIS Arboris Lignum, quod in Muſæo conſpicimus, nobis in memoriam reuocat, quod Virgilius docuit, Diuiſas eſſe arboribus Patrias, ſolis Sabęis Thuream virgam concedi: hic Arabiæ Pagus, cui ſoli conceſſæ Thuris Arbores: In India enim naſci Thus conſtanter negat Garzias Hortus, ob id miratur Dioſcoridem, & Auicennam id aſſerentes, quamquam Hiſpani Thus in nouo etiam orbe inueniri ſcribunt: Arboris Thus producentis duplex genus, Montanum, & in planis naſcens, illa montibus confragoſis proueniẽs optimum, & laudatiſſimũ Thus profert; hæc nigrũ, & im-

& improbum. Porrò Thuris Arbos humilis eſt,teſte Garzia,& folia habet Lentiſco ſimilia, peculiarisq́; eſt Arabię: legendùs verò de Thure Theophraſtus, Plinius, Mattheolus, Marcellus Virgilius: Hermolaus lib. primo Curollarij, qui ex Ouidj verſu,

Thura nec Euphrates, nec miſerat India Coſtum,

Videri ait aliundè in Vrbem comportatum Thus, quàm ex Arabia, an quia oppidum Chara Arabiæ nundinarium, haud procul Euphrate ſitum.


IGNVM Nephriticum ad renum affectiones, & vrinæ incommoda perutile in noſtro Theſauro pariter repoſitum obſeruamus, de quo Nicolaus Monardus lib. de ſimpl.med. Hiſtoria cap.xxvij. Ligni genus eſſe craſſum, & enode à noua Hiſpania tranſmiſſum, materia Pyri, cuius vſum iamdiù receptum in huius regionibus ad renum affectus, & vrinæ incommoda, & viria, mox experimento comprobatum eſſe aquam ex eo paratam ad iecoris, & lienis obſtructiones valere: Lignum aſſulatim, & minutim conciſum in optima fontana aqua macerari, in ea relinqui, donec aqua à bibentibus abſumpta ſit; dimidia hora poſt iniectum lignum aqua cęruleum dilutiorem colorem contrahit, qui ſenſim intenditur pro temporis diuturnitate, tametſi lignum candidum ſit, hac aqua aſſiduè vtuntur, ea vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus: Calidum, & ſiccum in primo gradu ſtatuit Garzias.


GALLOCHI ſelectiſſima fragmenta in Cimeliarchio adſeruat CALCEOLARIVS, quæ, teſte Dioſcoride, ex India, & Arabia deportantur cute verſicolore conueſtita, maculata, odorata, guſtu adſtringentia, cum quandam amaritudine: pro Thure ad ſuffimenta ſubſtituta: Garzias legitimum lignũ Aloes (hoc enim vocat Agallochum Dioſcorides) nonniſi ex

India conuehi docet Malacha ſcilicet & Samatra, non cute, ſed cortice, vt cætera ligna veſtiri, nec pro Thure ad ſuffimenta ſubſtitui; ſed contrà pro Agallocho Thus, non enim rariora vulgaribus ſubſtituuntur, ſed contrà, nam Thuris ſelecti centum pondo aureo duntaxat illic emi, licet ex Arabia deportetur, lignum verò Aloes licet illic natum, tres aureos pendere in ſingulas libras: Arbor eſt oleæ inſtar interdum maior, ait Garzias; præferri multum nigricans, cinereis diſcurrentibus venis, ponderoſum plurimo humore pingui prægnans: Probatio, ſi igne accenſum multum humoris exudet, in aquam coniectum, innatet, non ſubſidat: addunt aliqui, vt magna ſint fragmenta, putant enim quo maiora ſunt fragmenta, eò plus facultatis in ſe continere: iuxta receptam Phyſicorum ſententiam; In maiore mole, maiorem eſſe virtutem.



DRAKENÆ radicis deſcriptio optima habetur apud Carolum Cluſium lib. Exoticorum IV. cap. X. quam ſibi donatam ab Equite Franciſco Drake Londini profitetur abſoluta nauigatione, qua totum orbem, ſuperato Megallanico freto, circumiuerat: radix apud Peruanos ſummæ æſtimationis, ſemiunciali magna ex parte craſſitudine, & prælonga, in nodos, & inæqualia capita extuberans, in ſummis capitibus veluti è craſſis ſquammis contexta, foris nigricans, rugoſa, dura, quia reſiccata, interiore parte alba, tenues fibras hinc indè adnaſcentes habet quaſdam craſſiuſculas, & maiuſculas, à quibus alij nodi dependent, nullo euidenti odore eſt prædita; ſapor nonnihil adſtringens, diutiùs manducata tenuem, ſuauemque acrimoniam in ore relinquit: His explorata notis Muſæi radix Drakena eadem cum ea, quæ deſcribitur à Cluſio comperta, eius folia venenũ eſſe, tradit Cluſius: Radicem antidotum illius veneni, atque aliorum venenorum; cor, & vitales facultates roborare, ſi pollinis in modum

trita

trita manè ex pauxillo vino ſumatur, ex aqua verò febriũ ardores mitigare: de hac loco cit. Conſulendus Cluſius, qui & radici à cognomine donantis nomen inditum ait.



X Charcis Prouincia Peruana (inquit Monardus lib. de ſimpl. medic. hiſtoria, radices aduehuntur, Iridis radicibus ſimiles: Has ab Hiſpanis Indias habitantibus Alexipharmacum exiſtimari maximum, quoniam earũ puluis ex albo vino ſumptus, aduerſus omne venenum præſentiſſimum eſt remedium (vno ſublimato excepto, quod ſola lactis potione extinguitur) vel enim vomitione educit, vel ſudore euocat: amatoria etiam pocula φίλτρα eo puluere hauſto educi ferunt; ſubdit Monardus: Guſtata radix aromaticum quiddam ſapit cum acrimonia coniunctum, quare calida videtur ſecundo gradu: Hanc radicem olim Calceolario Seniori donauit Hermolaus Capellus Senator Venetus præclariſſimus, & Conſtantinopoli tranſmiſit, vbi ipſe Legati munere fungebatur.

Cæterum omnem admirationem ſuperare videtur radix illa à Calceolario Seniore reperta, admirabilium rerum curioſo perueſtigatore, de qua meminit Clariſſimus Mattheolus in Epiſtola Luculenta nuncupatiora in Commentaria Dioſcoridis, vbi etiam Inuentorem radicis CALCEOLARIVM nominat, ea igitur radix per noctem vino macerata, & ſubinde vino epoto per linteolum percolato omnem quantumuis famelico edendi poteſtatem adimit, vt ne tantillum quidem cibi deguſtare poſſit, niſi aceti cochlear abſorbuerit: ridendus profectò iocus (ait Mattheolus) ſed res ipſa non omnibus committenda. Æſchynomenem, ait Guilandinus, narratam Apollodoro Democriti Diſcipulo, cum in Arabia peregrinarer, appropinquante manu folia contrahentem, hiſce oculis vidi: octonum pedum plantæ proceritas, quæ in

Prouincia Mabar accedente homine, vel animali ramos constringit, recedentibus, pandit: In Insula Cimbulon proxima Insulę Burnai Arbos conspecta, cuius frondes in terram lapsæ se ipsas reptione quadam promouebant: Radix etiam Baharas in Iudæa nata, de qua Iosephus lib. vij. de bello Iudaico euellere cupientem fugit, nec prius fugam sistit, quam vrina muliebri, aut menstruo sanguine conspergatur: sunto istæ admirabiles: at nō & Calceolarij radix in eamdem classem admittetur?



COSTVM porrò Arabicum, atq; Indicum tum Syriacum describit Dioscorides, præcellere bonitate Arabicum, tùm alios ordine subsequi notis proprijs omnes insignitos: Garzias Hortus lib. primo de Aromatum historia, vnum Costi genus esse ostendit in India proueniens, vt autem tàm diuersa nomina sortiretur occasionem dedisse negotiatores putat, qui ex varijs regionibus oriundi erant, à se porrò interrogatos Arabas ait, an apud ipsos nasceretur Costus, eos pernegasse, alium se vidisse Costum, quam qui ex India ad ipsos perferretur: Describi autem Costum ab ijs, qui viderunt Sambuci effigie, atque Arbuti magnitudine, florem odoratum proferentē, præcellere intùs candidum cortice cinereo, tanta odoris fragrantia præditum, vt plerisq; nares feriat, & capitis dolorem excitet, cùm recens est lignum, nullius amaritudinis est particeps, & est candidum, cum vetustate corrumpi incipit, amarescit, fitque nigricans: cæterum optimè obijcit Clusius, apud Dioscoridem Costum esse radicē, non simplex lignum cortice contectum, adulterari enim ait Helenij Comageni præduris radicibus admistis, ac fruticis ramus tantam cum radice affinitatem habere nequit, vt radice adulteretur: Iam verò in nostro Musæo Costus is reperitur, vel ei persimilis, quem ex Lusitania Antuerpiam aduectum meminit Clusius solidum Cortice cinereo, odorata

admo-

admodum radice, violaceum, siue irinum spirante odorem, præsertim dum manditur; ei Caulis fragmentum inhęret ferulaceum quiddam referens, & fungosam medullam continens, vt cum Garziæ etiam Costo valdè conuenire videatur. Hinc habendæ gratiæ Mattheolo, qui, vt eius ferebãt tempora, nondum aromatum copia ex Indicis nauigationibus comparata, nobis quid non esset Costus, quo officinæ passim vtebantur, significauit, vt nec radix ex Gargano Apuliæ monte delata, nec etiam Angelica, tametsi Costo similior, quid autem verè esset, & vndè conueheretur, ob perstrictam rationem planè, & verè (summa excusatione dignus) pronunciare, & profiteri non potuit. Quocirca, nec Mauritanorũ distinctio in dulcẽ, & amarum Costum sperni potest, vt ex ijs, quæ diximus, satis liquet. In impressis porrò Commentarijs anno 1569. scribit Clarissimus Mattheolus Arabici Costi radices omnibus adstipulantibus notis missas sibi à Francisco Calceolario Seniore Veronensi Pharmacopæo materiæ medicæ studiosissimo, quas, tamquam pretiosas inter sua selectoria medicamenta seruandas duxit: Arabicum enim Costum ideò prælatum iudico, atque ea appellatione insignitum, quoniam ex India Arabes præstantiorem, & efficaciorem deligebant, tamquam optimi in Emporijs rerum huiusmodi negotiatores. Hermolaus primo libro Corollarij per diminutionem à Strabone dici Costarium docet, radicem in pretio esse, fructum inutilem, Plinium Indicum duntaxat nouisse Costum primo statim introitu amnis Indi in Patale insula compertum, duo eius genera facere, nigrum, & quod melius eo iudicat, candidum: Vires Costi optime prosequuntur Dioscorides, & Galenus lib. vij. simpl. acrem enim, & validam calfaciendi vim attribuit, vt etiam exulceret; quare Paralyticis, Ischiadicis, & quibus ex alto ad superficiem trahendus humor, esse accommodatum. facultatis exulcerantis non videtur Dioscorides mentionem fecisse, verùm cum rigentibus ex oleo πρὸ τῆς ἐπισημασίας antè febris accessionem, & neruorũ resolutionibus, vel Paralyticis, vt verbum verbo reddam, obliniri doceat, illam vim ab alto

tra-

trahendi, & Phęnigmo veluti vlcerandi ſatis indicat.



EDOARIA Zerumbet Serapioni eſſe videtur, radix rotunda inſtar Ariſtolochiæ, colore, & ſapore Gingiberi ſimilis, eamque è Sinarum regione conuectam tradit: Auicenna pariter Zedoariam radicem eſſe ait Ariſtolochiæ ſimilem, præferri eam, quæ ad Napelli radices gignitur aduerſus venena Serpentum, & Napelli præſens antidotum: Sed commentum hoc alibi refutatum. Iam verò cum Zerumbet in India naſcatur, teſte Garzia, Zedoaria è Sinarum regione deportetur, differre inter ſe putantur, nec Pauli Arnabo videtur, quoniam Arbor eſt procera ſuaui fragrans odore, Zerumba verò graminea eſt planta: Quam Cluſius tuberoſam Zedoariam deſcripſit foris nigricantem aliquando cinerei coloris, intùs candicantem, guſtu vſualis Zedoariæ, quævè cum Serapionis Zerumbet conuenire videtur, eam ſanè in Muſęo aſſeruatam conſpexi: quod verò qui plura de his legere velit, ablegat Cluſius ad Doctiſſimi Mattheoli Commentarios, facit ille quidem pro inſito animi ſui candore, & in doctos viros obſeruantia, cum hic primus ſuperiori ætate intermortuam herbariam notitiam è tenebris excitarit. Cluſius verò, Garzias, Monardus, Bellonius ob patefactas nauigationibus Luſitanorum, & Hiſpanorum Indicas prouincias multa vel adiecerint, vel obſcura illuſtrarint.



EHEN album, & rubrum radices eſſe minoris Peſtinacę ſimiles, contortas, odoratas, manſu lentas, in Armenia natas ex Serapione, & Auicenna teſtatum reliquit Mattheolus Vir clariſſimus; Ad cordis affectus à recentioribus valdè expetitæ; quæ communis vſus ſunt, in Italia, non in Armenia effodiuntur, nulla penitus odoris ſuauitate commendatæ, nam & man-

& manſæ nullum ori lentorem reddunt, nec erraticæ Peſtinacæ faciem repreſentant, cum tamen Arabicum Behen, ita Peſtinacam referat, vt Haliabbas clariſſimus Mauritanorum auctor, nullum inter has radices diſcrimen agnoſcat. Verum, & genuinum hoc Behen ex Armenia aduectum olim anno 1575. Calceolario Seniori Botanicorum ſollertiſſimo donauit Haimus Abenſuſius Hebræus, magni Turcarũ Regis Medicus intimus, & Cubicularius, quod ex litteris colligimus ad ipſum ſcriptis, quæ propter Papyri etiã mirabilem conditionem raræ, & curioſę perſpectu, & lectu videntur.



X Cedro Libani, & Paleſtinæ Arbore procera fructus prouenit Pinearum figuræ non multum diſſimilis, ſed gracilior dura, ac odorata ſubſtantia, necnon compactili ſquãmarum Strue coagmentatus, ſubfului coloris, conſimilem fructum ramo ſuo hærentẽ. P. Andreas Mattheolus Medicus Cæſareus, & cui plurimum rei herbariæ profeſſores meritò debent in ſuis Commentarijs in Dioſcoridem à Calceolario Seniore ſe primum accepiſſe teſtatur: Ex quo intelligimus quantum in exquirenda, & exploranda materia Medica, & Simplicibus medicamentis optimi illi Senes elaborarint, cum potiſſimum Arabum tenebris omnia obſita, & ſepulta iacerent, vt aliàs etiam à nobis fuit indicatum.



EDRVS Phęnicia Mattheoli fructus Iuniperi baccis ſimilis, ſed multò maior, rubentiorque, odoratus, eſu ſuauis ob dulcedinẽ, qua abundat, cuius Arbor, quòd folijs Iunipero conſimilibus, ſed duris, ſpinoſis, & acutis ſit prædita (cum huic ſimplicius, & mollius ſit folium) ὀξύκεδρος, teſte Theophraſto, vocatur, & à Monſpellienſibus Iuniperus maior: Cęterum (optime lector) vt Cedri Arboris naturam, diſcrimina,

varie-

varietatem plenius cognoſcas; Hermolaum lib. primo Cor. cap. c x. legere ne graueris : vbi Theophraſti, & Plinij noſtratis in eius deſcriptione differentiam intelliges : Plinium maioris Cedri duo genera facere, quæ floret, & fructum nõ fert, quæ fructiferã, ſed non floret, in ea antecedentem fructum occupare nouum : Porrò quod οἰνόγαλα, cum nonnullis exponat Hermolaus Vinum lacteum, ideſt tepidum, apud Hippocratem, cum ſcribit, Cedrum, & Hederam creticam fœminarum incommodis auxiliari non ſatis percipio, cum miſcellam ex vino, & lacte intelligere aptè valeamus, ſicut melicratũ, & oxymeli, & ænomeli, & cætera huiuſmodi apud Medicinæ veteres Auctores vocabula.



FAGARA Auicennæ fructus Aromaticus Ciceris arietini magnitudine, cui cortex tenuis eſt ex cinereo nigricans, huic tenue putamen ſubeſt, nucleum continens ſatis ſolidum, & tenui, nigraque membrana obductum, in quo fructus ſeruatur magnitudine, forma, & colore, fructui illi valdè ſimilis, qui Cuculus indus appellatur, ab Italis Cocole di Leuante. Vt primo adſpectu fallere, & pro eo ſumi poſſit, ait Cluſius; Auicenna Arabum diligentiſſimus, modò interpretes fideliter, & ſcienter ipſum exponerent, ita interrogat, Fagara quid eſt? Granum ſimile Ciceri habens granum Mahalob: & quæ ſequuntur: In tertio porrò ordine calefacientium, & ſiccantium ponit: Ventris, & epatis frigidæ intemperiei vtilem, coctionem iuuare, & aluum adſtringere docet.



FAGARA minor Carpobalſamo haud valdè magnitudine diſſimilis; cæterum guſtatu, & hæc vt ſuperior aromaticam vim præfert, qua intelligitur ijs facultatibus prædita, quibus cætera Aromatica ſunt donata.



TYRACEM Syria ſupra Phęnicem gignit ad Gabala, ait Hermolaus: Sed in Muſæo noſtro Styracis Arboris fructus oſtenditur, veluti oſſiculus quidam calore flaueſcens ſemen in ſe continens, quod ex Baccis illis tenui quadam lanugine obductis, rotundis, & in acutum deſinentibus excluditur, quas Arbor ipſa longo pediculo appenſas producit, vt præclarè Mattheolus in Comment. docuit, vbi etiam diſertè teſtatur haberi Styracis plantas in Italia non ſolum in hortis, & viridarijs, ſed in Romano, & Tyburtino agro ſponte prouenientes: Gummi in Italia non proferre, hoc Gummi Styracem calamitam in officinis vocari, ex Galeno primo de Antid. fortè ſumpta appellatione, qui optimum Styracem cenſuit, qui ex Pamphylia in Calamis afferebatur; hinc Manardi coniectura legendum apud Dioſcoridem Calamites: Sed Mattheoli cenſura magis probāda, qui ex Marcello Gabalitem legit Plinij auctoritate ſubnixus in Syria ſuper Phęniçem gigni circa Gabala Styracem prodentis.



ASTANEÆ Equinæ Biſantio delatæ, ab eodem Mattheolo in Comment. in Dioſcor. vt nouum Caſtaneæ genus, cuius neque veterum, nec recentiorum quiſquam meminerit, exhibentur: In Orientalibus regionibus arborem eſſe ſpectatæ proceritatis folio Pentaphylli, ſed longè humana manu, quin folio etiam Ricini grandiore, longo, ac tenui pediculo appenſo, Echinos ferre in cacumine magnitudine noſtratibus æquales ruffo colore, verum duriore, & craſſiore putamine, aculeis raris, ſed robuſtis, & firmis, & colore flaueſcentibus: ſingulos ſingulam includere Caſtaneam noſtratibus ferè ſimilem craſſiorem tamen, rotundioremq;, Cortice ſubnigricante, præterquam anteriore parte, ea enim albicat, macula Cordis figuram præferente; Totum eumdem eſſe robu-

 ſtum,

ſtum,& ſimplicem nullam intrà ſe tuniculam habentẽ, quali noſtrates Caſtaneæ conteguntur : ſapor pulpæ vulgaribus ſimils, ſed dulcior paulò: Equinas haſce nuncupari Caſtaneas ab Conſtantinopolitanis, quòd anhelofis, & Tuſſientibus equis plurimum auxilij afferant deuoratæ.


VAIACI Arboris proceræ fructus ex India delatus flaueſcentis coloris, binis lateribus præditus, & pęnè formatus inſtar loculorum Burſæ paſtoris vulgaris : addit Mattheolus, Iuglandis eſſe magnitudine, quiue eſu aluũ ſoluat: Monardus in hiſtoria ſimpl. florem luteum ſubſequi ait fructum rotundum ſolidum ſemina in ſe continentem Meſpili modo.


ALAPÆ radicem nuper ex India delatam ad Drachmam vnam admirabilem in hydropicis euacuationem moliri, teſtatur doctiſs. Sanctorius Sanctorius in Cõmentarijs partis tertiæ Artis medicę Galeni, tutiusq; hoc remedio, & vncijs tribus ſucci Ireos cum duabus vncijs Mannæ in aqua è floribus Citri diſſolutæ euacuari aquam docet, quam Paracenteſi, hoc eſt punctura propè vmbilicum, de qua Galenus XIV. lib. meth. med.: ſubdit Sanctorius, ad eundẽ vſum paratur vinum medicatum ex Salapa iucundiſſimum in auferenda Hydropicorum aqua : in eo conficiendo ſe vti opera, & diligentia Alberti Stechini Pharmacopæi ad ſignum Struthij Viri periciſſimi.

Porrò cum diligentius exquirerem, quid reuera Scielaqua iſthæc foret: reſpondit doctiſsimus Pignorius Clariſsimũ Spigellium putare genus eſſe Mechoacam : idq; Carolum Cluſium in nouello Exoticorum libro ſentire, vel igitur ad manus noſtras non peruenit hic liber, quare nihil certi hac

de re

de re decernere ex eo potuimus, vel (quod alij exiſtimãt) ad Mechiocam ſylueſtrem redigitur, de quo Monardus lib. de ſimpl. medic. Hiſt. cap. LI. quiq; mittitur à Promontorio D. Helenæ, quod in eodem, quo Nicaragua, tractu eſt, ab hoc grauia fieri ſymptomata docet vomitus immodicos, tormina, alui profluuia, idcircò Scammoneam vocari: Hoc ſanè ijs, qui Salaqua vſuri ſunt, dijudicandum relinquo. Iſthuc enim nomen ab Hiſpanis impoſitum creditur, & rei ab Indijs nouiſſimè delatæ.



HASEOLVS ruber, Abrus vocatus, de quo Alpinus Vir doctiſſimus in libro de Plantis Ægypti in hoc rerum naturalium conditorio obſeruatur; è Siliquis colliguntur, quę intùs ſeſe habẽt ſemina parua, rotunda, rubra, dura, Phaſeolis omninò ſimilia, & Phaſeolorum ſaporem pręferentia: idcircò ijs Ægyptij in iure elixis veſci ſoliti, quamuis flatus multos excitent difficillimè cõcoquantur, & prauũ ſuccũ gignant: Arbor, vnde leguntur fruticoſa eſt ſarmentoſa volubilis, folijs tamarindi, ſed longè minoribus, quæ Occidente Sole clauduntur, Oriente rurſus aperiuntur.



AM verò & Phaſeolum nigrum Lablab nuncupatum, deſcribit idem Alpinus, Ægyptiarum Plantarum accuratiſſimus interpres: Eſſe enim Arborem Sarmentoſam, ad Vitis magnitudinem excreſcentem: Sarmentis Vitis modo extendi, figura vulgari Phaſeolo ſimilem: flores bis in anno ferrè Vere, & Autumno: Hinc Siliquas longas, inſtarq; fabarum lætiſſimas pendere, quæ ſemina nigra Phaſeolis planè ſimilia continent, quorũ alia nigra, alia ſubrubra: centum, & amplius annos viuere Arborem, perpetuoq; virere: Phaſeolos illos frequentem eſſe Ægyptijs cibum noſtris non minus guſtui ſuauem Mulieres decoctione vti cum Croco ad excitandos menſes,

Tuſſi, Dyſpneæ, Iſchuriæ etiam perutili, vt experimentis frequentibus exploratum.


ICIAM Aphricanam Carolus Cluſius lib. IV. Exoticorum cap. XV. deſcribens eãdem plantam cum Abrus Alpini ſuprà memorato facere videtur; eius ſemina à Nautis Batauis è Guinea redeuntibus allata, & terræ credita maxima ex parte non nata ſcribit, imò poſt triennium è terra eruta adeò incorrupta reperta, ac ſi pridie ſata fuiſſent: alia è Creta miſſa terræ in fictili commiſſa nata quidem, ſed plantas breui contabuiſſe, quæ viciæ, aut lentis modo prodibant duobus craſſis folijs, initio ipſo ſemine bifariam ſe diuidente, & in folia formante: Quod verò impropriè Arborem dici ab Alpino hanc viciam ſcribit Cluſius, facilè ipſum tuebimur, quoniam Arborem non ſimpliciter ſtatuit, ſed fruticoſam Sarmentoſam, & volubilem, præterea Alpinus, diutiſſimè in Ægypto vixit, easq; omnes plantas familiariter conſpexit, & contrectauit, vt de his rebus ſcribenti plenior, & certior ipſi adhibenda fides: Verum & Vicia Aphricana longè maior Abrus Alpini, quod oculata fide ſemina in Muſæo repoſita nobis declarant: eũdem tamen rubrum colorem præferunt, licet parte, qua Siliquæ inhæſerunt, nigricent: Vtraq; hæc ſemina in longiſſimas coronas contexta, & ſimul inſerta feruntur, & Cluſius tradit cum diutiſſimè propter duritiem incorrupta maneant, ſericeo filo traiecta è collo monilis inſtar ſuſpendi, & armillarum loco in brachijs geſtari, vt non modo Corallinos globulos natiui coloris elegantia prouocarent, ſed etiam vincerent. Prorſus enim rubra & nitentia ſunt inſtar Corallij expoliti, cum probè matura ſunt.

CÆTE-


ÆTERVM iniecta mentio de Lente,& perturbatione illa flatuosa, quam legumina solent excitare admonet me, vt Dioscoridem Galeno præferam in Problematis vtilis, & non incuriosi explicatione: lib. i v. de morbis acutis,ait Hippocrates,Lentem adstringere, atq; turbationem facere, si non detracto cortice ingeratur; Huius causa quæritur, & cur cum sint succo terreo, & melancholico præditæ, & proindè adstringentes, & obstruentes, earum decoctum primum extergeat, bis coctarum cremor adstringat: Galenus primo lib.de aliment. facult.docet carnem Lentium esse austeram, & adstringentem, hanc tamen vim corticibus inesse maiorem, succum verò ipsis esse austero contrarium, hinc semel coctarum cremorem laxare, & extergere: hanc inęqualitatem facultatis austeræ, quæ maior est Corticibus, turbationem parere si non detracto Cortice ingerantur. Dioscorides optimus, & sollers Physicus lib.ij. austeram in carne, in cortice laxantem esse facultatem docet, idcircò primæ cocturæ cremorem conditionem sequi corticum, & cum corticibus ingestas turbationem ab Hippocrate memoratam parere: Hæc Dioscoridis sententia Physicis optimis probatur, & Valesio ipsi Hispanorum Medicorū maximo, & doctissimo: consentaneum enim magis est (eodem teste) turbationem ventris contrarijs qualitatibus imputare, quā eiusdem adstringentis inæqualitati: Quæ enim obsecrò (subdit acutissimè Valesius) adstringentia sunt, quibus omninò insit æqualiter ea vis? at non perindè, quæ adstringentia tantum sunt, videmus aluum turbare: quæ rationes infringere, & conuellere Galeni placitum videntur, & Dioscoridis nostri firmare doctrinam: ingenuè farebor, videri mihi in Commentarijs multorum librorum Hippocratis neruosiorē, & demonstrationibus Physicis subnixam magis Valesij expositionem, quā Galeni, græco eloquio, & celeri ingenij motu sæpenumero duntaxat certantis tū euigoratæ mentis,& emedullati capitis strophas, vt quidam aiebat, obtrudentis.

MA-



ALABATRI, siue Tamalapatra (hoc enim apud Indos Folij genuinum nomen) fructus Glandis ferè effigiem, & figuram exprimit, quem aiunt magnitudine, quamuis exiguũ: viribus tamen,& facultate Folio ęquari posse; à Garzia, & Clusio Viris diligentissimis, & eruditissimis (posita etiam Icone) hoc pacto descriptum legimus. Porrò non innatare Folium Lentis palustris modò, vt scripsit Dioscorides, & hunc sequutus Plinius noster Ciuis, sed in Procera nasci Arbore, procùl ab Aquis, tum multis alijs locis, tum in Cambaya idem Garzias docet, & nos alibi perstrinximus fusius.



VNA fructus Fagaræ est magnitudine, teste Clusio, aut paulò amplior, oblongior, plerumque colore ex cinereo nigricante, cortice tenui, & veluti sulcũ quendam per longitudinem vtrinque habente, per quem facilè in duas æquales partes diuiditur, quæ singula grana continent, oblonga; altera parte plena, fuluescentia, gustu acido. Aiunt in Alexandria potionem quandam ex ea fieri vim refrigerandi non mediocrem habentem: hæc accuratè,& disertè C.Clusius.



EN, siue Dende Arabum esse Ricinum maius Græcorum, vel Cataputiam maiorem, vt Arabum interpretes vocant, facilè mihi persuadeo: cum facultates, & seminum forma sibi mutuò respondeant: Antè aliquot annos ex America adferri cęptum huiusmodi semen (vt docet idem Clusius) vulgari paulò maius, cuius operimentum, seu siliqua illa triangula, quæ semina continet, tuberculis asperis non est obsita, vt in vulgari, sed lęuis, & cinerei coloris: ipsum granum,siuè semen vulgari simile, nigrum tamen, & non maculosum, vt illud,mirifica (vt aiunt) purgandi facultate præditum,

nam etiamsi dimidia tantum vnius grani pars sumatur valenter supernè,& infernè purgare referebat,qui mihi dabat, ait Clusius, & Curcas isthic ab Incolis vocari. Circa Malacam, & Calpem ad fretum Herculeum alijs maritimis Bęticæ locis Ricini plantas crassitudine humana, altitudine verò trium hominum, multis pręgrandibus ramis brachiatas instar aliarum arborum, se vidisse, dum Hispanias peragraret, testatur idem grauis Auctor, eos ramos (multis enim annis durare Arborem) tertio, aut quarto quoque anno putari,se verò planè ignorare an his ricini plantis ea sit similis, quæ Curcas, vel ricinum Americorum profert, cum qui fructum attulit Arboris formam describere non posset.


AVDATVM etiam Piper in Musæo à me conspectum memini,quod Antuerpiam olim inuehi solebat à Lusitanis (inquit Clusius) Pimenta del Rabo, ideſt Caudatum Piper appellatum : Sed metuens Rex Lusitanus, ne legitimum Piper alterius inuectione vilesceret, id amplius inuehi, edicto vetuit. Cubebis id erat ferè simile, pediculo subnixum exiguo, rotundum, plenum, aliquantulum rugosum, nigricans eadem acrimonia, qua Piper præditum, aromaticum, racematim cohærens, amomum à nonnullis perperam existimatum; Eius porrò Iconem expressam dat Clusius, qualem ab amico Gareto Londino acceperat.


IPER Æthiopicum, siue Piper nigrorum à Serapione vocatum,& à pręstantissimo Mattheolo descriptum in Musęo pariter asseruatum conspexi; Hoc in Siliquis racematim prouenire Pisorum, aut Phaseolorum modo, granis Pipere nigro paulò minoribus, & pertinaciter siliquis inhærentibus idem Auctor testatur: Vti hoc Æthiopes ad Dentium dolores: af-

ferri

ferri ex Alexandria Ægypti, cum alijs aromatis perperam Carpesium à nonnullis existimari, qui descriptam historiam de grano Zelin à Serapione ignorant, se in Epistola ad Iohannem Hessum Medicum Norimbergensem hanc opinionem falsitatis conuicisse.



VCEM Myristicam (Moscatam vocant) marem, & fęminam delineat, & describit doctiss. Clusius primo libro Exoticorum: Quam fœminam censent, ea est apud nos frequenti in vsu: Ex Insula Banda, in qua sola nasci perhibent, recens aduectas Turia conditas, cũ suis tenellis ramulis, & folijs conspexit idem Auctor, propterea illius accuratiorem descriptionem dedit: Arbor ergo, quæ Nucem Myristicam fert, magna copia in Banda Molucharum sponte nascitur, & excelsa est, Pyro haud minor, perpetuò virens, & frequentibus ramis prædita: folia laurinis, vel mali arantij folijs propiora, ademptis appendicibus, fructus satis crassus mali persici magnitudine, quamquàm hanc similitudinem folio tribuat Scaliger, dicens, persici folio esse, sed fructus ille superna parte est aliquantulum turbinatus, denso operimento constans, quod veluti sulci cuiusdam illum in binas ęquales partes diuidentis forma præditum est, ea etiam parte maturum dehiscere macin sub ipso latentem, & Nucis Corticem retis instar ambientem ostendere adeò rubentem, & elegantem initio, vt admirationem pariat, sed aëri expositum paulatim illam elegantiam amittere, & flauescentem colorem tandem contrahere, idem testatur Clusius. His notis omnibus veluti descripta, & expressa Nux Muschata cum inuolucro suo, quæ in Calceolario Musæo asseruata conspicitur; cum (teste eodem Clusio) Nux Myristica mas binas vncias oblonga sit, summo suo experimento tecta valdè rugoso, nec illo quidem valdè crasso (quia antè maturitatem ramus abruptus) ferruginei hoc est ex rufo

fusci

fuſci coloris in binas æquales partes fiſſo, & hiante, Nucemque oſtendente ſuo Maci eam reticulatim amplectente ſeptam: Scaliger Exerc. c x l v. docet ſub primo nucumento non ſtatim teſtam exiſtere, qua nucleus continetur, ſed cutim coriaceam, quam vocāt Arabes Macin, quæ non eſt Macer, vel Machir, vt voluit Cardanus, quoniam Macis adeò calefacit, vt pauca ei ex odoratioribus ęquiparentur, Macer adſtrictione, & non multa calefactione donatus; idcircò de Maci, & Macere ſeparatis capitibus ſcribunt Auctores Mauritani.



SED iam (Deo auſpice) ad Amomi vuam peruenimus, cuius obſcuritatem noſtrorum Patrum tempeſtate mirificas excitaſſe controuerſias, in confeſſo eſt, alijs pumilum ſemē ex Gargano Apuliæ monte, alijs pedem columbinum Geranij ſpeciem præferentem, alijs roſam Hierichontis, alijs aliud Amomon Dioſcoridis eſſe profitentibus, prout rei obſcuritas ad aliquid pro rei neceſſitate excogitandum acres ſtimulos rei Botanicæ profeſſoribus ſubdebat: Multi etiam lignum non ſemen eſſe Amomum contendunt, de qua re etiam dubitaſſe Clariſſimus Mattheolus videtur: Sed iam exploſa, & certis rationibus reiecta huiuſmodi ſententia: Conſtat enim ex Plinij noſtratis vero teſtimonio vuam, & racemos Amomi fuiſſe in vſu, non lignum, eoſque toto cœlo aberrare, qui Sarmenta lignea Amomum fuiſſe apud Dioſcoridem putant, qui omninò intelligendus, & explorandus ex Plinij tractatione de Amomo, vt Nicolaus Maronea Compater meus ex Collegio noſtro Medicus prꝑſtantiſſimus, & in enucleanda veritate acutus, & accuratus Peculiari Diſputatione, & Commentario Baſileæ impreſſo anno M D C VIII. aduerſus præfractæ peruicaciæ herbarios, & Pharmacopęos comprobatum voluit, qui Libellus omninò legendus erit ab ijs, qui quo pacto ex Plinio Dioſcorides de Amomo tractās

intelligendus sit, perspectum habere voluerint; Racemi sunt ex Malacha Indiæ Prouincia, coloris ex pallido subrufi, odore valdè aromatico pseudonardum, vel lauendulam officinarum quoquo pacto redolentes, & ob summam acrimoniam linguam mordicantes: Ex vnico sarmento fructus figura orbiculari lineis quibusdam distincti, absq; pediculo pullulant in Vuarum racemi modum sibi ipsis conuoluti, & arctè cohærentes: hoc verum est, & legitimum antiquorum Amomum, quicquid rudes quidam, & obstinati homunciores contra garriant ridiculas affanias vulpinantes, à Clarissimo Medicorum Veronensium Collegio nostro, in quo Viri virtute, doctrina, & auctoritate insignes semper floruerunt, publico fidei Diplomate comprobatum, dum in Calceolariam confectionem Theriacæ Andromachi, & Mithridaris exquisita diligentia vestigatum adiungendum, pro veteri Auctorum præscripto, fuerat, similes racemos FRANCISCVS CALCEOLARIVS Senior Pharmacopæus, & Botanicus summi nominis quadraginta ab hinc annis ab Abenesusan Medico Hebræo, & Imperatoris Turcarum Archiatro pro vero Amomo acceptos in suo Musæo seruabat, quod Amomũ in præsentia etiã quãuis carie penè consumptum asseruatur; Hos igitur viros in rimanda Amomi vera natura, & forma valdè perspicaces eo Elogio prosequi æquum est, quo Epicurum suum compellat Lucretius,

E' tenebris tantis tàm clarum extollere lumen,
Hi primum potuere illustrantes commoda vitæ,

& potissimũ Calceolarius noster Senior, à quo fatetur Clarissimus Mattheolus se accepisse Amomum vuæ modo racemosum, baccis piperi æqualibus, dum ille suam Theriacam iurè optimo præ cæteris extollendam parabat, ita enim scribit Mattheolus in Commentario, quãquam adhuc dubius, & ijsdem infœlicis illius ętatis tenebris inuolutus Acorum, vt Galenus docet, illius loco substituendum præcipiat; non me tamẽ latet dubitasse nonnullos, an illud verè Amomum fuerit propter illas baccas piperi æquales, quæ nostro Amomo non conueniunt.

SED

ED ex his ſaltem intelligimus CALCEOLARIVM Seniorem primum forſitan in Italia noſtra acutè veram Amomi naturam, & formam ſubodoratum priùs, cum illius vuam in Theriacæ compoſitionem indendam cenſuerit: viamq; poſterioribus maioribus huius notitiæ præſidijs ſubnixis Maroneæ ſcilicet, atq; alijs emunctæ naris Phyſicis, & Seplaſiarijs ſtrauiſſe ad Amomi vuam pro legitimo Amomo decantandam, & vſurpandam: Verum obſtinatior viſus ipſe Cluſius, vt ſunt exteri homines Italicorum gloriæ inuidi, vel contemptores: is enim in Auctario ſuo fatetur anno M D C V. ad ſe miſſos ab erudito,& perhumano Viro IOANNE PONA Veronenſi Pharmacopæo plantæ cuiuſdam aliquos fructus vuarum inſtar confertim in ramulo natos, & aromaticum quidpiam redolentes pro legitimo Amomo ſibi datos, tamē & ipſe Acorum ſubſtituendum monet,cum quid legitimum ſit Amomum difficulter ſtatui poſſe exiſtimet: Vuæ tamen illius,quia elegans,& non vulgaris,Iconem proponit; obijcit etiam præter alia leuiora, oleo Lauandulæ delibutam fuiſſe illam Vuam, vndè adſcititium odorem ſpiraret: Sed profectò ſi tandiù vixiſſet Cluſius, vt Cōmentarium doctiſſimum Clariſſimi Maroneæ Collegij noſtri Medici perlegere potuiſſet: (miſerat enim ad ipſum Dominus PONA,vt mihi rettulit,& iam defunctum oſtendit) proculdubiò ſententiam mutaſſet, verèq; aſſeuerantē Plinium audijſſet, Amomi vuam in vſu eſſe.

Cæterum illud etiam adijciendum; In curis poſterioribus,quæ ex Euripide σοφώτεραι eſſe debent, ſcribit Cluſius à Parduyno Pharmaeopæo Middelburgenſi racemum hunc accepiſſe à ramulo diſtractas baccas habentem etiam quadriennio antè, quam ſuper expreſſum à IOANNE PONA acciperet, ſchedæ, qua fructus inuolutus, Parduynum adſcripſiſſe, Conſulem eius Vrbis aromatico odore inuitatum, licet grauiuſculo Baccam vnam ediſſe, & paulò poſt in morbū incidiſſe; ſubdit Cluſius: eam ab cauſam medicamentis inijcien-

dum minimè cenſerem: loci huius Cluſij commonefecit me idem Pona Pharmacopęus ornatiſſimus, & rei herbariæ imprimis peritus, qui eam pariter ſcriptis editis illuſtrauit; Hortatus etiam eſt pro veteri amicitia, & amore ingenuo veritatis, vt communem cauſam Calceolarii, & ſuam, tum Collegij noſtri, & Maroneæ tuerer, ne tanti nominis præiudicata auctoritate aliquis legitimæ Amomi Vuæ fucus fieret, aut adſpergeretur labes: Credendum igitur Conſulem illum ex nimia ſeminum Amomi in bacca illa incluſorum copia deuorata in morbum incidiſſe, hoc eſt ardorem, & ventris tormina quid enim tàm in Medicina ſalubre eſt, vt ſi liberalius quam par ſit, ſumatur non lędat? Crocus, Rhabarbarum, Manna, Aloes, Cinnamomum, quæ alioquin ſalubria, & vitæ amica, at Bacca illa deuorata plura Amomi ſemina continebat, accedit Germanos magna ex parte ob ingluuiem, & continuatas illas compotationes humorū crudorum copiam aceruare, qui aliqua ex parte à vi aromatica extenuati, & in halitum exſoluti non perfectè diſsipati dolorem colicum, vel ſtomachi cardialgiam gignere potuerunt: ſed & ineptum illud argumentandi genus illud, poſt hoc ſit ergo hoc illius cauſa, muliercularum rudium more cum poſt Theriacam, vel aliud à prudenti quamlibet Medico exhibitum remedium æger peius habet ſtatim colligentium huiuſmodi præſidium in cauſa fuiſſe, vt ille deterius ſeſe habeat: Nec quem exitum habuerit morbus ille Conſulis expreſſit Parduynus, quod argumento eſt id totū fortuitò contigiſſe, diſtinguendumq; à Philoſopho viro fuiſſe, quod ex accidenti fit ab eo, quod eſt per ſe, qui error ætate noſtra, vt aliàs docuimus, in omnes artes, & diſciplinas, cum ſumma vitæ humanæ pernicie irrepſit: Prodijt & ſuperioribus annis incerto Auctore Iudicium in ſermones Cecchini Martinelli de Amomo, & Calamo aromatico ex Indiæ Malacha à Martinello eius auunculo tranſmiſſis, idq; Italicè ſcriptum; quibus diſertè vua Amomi pro legitimo Amomo afferebatur, idq; Plinij etiam noſtratis teſtimonio cum ait, ſimile his & nomine, & frutice Cardamomum, ſemi-

femina oblongo; Verum quoniam maximi quibus iudicium illud scatet, errores ab eruditissimo Maronea sunt & animaduersi & planè refutati, nos ab eo labore refellendi supersedebimus, satis est monuisse in prçsentia incertum illum auctorem nodum in scyrpo quærere voluisse, nec intellexisse in delectu Amomi legitimi illa Dioscoridis verba ἢ πεπιλημένον, ἢ συμπεπλεγμένον, quibus adulteratum Racemum repudiat Dioscorides, in quo gummi liquido ita sunt artificij ope conglutinata grana, vel acini, vt vnum continuum, & solidum corpus potius, quàm racemum ex pluribus acinis conflatum constituant, vult enim Dioscorides vnum ab altero solutum acinum existere λελυμένον, καὶ διακεχυμένον: solutũ, & diffusum, quibus verbis disertè, & planè voluit Dioscorides Amomum adulteratum nobis exprimere, & ob oculos ponere ex veri Amomi notitia, in quo fructus, & acini soluti, & mutuo separati visuntur, non in vnum factitium racemum coagmentati: Quæ verba Marcello Virgilio adeò obscura visa sunt, vt expungenda tamquam ab imperito librario interiecta censuerit; Verum vt Maronea noster docet perspicua Plinij expositione enarrata commodè retineri, & intelligi possunt. Iam verò lib. ij. exoticorum cap. xiv. Clusius quartum fructum ex ijs, quæ à Gareto acceperat, appingit, ignoratq; quid esset, & quia vnicus confringere noluit; ex notis verò, quibus describitur, Amomi fructum fuisse intelligimus, orbiculari forma, læui cortica, neruis eminentibus à pediculo ad summum caput çquali interstitio excurrentibus, fusco colore: Sed in prouectæ ætatis viris adeò inueteratæ, & præiudicatæ opinionis vis solet inualescere, vt ægrè se ab ea diuelli patiantur, vt nos Galenus aliquando monuit. Hæc fusius tetigi, & auctores optimos indicaui, vt si quis obstinatus adhuc Amomi vuam repudiat, ab ijs discat veritatem (reiectis falsitatum tenebris) amplecti, tum etiam, quia æquum fuit Collegij nostri præstantissimi auctoritatem tueri, & duorum Pharmacopçorum Veronensium Calceolarij Iunioris, & Ponæ Botanicæ rei peritia florentium, & pçrcelebrium, tùm mutuæ beneuolentiæ

lentiæ vinculo deuinctorum, qui Theriacam, & Mithridatum præteritis annis nulli labori, aut impensæ parcentes, adstante vniuerso ferè Collegio, composuerunt, industriã, & iuuandi homines propensionem, apud omnes Europęos huiusmodi rerum æquissimos æstimatores, Sarctam tectam, pro eorum merito, existere; atque eò potissimum quoniam ambo hi ornatissimi Pharmacopęi in Europa primi fuere, qui nullis succedaneis Theriacam, & Mithridatũ pararunt; vt ex publicis Collegij nostri attestationibus, & deplomatis post acerrimum Simplicium Medicamentorum examen, & diturnam excussionem tandem concessis luce meridiam clarius liquet.



Vic Collegij Veronensis Sententiæ de vua Amomi (cum testium optimorum, & Classicorum vis multum momenti habeat, Collegium Venetum Medicorum Clarissimum adstipulatur, præterea Prosper Alpinus, qui Patauij publicè rem Botanicam summa nominis sui celebritate est professus, cum ex Ægypto in Italiam redijsset, nihilque de Ægyptiorum medicina, & medicamentis litteris mandarit, cuius oculatus testis, nedum Auritus fuerit; Præterea Ferrantes Imperatus, & Gaspar Bauihinus, ille Neapolitanorum celeberrimus Pharmacopæus, hic Medicus percelebris, & publicus Basileæ Botanicus, qui libris editis rem herbariam ad summum perfectionis apicem euexit. Aurei sæculi fœlicitatem exaggerans Virgilius: *Assyrium (inquit) vulgo nascetur Amomum:* Diuitem etiam in funere efferendum crassis lutatum Amomis dixit Persius μύρον παχὺ exponunt interpretes, pingue Amomum Statius, quibus intelligimus verè scripsisse Plinium Vuam Amomi esse in vsu: neq; enim Vnguentorum suauitas, & delitiæ ex alia Amomi parte comparari potuissent.



ARDAMOMI tria genera maius, medium, & minus in nostro Thesauro, si quis velit, facilè cõperiet, maius ficus propemodum magnitudine describitur à Cordo, cui assentiri videtur Clusius: Minus auellana minus, medium auellanę gradi æquale: Cl.mus Mattheolus iconẽ ficus

forma,

forma,& magnitudine exhibet,quæ cũ ſit Melegueta ſuo tecta inuolucro,inter vulgaris Cardamomi,ſiue Cacolea Arabũ genera ex Garziȩ ab Horta ſẽtẽtia recipiẽda nõ eſt; Plin.l.xij. quatuor apponit genera Cardamomi,viridiſſimũ,ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, quod maxime laudatur, Proximum è rufo candicãs,Tertiũ breuius,atq; nigrius,peius variũ,& facilè tritu, odorisq; parui, qui verus Coſto vicinus eſſe debet: Sed Dioſc. & cȩterũ Grȩcorũ vnicũ extat Cardamomi genus: lege Garziã cap.24.de Arom.hiſt. Porrò Amomi legitimi Iconem,Cardamomi maioris,& medij,hîc ſubiectam damus.





LBEMOLVCH plantæ Mauritanorum Serapionis, & aliorũ Arabum ſemina noſtrati Ricino, aut Cataputiæ forma non diſſimilia, Cortice nigro, quo detracto pulpa candida Pineis noſtris ſimilis ſpectantium oculis ſeſe offert: ſemina hæc, quæ ore detenta, & commanſa palatum vellicant, & calore immodico afficiunt magna facultate tum per os educendi, tum per aluum deijciendi pollent.



AOBAB fructus hiſtoriam ieiunè perſequitur Alpinus, cuius intererat, cum in Ægypto prior (vt exiſtimo) viderit,& notitiam ad nos attulerit, tametſi in viribus explicãdis non indiligens videatur, Cluſius lib. ij. Exoticorum plenè,& exactè, cum lib. illum ſe exordiri ab elegantiſſimo, & magno fructu profiteatur: in Scholio etiam lib. ij. plantarum Indicarum Baobab Alpini Guenabanum Scaligeri eſſe, quamuis ambigẽs, ſtatuit: Guenabanus (ait Scaliger exercit. 281.) arbor eſt Pini ſtipite, procera, folio magno, oblongoque, fructus Melonis magnitudine, cortici color viridis, ſplẽdor Cydonij, Digitalis craſſitudo, caro intùs candida, lactis coacti dulcedine, ſemina continet phaſiolacea; ſed & Baobab (teſte Cluſio) ex Æthiopiæ Mozambique olim Antuerpiam afferebatur, fructus craſſus ſeſquipeduli longitudine, cui denſus, durusque cortex, tenuique & molli lanugine, vt in Cydonijs, ſed viridi obductus aliquot per longitudinem excurrentibus ſulcis, vt in Melonibus; Continet hic fructus pulpam candicantem,qua in febrium ardoribus ſitis ſedandæ cauſa Æthiopes vtuntur, iucunda enim aciditate prædita eſt: Hæc ſiccata friabilis eſt, vt digitis trita in pollinem reſoluatur ſuperſtite ſemper acore. Per hanc ſparſa ſunt ſemina renum figuræ ſimillima, nigro tamen colore nitentia, ac ex vmbilico fibris quibuſdam ſuſpenſa:

Plinius,

Plinius, & expreſſius deſcriptum hunc fructum perlege (Lector optime) apud C. Cluſium accuratum huiuſmodi rerum veſtigatorem, & enumeratorem.

I. 

LANTÆ Cuciophoræ naturam optime deſcribit ex Theophraſto Mattheolus, quæ palmam Caudice, & folijs repreſentat; fructum (inquit) hæc parit peculiarem, magnitudine, figura, & ſucco ſingularem, magnitudine (quæ manũ impleat) rotundum, colore flauicantem, ſucco dulcem, & ori gratiſſimum, non racematim congeſtum, vt palma, Sed per ſingula diſcretum, nucleo magno vehementer duro, quo in annulos detornato in verſicoloribus ſtragularum vinculis vtuntur, cuius hîc Iconem damus. 4. de hiſt. Plant.

II. 

VELLANAM Indicam, quam vocant nonnulli, à Cluſio deſcriptam lib. ij. Exoticorum comperio ſub nomine maioris fructus primo loco poſiti ternas vncias longitudine ſuperat, latitudine vnam, altitudine pœnè duas æquat, putamine craſſo ſupina parte ſeſſili, rugoſo ſcabro, & cinereo, prona, ſiue gibba parte læui, ſubruſo, vel potius ſpadiceo, nucleum continet gemellum ſubſtantia firma, ſubfuſca, pingui, & oleaginoſa, odore ſatis iucundo prædita, & ſapore non ingrato. Hanc eruditiſſimus Mattheolus Auellanam Indicam appellat, ſibiq; dono miſſam à Clariſs. Iacobo Antonio Cortuſo Patauino profitetur magnitudine Iuglandis viridi putamine adhuc circumtectæ, nuclei medullam dulcem eſſe, & albicantem: cuius hîc figuram expreſſam damus. Cap. 19

III. 
RVCTVS ruber, vel Phaseolus Lobellij, de quo Clusius lib. ij. Exoticorum: Minor est præcæteris Phaseolis descriptis satis crassus, coloris rubri Corrallij æmuli: à Nauta ex India reduce intellectum è maioribus Phaseolis in pollinem tritis inquilinos vomitoria parare, è minoribus filo traiectis armillas aduersus Epilepsiam gestandas, quasi Pęoniæ seminum vim obtineant, sed ornatus potius causa gestari putat Clusius: in tabella icon expressa. Cap.13.

IV. 
ASTANEA Purgatrix ita à nonnullis nuncupata, fructus ater, læuis, ac splendens, quatuor sulcis supernè distinctus, quorum bini ad partis aduersæ vmbilicum vsque ducti, planus alioqui, & orbicularis pœnè formæ, vncia paulò minor, superna parte aliquantulum tumescens, & quasi puluinatus, aduersa pars vestigium retinet fuscum, quo Cortici, qui tegit, firmiter inhæsit, quale in Castanea equina conspicere est: expressius descriptum à Clusio ij. Exoticorum reperies. Cap.16.

V. 
HOVEI Theuesi nomen esse Arboris fructu venenoso, & lethali, magnitudine mediocris Castaneæ, candido formam litteræ Δ Græcam referente testatur Clusius: Huius nucleus præsentissimum venenum, quod alter alteri in mutuis dissidijs dare solent, proindè peregrinis eum fructum recens collectum non cõmunicant, & ab eius contactu liberos arcent, nisi sit exemptus nucleus: quo exempto, fructu pro Nolis vtuntur cruribus suspendentes, quæ tantum sonitum edunt, quantum Nolæ, ac tintinnabula nostratim: Arbor Pyri magnitudine, præcisa teterrimum spirat odorem, quare ne igni quidem struendo idonea.

FRV-

VI. RVCTVS Beretinus ex arbore celsissima quercu in maiore folijs laurinis prædita colligitur, teste Clusio, oblongiusculus est fructus exiguis iligneis glãdibus similis: nullo Calyce inclusus, tenui cortice cineracei coloris interdum etiã atri tectus, nucleumq; continens oblongiusculum candidum nullo manifesto sapore prẹditum tenui membrana inuolutum. *Lib. 2. Exotic. cap. 27.*

VII. RVCTVS peregrinus à Clusio ij. Exoticorum cap. xxx. descriptus, ponticæ Nucis magnitudinem non excedens, lẹuis, splendens, cinerei coloris, saxea duritie præditus, licet in aquam coniectus supernatet, aliquantulum inæqualis, & compressus, vt Pisa in eodẽ lobo nata se mutuò comprimentia conspiciuntur, cuius cum Clusio figuram expressam apponimus.

VIII. ABA Indica, quæ Cor Sancti Thomæ vocari à quibusdam testatur Clusius, quod in Insula Sancti Thomẹ nascatur, licet in alijs etiam Aphricẹ regionibus inueniatur, lobus est quinque vnciarũ longitudine, binarum latitudine duro, crassoque cortice constans coloris ex cinereo fusci: Binos Phaseolos, vel Fabas continere videtur planos, à medio aliquantulum extuberantes læues, coloris nigri, & splendentis, quia perfectam maturitatẽ adepti, aliàs è fusco spadicei: Ea parte qua lobo adhæserant paullulum caui, & proindè cordis figuram referentes.


IX. RVCTVS peregrinus non inelegans lib. ij. Exoticorum cap. x. descriptus, cuius ignoratur nomen orbicularis formæ, sex vncias in ambitu crassus, tres longus, nouem neruis à summo ad pediculum ductis distinctus, fusci, vel spadicei coloris leuis prægnans, tamen, & pulpam resiccatam cum seminibus continens, quia agitatus strepitum edebat, cuius Iconem exprimendam curauit Clusius.

X. ALSAMI Occidentalis, vel Peruani fructus effigiem ex αὐτοψία ipsa describam, qualis mihi in Calceolario Musęo ostensus, Siliqua est exilibus granulis, instar Fici, scatens: Cortice Corij instar membranoso, rubro colore ad nigrum vergente prædita.

Hanc Io. Vincentius Pinellus Vir nobilitate, & doctrina percelebris pro Peruani Balsami fructu amicis donatã voluit.

Hîc porrò nullum iudicium meum interpono: coniecturis, & testimonijs firmioribus standũ videtur: Pinelli, & Monardi auctoritas magna quamcumq; volet in re proposita descriptionem sequatur lector, nihil impedio.

Hanc Siliquam CALCEOLARIVS Iunior in locupletando Musæo indefessus à Pompeio Sprecio Pharmacopæo percelebri, & peritissimo, cum multis alijs exoticis rebus sibi transmissam in Thesauro Naturalium rerum reposuit, & eius hîc pariter Iconem apposuit. Nicolaus Monardus aliter visus descripsisse lib. de simpl. medic. historia cap. ix. huius Balsami fructus ait, qui penès me est, exiguus pro Arboris magnitudine; Ciceris enim, aut Pisi grano maior non est amari gustus aliquantulum inclusus in extrema siliqua angusta, digitum lõnga, alba, & simplicis regalis Hispanici tenuitate: Eo fructu se suffiunt Indi ad capitis dolores, & defluxiones.


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X



ALSAMI Orientalis fructus, Carpobalsamum vocant, optime ab Alpino viro percelebri, & accurato describitur: primum obseruat duplex Carpobalsami genus circumferri, quorum vnum semen esse Terebinthi magnitudine, & forma rotundum, oblongũ, ouo simile, in extremis acutum, flauum, folliculo nigro rubescente vndique contectum, hoc verum esse antiquorum Carpobalsamum; Alterum Pseudocarpobalsamum dicetur magnitudine, colore, figura priori simile, sed differre, qui ipso est oblongius, & ex dimidio tantum folliculo contectum, forsan Dioscoridis illud hoc est, quod ex Petra Arabiæ oppido asportatum verum Carpobalsamum adulterabat, si Piperis saporem præferret. Iuniperi fructus pro eo aliquando substitutos tradit Alpinus, cum qui in Italiam copiosè aduehitur, non esse verum Carpobalsamũ, quadam ingenij peruicacia sibi persuasissent superioris æui Botanici: Sed notæ à Theophrasto, Dioscoride, & Serapione adductę huic, quod passim circumfertur, optime respondent: Eligatur ait Dioscorides flauum planum, grande, ponderosum, mordens gustum, feruens in ore modicè Opobalsamũ redolens, eius odorem esse bonum simpliciter scripserat Serapio, expressius, & plenius olere Opobalsamũ docuit Dioscorides: Inanitate, paruitate, & sapore piperis adulterari Dioscorides dixerat: At cum Galenus lib. de Antid. non posse adulterari scripsit, perinde est, ac si facillimè deprehendi adulterium docuisset, cum etiam Theophrastus, & Serapio nigro subrubescente colore præditum docent, Dioscorides flauo mutuò repugnasse dicendi sunt, illi enim suo folliculo vestitum semen accipiunt: Dioscorides folliculo spoliatum: Cęterum doctissimum Alpinum adeat diligens Lector, qui copiosè, & accuratè hoc argumentum sibi explicandum sumpserat.



SCITE' Plinius noster Ciuis, Nihil Ocymo fœcundius, cum maledictis, & probris serendum præcipiunt, vt lætius proueniat: Veterum sanè hæc superstitio fuit; sed pręclarum hinc duci emblemma poterit, quo solari rectas, & candidas mentes possimus, cū à brutis, & fulguritis ingenijs morum, & orationis stribiligine deprauatis, & plusquam Heracliteo scriptorum σκοτεινῷ ζόφῳ ad captandam auram popularem subnixis, & fragile falsæ gloriæ Choragium comparantibus, eorum inclyti labores, & immortalitatis templo dedicandi maliciosè vellicantur: verè Philęmon Comicus,

Haud auribus concentus est iucundior,
Quam deuorare criminantis iurgia,
Nam mussitando si quis hæc redarguat
Ipsum refutant criminantem crimina.

Sed ad emblemma propositum accommodatius Puteanus amicus meus peruetus Vir Clarissimus in quadam Epistola: Bonorum (ait) conditio est omnibus non placere, sed linguæ maliuolæ flabra flectere possunt, non frangere, Arbores fœcundari aiunt aura, quæ nouo vere spirat, sic rectam bonæ ætatis indolem obtrectationes præparant ad verum Gloriæ fructum. Cum de Amomo, & Balsami fructibus scripsissem, rettulerunt amici optimi clam nomini meo ab homuncionibus inspergi conuicarum virus Scorpionum more in angulis latitantium; quos ingenuè affari cum Libero Patre apud Austophanem velim,

Ἐλέγχου ἐλέγχου, λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
Ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπωλίδας.

Arguere, si quid humanitas offendi, Christianum est, maledictis lacescere, barbarum, & ruditatis genuinæ argumentū: proprijs tamē viribus confisus fidenter dicam, infelix Puer, atque impar congressus Achilli, sed non possum ipsos deprimere, quia attollam, & quamuis sapiens Historicus moneat,

nent, conuicia, si irascare, agnita videri, spreta exalescere, cum Euripide tamen profitebor.

Σωφρων καθ' ἡμᾶς σώφρονα ἀντιλήψεται,
Θυμούμενος δε τεύξεται θυμούμενον. idest.

Modestus in nos, inuicem modestiam.
Intemperans intemperantiam feret.

Pulchrè Lipsius, quem plurimi facio, vt culicem molestè circumstrepentem leui manu, & sine ira dispellimus, idem liceat, & deceat in istis putidis criticis, & omnis seriȩ doctrinæ expertibus, qui innoxiam quietem nostram turbant. Talis erit modesta, & Christiana nostra vltio: satis enim est, vt cum Cicerone loquar, & sentiã, si ipsos mores vlciscantur sui: Scitum enim & illud Bacchæ Bacchanti si velis aduersarier, ex insana insaniorem facies, feriet sæpius.



ACAO fructum docet Clusius lib. ij. Exoticorum per vniuersam Americam celebrem esse, & multi vsus in Nicaragua noui orbis Prouincia pomi quoddam genus peculiare esse, neque Hispaniolæ, neq; vlli alteri Indiæ parti concessum; Pyri nostri fermè esse specie, ligno interiore rotundo, nucis crassitudine, & dimidio amplius, optimi, & iucundissimi saporis: Arborẽ proceram exiguis folijs vestiri: eã Prouinciam ab Hispanis ob rerum omnium vberrimam copiam Paradisum Mahumetis vocatam: Hæc ex Clusio Benzoni Militis testimonium afferente.



AIOVS fructus est oui Anserini forma, & magnitudine, qui succo plenus est, veluti id Citriorum genus (ait Clusius) quod Liman vocãt, nos Limoni Italicè nominamus; hoc vescuntur Brasiliani, & ab eorum regione interdum. Vlyssiponem adfertur: in extremo fructu prominat nux quædam renis Leporini forma, coloreo cinereo, interdũ ex cinereo rubescẽte:

Duplici

Duplici nux conſtat cortice, inter quos ſpongioſa eſt materia oleo aſperrimo,& calidiſſimo plena, intus nucleus eſt eſui aptus Piſtacijs ſaporis ſuauitate non cedens: eo leuiter toſto veſcuntur incolæ: gratior enim eſt, & Venerem ſtimulare creditur. Acri illo oleo nihil efficacius ad lichenes, & impetigines tollendas: illud mirum primarium fructum nulla ſemina continere: extremo nuce arborum ſpeciē propagari, nonnulli ob ſimilitudinem illius acris humoris anacardiorum genus eſſe exiſtimant.



HASEOLI Braſiliani Cluſij vnciam longi, ſemiunciam lati Spadicei coloris, & circa hilum fuſcum candicantis: hi prælongo lobo incluſi decem vnciarum longitudinem habente vnius autem vnciæ latitudinem, aut paulo ampliorem Cartilaginea cute tecto, vt diligenter deſcribitur à Cluſio, qui etiam ſubdit in Scholijs ſuis pereruditis ad Monardum quatuor, vel quinque in ſiliquis prægrandibus contineri recentes, ac virentes adhuc tuſos, ac impoſitos Venereos Bubones curare.



HASEOLVS Nigritarum, cum ſuo lobo ex Guinea delatus, cuius lobum deſcribit Cluſius, in quo terni, aut plures fructus quibuſdam veluti cellulis diſtincti continentur huiuſmodi lobos ſibi ab amicis communicatos fatetur, ſicuti & Phaſeolos nudos, nulloq; lobo incluſos, quales Vlyſſipone ſe nactum recēter ex Pernambuco Americę allatos Spadicei coloris illos, & Macouna appellatione inſignitos; Hi omnes in Theſauro noſtro aſſeruantur; & facilè cuique oſtenduntur. Lobus porrò ſepè ſex interdum ſeptem, & octo vncias longus, penè binas latus cernitur, planus, ſinuoſis oris, corti-

ce non valdè craſſo prædìtus , externa parte nigro , valdè rugoſo, tumente qua parte Phaſeoli incluſi, interna cinereo cuſpide longa, & mucronata.

Hîc Phaſeoli Nigritani, & Braſiliani, cum eorum lobis imaginem expreſſam ſubijcimus.





LIOS quippe complures Phaſeolos Theſaurus noſter CALCEOLARIVS aſſeruat alterum, ſcilicet Guinea aduectum non valdè magnũ pro lobi amplitudine nigrum longo hilo ſiliquæ, vel lobo inhærentem: tertium ex Guinea pariter allatum ſuperiori maiorem Spadicei coloris, nec hilo adeò longo præditum ex præſcripto Cluſij lib. ij. Exoticorũ, alios etiam in Muſæo obſeruamus mira colorum varietate præditos ex America, Aphrica, atq; alijs peregrinis regionibus procul à noſtro orbe diſſitis; alij enim cernuntur maiuſculi, alij minores candidi prorſus, flaui, cinerei, fuſci, atri, rubri, amethiſtini; alij varijs coloribus diſtincti, albo & nigro, rubro & nigro, flauo & nigro: extat & Phaſeolus vncialis longitudinis, ſed anguſtus, ſolidus, durus, nigricans, in binas partes diuiduus tenui membrana alba obductus, de quo Cluſius, nec non alius ab eodem deſcriptus ſemiuncialis magnitudinis, lęuis, Spadicei prorſus coloris excepta parte ſupina qua lobo adhæſit, durus, ſolidus, qualem à Caſtaneda Medico Hiſpalenſi ad ſe miſſum fatetur, cum hac inſcriptione, Capotillo del Aldana. Hos partim ab amicis donatos ſibi profitetur CALCEOLARIVS Iunior, partim à ſe non ſine ſtudio, & impendio comparatos, & conquiſitos, cũ locupletandi Muſæi mira ſollicitudine ſuperioribus annis vrgeretur patefactis Luſitanorum induſtria nauigationibus, vnde ex nouo orbe multa peti poterant, quæ à maioribus noſtris vel nullo modo, vel ſumma cũ difficultate obtineri videbantur.



E Nuce Indica Mattheolus, & Amatus Luſitanus optimè ſcripſiſſe videntur, hic vberius, & preſſius: Fructus eſt in Myropolijs vulgatiſſimus Arboris palmæ effigie, magnorum Melonum inſtar prægrandis magna inuolucrorum mole obtectus: Contendit Amatus per elatem Dioſcoridem inuolucrum, & operimentum huius fructus intelligere Περινάλλωμα τῦ καρπῦ τῦ φοινίκων ἀνθῦντων, hoc eſt florentium

palmarum fructus operimentum: Nucem Indicam ex India in Lusitaniam ferri, & indè in varias orbis regiones distrahi; apud insulas Capitis Viridis prosperè crescere: fructus magnitudine capitis humani. Cortice crasso primo vestitur subnigro ad ruborem inclinante; qui licet in superficie durus, callosus, & tenax sit, intùs tamen mollis videtur, & capillato inuolucro texi: hoc Cortice deposito fructus occurrit rotundus Oui anserini magnitudine Cortice amictus crasso, ligneo ad ruborem vergente, in quo medulla inclusa parte exteriori eiusdem cum cortice coloris: Pars interior lactea concaua aquã magni pretij continens: hunc corticem elatem, quoq; vocare Dioscoridem existimat Amatus, Borassum alij vocant: Medulla interior candida est, & saporis gratissimi, multum genitalis seminis gignens, idcircò conditis ad irritandam Venerem dicatis miscetur, Palma huiusmodi fructum ferens, cum ex ea multæ res ad vsum humanum accommodatę colligantur, pauperis refugiũ dici tradit: Verum fructus ea præcipua vis ad strigosas, & macilentas mulieres impinguandas, ideò prçclarè à Clarissimo Mattheolo scriptum lætiore sagina corpora reficere Nucem Indicam, eius oleum vtiliter hęmorrhoidibus inungi: Plinius lib. xij. per elaten abietem arborem designare videtur; Galenus palmæ tenellum quoddam germen Encephalon cerebrum, vel medullam in se continens: In quã sententiam mox concedere visus Amatus, licet ab eadem planta colligi Encephalum, & Nucem Indicam palam profiteatur. Verum & Mattheolus nasci Elatem ex ipso Caudice inter primos ferè ramos duarum Spithamarum longitudine, docet appicta imagine ex Gabrielis Fallopij Viri Clarissimi, & Ioannes Iacobi Cortusi Patauini testimonijs. Cæterum Garzias, & Clusius lib. primo de aromatum hist. Nucis Indicæ plantam veteribus Græcis incognitam, & ab Arabibus ferè neglectam docent; nullam hæc palma Indica arboré aptiorem vsibus humanis inueniri: Tegi Nucem adhuc recentem tenero admodum cortice cinarę, dum gustatur, saporem referente, constare tenera valdè, & dulci medul-

medulla, quæ in se conclusam aquam suauem,& dulcem habet, & multo tempore durantem, quantò recentior est nux, tantò eius suauior liquor; Nuces recentes siccatæ, & superiori cortice delibratæ,& confractæ ab indigenis Copra vocantur. Ex his oleum magna copia limpidissimum torculari exprimi, non solum ad lucernas vtile, sed etiã coquendæ orizæ aptum: Duplex verò olei genus indè exprimi docet Garzias, vt apud ipsum cap. xxvj. legere est, illud non omittendum Duplici cortice integi Nucem extimum villosa materia compactum esse: ex eo rudentes, & funes effici, qui incorrupti maneant in aqua marina, ex eadem materia villosa Cairo Malauaribus dictum effici, ex quo stupæ loco naues obturari, & stipari; putredini enim magis obsistit, & aqua marina imbutum inflatur, & densatur, & proindè stupis longè præstat: Qua de re Garziam loco citato diligenter Consule.



VNGO etiam Exoticum semen Musæum præfert, quod viride primum, mox per maturitatem fit nigrum, Coriandri sicci magnitudine, vt testatur Garzias, Pabulum equorum existit, interdum tamen, & ab hominibus editur, Guzarate, & Decan incolis in febribus vsurpari, nã & fructus decoctum illis propinatur, qui febre sunt correpti, & cortice delibutum Mungo instar orizæ exhibetur, quo intelligitur eius facultatem esse refrigerantem: In Palestina etiã nasci huiusmodi semen ferunt, de quo Auicennas lib. 2. cap. 481. Messe, vel Meus vocari ait, sed Mex dici debere se ab eruditis Arabibus Medicis edoctum esse fatetur Garzias cũ & alibi prohibeat Auicennas, cum auiculis Mex edi, quoniam cum facilioris sint coctionis, quam mex, periculum est, ne crudum adhuc Mex, cum earum chylo ad epar rapiatur, quod aureum præceptum in praxi Medica obseruandum, nam auidũ chyli epar trahit, quod concoctum est, cum quo vnà crudum rapi potest.


EHENBETHENE fructus exoticus à Clusio memoratur lib. primo arom. hist. cap. 26. à Viro amplifs. Cortuso ad se Patauio transmissus, quamquam eius descriptioni non valdè quadraret, & eorum sententiam potius amplectendã censeat, qui inter vnguẽtarias Nuces referunt: vnciam longum fuisse, forma triangulari, duro, & ligneo putamine constare, qui confractus tres cellulas habere deprehendatur, in quorum singulis nucleus oblongus, albus, dulcis inueniatur; quæ omnes notæ ad vnguem in hoc Musæi fructu comperiuntur.


NANAS Christophorus Acosta mentionem fecit libro suo de Aromatis: fructus est ex prouincia Sanctæ Crucis in Brasilia in Occidentalem Indiam primum, mox in Orientalem delatus, vbi nunc vberrimè prouenit, Citrij mali minoris magnitudine est admodum flauus, & odoratus, cum probè maturus est: succulentus, & gratissimi saporis, procul intuentibus cinara videtur, sed pungentibus aculeis caret; singulæ stirpes cardui edulis magnitudinem æquant, cum primũ in Indiam illatus est fructus, singuli decẽ ducatis æstimati sunt, nunc propter abundantiam (ait Acosta) vix duobus regalibus Castellanis veneunt; calidus, & humidus est, editurque maceratus in vino, vti Persicum malocotoneum, facilis est concoctionis, sed nimius eius vsus inflammationes parit: Testatur porrò Clusius ex Iaua naucleris redeuntibus aduectum huiusmodi fructum saccharo conditum, fuisse quidem eum fructum satis suauem, sed qui ob nimiã dulcedinem ipsi nauseam facilè excitaret, eius partem intimam duriorem, & difficilis (vt apparebat) fuisse concoctionis.


XOTICVM fructum BONDVCH nomine à Turcis in Alexandria Ægypti vendi in confeſſo eſt, cui admirandas adſcribunt vires: vt venalem mercem laudatam, cuius facilè poſſint obtrudere: Hunc ab infantibus geſtatũ amuletum eſſe pręſentaneum ad quaslibet res aduerſas auerrucandas, quemadmodum de lapide Molochitę à Plinio ſcriptum Viri eruditi obſeruarunt, quem propterea infantium cuſtodiam nuncupauit; Aduersùs etiam Venena omnia, hemicraneam, colicum dolorem, quartanam, plurimum valere iactant; ſed certis experimentis nihil adhuc conſtat: qui in noſtro rerum naturalium penu aſſeruatur, Nucis paruæ craſſitudinem obtinet, læuis eſt, pellucidus, cinerei coloris, lapidea ferè duritie præditus, quamquam in aquam coniectus ſupernatare videatur: Talem cap. xxx. lib. ij. Exoticorum deſcripſit Cluſius primum nimirum fructum, nosq; ex eius teſtimonio nonnihil alibi de eo perſtrinximus.


ARVB aluum ciens à Guinea dicitur afferri, & ad locupletandum Theſaurum Francisco Calceolario Iuniori Venetijs olim tranſmiſſa: Ab Alpino Viro doctiſſimo inter Ægypti Plantas Arbor Carub, vel Carnub dicta recenſetur: In Neapolitano Agro, & in Apulia huiuſmodi Arbores complures ali inconfeſſo eſt: Ex hac Arbore ſiliquarum vſum duntaxat agnoſcere Ægyptios teſtatur Alpinus: Ex ijs mel elici dulciſſimum, quo Arabes Sacchari loco mirabolanos, Tamarindos, atque alios condiant fructus: ad Clyſteres huiuſmodi mel adhiberi, à multis etiam per os ſumi ad aluum ſubducendam, quoniam eo non minùs, quàm pulpa Caſſiæ aluus proritatur; ad Tuſſientes, & Aſthmaticos non ſecus, quam Caſſiam exhiberi; ex Siliquis paratum decoctum, hæc eadem pręſtare.

Cæterum Charub, vel Charnub nomen reuocat mihi in memoriam

moriam locum Diui Lucæ Medici, & Euangelistæ cap. xv. vbi filium illum Prodigum scribit desiderasse ventrẽ replere ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι ex Siliquis, quæ à suibus edebantur. Siliquarum nomine legumina intellecta, aut leguminũ opercula, ex Horatij, Persij, & Prudentij testimonijs scribit Causabonus in Persium Commentario: In eo tamen Diui Lucę loco κεράτια, aliter accepisse Theophylactum, hoc est pro Arboris Siliquæ fructu, quem ξυλόγλυκα vocatum testatur, quem Arabes Charnub interpretãtur: Galeni, verò, & Dioscoridis κεράτιον in Arabum Medicorum libris passim Charnub vocari: Nos Itali dempta .N. Charuba nominamus: Veronenses mei præcisè Charobola: Iam verò cum per litteras Viri doctissimi Pignorij, quem sæpè honoris causa in Musæo nominatũ volui, Iudicium de eo D. Lucæ loco olim exquisiuissem, respondit, vt humanitate, & doctrina nemini Italorum est secundus: Vera enim, & solida eruditio morũ candorem, & humanitatem secum naturali veluti cognatione iunctos trahit; eruditio ab ijs disiuncta simulatio est doctrinæ, & mera nugarum nundinatio, vel inflati ingenij ostentatio; Is igitur respondit per vocem κεράτιον, siliquã scilicet se intelligere Caroban nostrã, tum quoniam Gręci auctores probatiores ita accipiunt, tum quia ex latinis multi, inter quos Columella, & ex recentioribus complures; præterea in Codice Hebræo Euangelij D. Lucæ Parisijs à Io. Benenato excuso loco vocis κερατίων Hebræam vocem legi Charobo, aut Charobà. In illum D. Lucæ locum Maldonatum Auctorem non infimi subsellij hæc scripsisse, Porcis in calidioribus regionibus, vbi magna earum est copia, dari solent: testatur porrò idem Pignorius in Cairo Memphi nempè vetusta Ægyptij Vrbe suibus exhiberi, in quã Vrbe ex Cypro copiosum Charub aduehitur: In Hispania equis, vt pinguescant: Sententiæ Maldonati subscribere Iansenium, qui Euthymium, Theophylactum, & Chrysostomum testes laudat: Assentiri & Petrum Chrysologum, qui circiter annum CCCCL. à Christi natali vixit, cum ait; Hoc norunt Epicurei, qui cum Platonicas, & Aristotelicas percurrunt

currunt scholas, nullaque illic aut diuinitatis, aut scientiæ inuenirent disciplinam Epicuro se tradunt vltimo desperationis, & voluptatis Auctori, & manducant siliquas, hoc est voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant, & quæ sequuntur in sermone scilicet in eandem parabolam. Aliquid etiam ponderis habere auctoritatem Leonardi Porti docuit Pignorius, qui in suo libro de Ponderibus, hæc habet, quia quam vulgò nos Carobam, Antiqui Siliquam, Græci Ceratium appellabant, & indè Charatos corrupto vocabulo dictos credi par est; Præterea Turnebus lib. xxvj. aduersar. cap. xxiv. hac in re Lambinum sequutus scribit κεράτιον, apud D. Lucam accipi pro fructu, & cibo vilissimi pretij; Qui etiam diligenter expendat Plinium in calce cap. xxvij. & initium xxiv. cap. lib. xv. facilè colliget prædulces Siliquas suibus pro cibo attribui.

Platina etiam tertio lib. de Popinæ scientia Siliquas scribit Charobas vulgò appellamus: Ioannem etiã Brugerynum lib. xi. de re cibaria cap. xxxiij. multa hac de re nec contemnenda memoriæ prodidisse, cum mihi significarit Clarissimus Pignorius, obseruatum est à me auctorem illum perperam fortasè damnare Aëtium Amidenum inter Græcos magni nominis Medicum, quòd vim ciendi aluum Charub attribuit, quæ facultas profectò Charub ab Alpino descripto valdè congruit, vt ostensum est: licet Paulus Ægineta difficiles concoctu siliquas, aluum cohibere, malique succi esse tradiderit, & Galenus censuerit Siliquas abdicandas esse ab hominum cibo, & relinquendas populis Orientalibus, vndè deportari solent.



IAM verò, cum amici optimi non ignorarent cupidissimum locupletandi Musæi, & in dies adaugendi esse FRANCISCVM CALCEOLARIVM Iuniorem, Pompeius Sprecus ornatissimus Seplasiarius os quodam trifidum, vel naturaliter tripartitũ ei superioribus annis donauit sub nomine Ossis Ficus Indici, quod in κειμηλίῳ nostro asser-

uatum oſtenditur ; eius verò nomenclaturæ fides ratio, & iudicium penes Spreccum eſto.



ARYOPHYLLVM Plinianum, cum folijs, & hîc adeuntibus moſtratur, cuius meminit Plinius lib. xij. cum ait, Eſt etiamnum in India Piperis grani ſimile, quod vocant Caryophyllum, grandius, fragiliuſque. Porrò auctor eſt Garzias Arborem eſſe Lauri forma, & magnitudine, folijs etiam Laurinis, ſed anguſtioribus: Cum verò Cluſio Icones Caryophyllorum alibi poſitę minùs ſatisfacerent: in Auctario aliam poſnit, nactus ramulum, qui fructus rudimentum iam formatũ, & florem nundum explicatum ſuſtinens, & rudimentum formari incipiens, foliaque haberet.



RVCTVS ſine nomine Indicus à Cluſio deſcriptus quinto loco lib.ij. Exoticorũ cap. xxx. Prorsùs (ait) ſphęrica erat quinto forma, magnitudo globuli minoris ſclopi, putamen eiuſdem cum præcedente coloris, & perpetuis etiam tuberculis, non adeò tamen craſſis obſitum, nullaque linea cinctum, mox ſubijcit Cluſius; hæc duo poſtrema alicuius fructus duntaxat erant Oſſicula: aiunt porrò ad auriũ ornamenta Indos huiuſmodi fructus adhibere.



NDICVS fructus pariter, abſque nomine Corniculis perſimilis, cuius integram plantã Venetias clariſſimam Europæ Vrbem, & Emporium delatam anno 1621. inconfeſſo eſt, huius fructus ad CALCEOLARIVM Iuniorem tranſmiſſi, tamque viſu, & contrectatu curioſiſſimi, vt eius Theſaurus Exoticarum rerum adhuc magis exornaretur: Huius fructus hic Iconem expreſſam nunc primum damus.

FRV-




E Oregialla Musæi sic scribit Clusius lib. ij. Exoticorum cap. XVI. Sit ne Cortex ab aliquo fructu detractus, cui Duodecimum locũ do, an aliud quidpiam, prorsus hærebam, nec qui ad me mittebat, quicquam de ea re scribebat (quod etiam ij faciunt, qui CALCEOLARIO nostro res exoticas mittunt) Schędæ duntaxat, in quo inuolutus cum sequente fructu, adscriptum erat Oregiella, nuncupari, atque ex ea cum admisto

fructu Cacao ſimili, fieri potionem incolis vſitatam: Eſſe vero hunc Corticem, ſi Corticem vocare licet, vncialis magnitudinis, reflexis oris præditum, craſſiuſculum, & ſatis durum, aciduli ſaporis, & ſaliuam cientis, cinereique ex fuſco coloris.



EMINA ex India recens allata, quorum ignoratur nomẽ, mali aurantij colore tingũt, & veluti purpuriſſo, quem Chremeſi vulgari voce appellant, mirabili naturæ artificio, quæ ex plantarum ſemine, non tantum ex metallicis ſuccis, aut terris coloris venuſti copiam, & varietatem Indis parat.



RVCTVS à Cluſio deſcriptus lib. ij. Exoticorum cap. xxix. qui ex ordine eſt ſecundus: Iuglandis penè magnitudine, extima parte latiuſculus, totus rugoſus, atque vt Nucis iuglandis putamen inæqualis fuſci coloris, ſed magna ex parte veluti cruſta quadam duriſſima, & cinerea tectus, leuis, & exigui ponderis, licet admodum ſolidus, & ſaxea duritie præditus, nec minùs in aqua ſubſidens, quam lapis.




RVCTVS Indicus, cuius nomen ignoratur recens ex ijs regionibus aduectus; CALCEOLARIO Iuniori donatus συτάσει, ac compage Flori perſimilis: cuius Iconem libens exhibuit, cum hactenus à nemine figura expreſſam exiſtimet.

CON-




Onsimilis Fructus ex India nuper allatus, cuius nescitur nomen, ad animi deliquum plurimum valere creditur, nec aliud quidpiam ab ijs, qui donarunt, videtur adiectum, huius & figuram à nemine expressam primus libens exhibet Calceolarius.



34

E COCCO de Maldiua appellato scribit Garzias Hortus, & Clusius lib. primo de Arom. historia; non seligemus, quæ ad Musæi Coccum potissimum faciunt: Niger igitur est huius Cocci cortex, & nitidior vulgari Cocco, figura ouali magna ex parte, nec ita rotunda, vt vulgaris, medulla, siue pulpa interior, quæ siccata dura est admodum, & candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans, in superficie rimosa est, & valdè porosa, nullo sapore excellens, Subdit Garzias, Dosis huius medullæ ad grana decem, cum vino, aut aqua pro morbi ratione, ac natura: probari enim huiusmodi Nucem, vel Coccum ab illarum Insularum incolis aduersus venena, colicos dolores, paralysim, epilepsiam, atque alios neruorum affectus: addit Clusius, medullam huius Nucis siccatam venalem Vlyssipone reperiri eius facultates omnibus Alexipharmacis præferri, sed non esse statim fidem adhibendam commentitijs istis facultatibus, vel Garzia ipso iudice, commonet: Persuasio enim, & imaginatio facit sæpenumerò, vt nos commodum ex aliqua re sensisse profiteamur: sed quod est per se, & vniuersali experimento comprobatum distinguendum diligenter ab eo, quod accidentaria, & fortuita obseruatione sese insinuat: Vascula porrò ex hac Cocco de Maldiua confecta se cum Vlyssipone, tum alijs in locis vidisse testatur Clusius, oblongiora plerumq; ijs, quæ ex Cocco vulgari parantur, magisque nigra, & nitida: Reliqua apud Garziam, & Clusium curiosus Lector perquirat; Iam verò Cochi Maldiuij, cuius Iconem expressam damus; quivè in Musæo repositus cernitur, magnitudo est effatu digna, sexquicubitalem enim Peripheriam æquat, vt omninò fatendum sit ab Exoticarum rerum peritis nihil in eo genere nasci in Europa, quod cum eo iurè conferri possit.

ALTER





LTER etiam Peruanus Cochus nimirum, quem dell'Andi appellat in nostro Thesauro reperitur, quem accuratè descriptum legimus à Iosepho Acosta Soc. IESV Auctore præstantissimo lib. 4. hist. naturalis, & moralis Indiarum: Is igitur Auctor ex Hispanica lingua in Italicam versus à Io. Paulo Gallucio Salodiano Academico Veneto, an latinus extet, sanè ignoro: is igitur nostra opera sic latinè: Reperiri nimirum aliud Coccorum genus, quæ medullam à cæteris discrepantem obtinent, Nuces enim veluti amygdalarum copiam intùs conclusam obtinent, qualia grana in pomis Cydonijs inserta conspicimus, has amygdalas triplo maiores esse ijs, quæ castellæ habentur, sapore persimiles, tametsi aliquanto acriores, sunt etiam succi plenæ, & acidæ, optimi succi, haberique inter delicata edulia, vt martius panis, & alia huiusmodi: Quoniam verò apud Andos Peruanos maximus est earum Nucum prouentus, idcircò Amygdalæ dell'Andi nuncupantur: Ea porrò prẹditæ sunt duritie, vt insigni lapidis ictu egeant, vt aperiantur, & confringantur, si ab Arbore suo super caput alicuius fortuitò decidant magnam cerebro, & craneo labem infligunt: Illud videri incredibile subijcit Acosta in mole illa, quæ alijs Cochis non est maior, aut saltem paulò amplior tot amygdalas contineri. Sed consulendus diligentissimus, & optimus Scriptor Acosta, si vberiorem tractationem Lector concupiscat. Huius porrò Andini Cocci figuram, quoad fieri potuit naturali consentaneam hîc expressam exhibemus.

Cap. 26.

GVMMI




VMMI, seu Resinæ genus ex noua Hispania delatum ab Indis Tacamahaca nuncupatur; Ex vulnerata Arbore colligitur magna vt Populus admodum odorata, cuius fructus ruber est, Pęoniæ feminis modo, ait Nicolaus Monardus; colore est Galbani, odore graui, atque etiam sapore Tacamahacam, adeout prunis iniecta, & naribus admota mulieres præfocatione laborantes illicò liberet, omne tumorum frigidorũ genus maturat, ac resoluit, dolores etiam omnes à frigidis succis, & flatulentis genitos tollit emplastri modo adhibita, non liquescit, sed adeò tenaciter semper adhæret, vt auferri, nisi opere perfecto non posſit, dolorem dentium sedat, dentibus etiam corruptis, indita, qui si ea vstulentur facilè præseruentur, ne corruptio longius serpat, ex ea, & Styracis tertia parte, & Ambari momento emplastrum fit stomaco longe vtiliſſimum: celebris est eius vsus, quoniã præter resoluendi vim, adstrictionis etiam particeps est, quare & in inflammationum etiam calidarum declinatione ad discutiendum vsurpatur, calida initio tertijs gradus, & sicca in secundo.


ARANA lingua Indica Resina dicitur, colore Tacamahacæ, sed splendidior, liquidior, & densior, odore etiam eiusdem gummi, sed grauiore, Pinguis est, oleaginosa, & proindè tenax, sine multa agglutinatione, & colliquatione: Ex continentis parte interiore per Carthaginem, & nomen Dei defertur, teste Monardo: Ad eosdem tumores, & dolores laudatur, quos Tecamahaca curare solet, & minore temporis spacio facultatem suam promit, immo quos Tacamahaca non curet, Carana sanat. Mirifica eius vis in Articulorum doloribus, nam imposita facilè illos curat, modò nullus sit calidorum humorum influxus: Vulnera recentia neruorum præsertim & iuncturarum nullo alio admisto medicamento

persa-

persanat, secundum caloris gradum excedit vti superior vulnerato arbore colligitur: ex eadem Carthagine Caranã alia purior affertur: Chrystalli instar limpida, & superiore odoratior, qualem in Musæo CALCEOLARIO asseruari conspicimus.



COPAL Resina est valdè candida, lucida, & transparens ex noua Hispania delata: Vulnerata arbore guttatim stillat liquor albus, qui statim concrescit: Gomara in Mexicana historia duo Copalis genera facit (ait Clusius) alterum rugosum, molle, Thuri simile, alterum præstantius, quod plerique Myrrhã existimarunt: magnis fragmentis citrio condito valdè transparenti, haud dissimilibus habetur, satis odorata: Suffumigij loco Indi vtuntur; idcircò cum Hispani illuc appellerẽt, Sacerdotes in Templis huiusmodi suffitibus naribus eorum admotis eos excipiebant; Calida secundo gradu, humida primo existit, proindè resoluit, ac emollit ob partes aqueas, quibus est prædita.



EX eadem noua Hispania defertur Anima Arboris lachryma, seu Resina candida ad Thuris colorem nonnihil vergens Copali magis oleaginosa; Granis Thuris, sed crassioribus affertur, quæ confracta luteum colorem veluti Resinæ patefaciunt, gratissimi, & suauissimi est odoris, & igni imposita facilè liquescit, & absumitur. Ex Arboribus mediocris magnitudinis vulneratis colligitur non aliter, quam Thus, & Mastiche: in capitis morbis frigidis potissimum præcipuus eius vsus, cubiculis per hyemem, capitis operimentis dormire sub noctem volentibus suffitis, caput enim roborat, quod pariter suffitum à Cephalęa, & Hemicrania vindicatur, Thuris vicem supplet, calida est secundo ordine, humida primo. Myrrha Arabica, vel Minea à quibusdam existimatur à do-

ctissimo Hermolao Barbaro descripta, cum multa Myrrhæ genera ex Plinio, & Dioscoride in suo Corollario recenseat.


NIME porrò Orientale Resina est candidior, & lucidior; magnis etiam fragmentis affertur translucidis, vt idcircò nonnulli genus Charabe, vel Succini esse putarint, quã Ambarum colliquatum vocant, è quo sphęrulæ precariæ tornentur: Hos hallucinatos verè contendit Monardus, cum Succinum Bitumen sit, hamis ferreis ę mari Germanico erutum è fontibus enim in ipso mari manat Bituminis modo, atque aëri expositum statim cogitur, & densatur, vt ex maris purgamentis, & eiectamentis colligitur, quæ in fragmentis illis magnis erutis cernuntur: quare ridiculus etiam illorum est error, qui Populi, aut Pini lachrymam esse succinum putarunt: Hermolaus à Pagi nomine Anime appellari docuit, vicinis, nempè locis Pago, vbi Thus nascitur.


IQVID' Ambar Resina est effluens ex arboribus vastæ magnitudinis, pulchris, ramosis, folijs hederæ similibus, cortice crasso, & cinereo, qui incisus crassum Liquid' Ambar eiaculatur, cui Cortex comminutus admiscetur, vt suauius, & diutius in Suffitibus spiret, teste Monardo; Crassa profectò, & elegans Resina, cuius color in cinereo nigricat, ex noua Hispania delata: Ocozol Arborem Indi vocant: Resina calida in fine secundi gradus, humida in primo. Ad morbos frigidos eius vis mirifica, omnigenosq́, dolores à causa frigida mitigat, cerebrum, & ventriculum cum Styracis, Ambari, & moschi momento emplastri consistentia mixtũ, & super Alutam extensum plurimum iuuat, & roborat: Ex ea Resina recens collecta, & reposita tenuior eius pars stil-

ſtillans oleum de Liquid'Ambar dicitur perfectiſſimum ſanè, & Reſina propria ſuauius, tertio ferè gradu calidum: ſunt & qui expreſſione eliciant, vt maior eius colligatur quantitas, nam Chirothecis imbuendis plurimum abſumitur, ait Manardus: ad eoſdem morbos frigidos valet, tumoribus, & obſtructionibus vteri prodeſt, & menſes prouocat.



STYRAX Lachryma eſt inſtar gummi è propria ſtillans arbore malo cotoneæ ſimili, teſte Dioſcoride, qui præferri ait ſordeſcentē flauum reſinoſum albicantibus grumis; diù in ſua odoris gratia permanentem, qui dum mollitur melleum liquorem reddit, qualis è Cabala vrbe aduehitur, καβαλίτης enim legendum eſt ex Plinio, Orabaſio, & Marcello: non χαλαμίτης vt Manardus cenſuit, quod optime à doctiſſimo Mattheolo obſeruatum, licet Galenus primo de Antidotis allatum Styracem in Calamis ex Pamphylia ad Theriacæ confectionem valdè probet, eumque cæteris præferat, vt Falernum cæteris Vinis, quæ à Cauponibus venduntur, præferendum: in Calamis porrò includebatur, ne ſuauis expiraret odor, ſicuti Theophraſtus ob eam cauſam in ferula, vel arundine incluſum dictamnum tradit, ne vis eius expiraret: idcircò ab officinis Styrax Calamita vocatus, vera, licet inepta appellatione, non quod liquidus Styrax fuerat, & propterea Calamis incluſus, vt putauit Fuchſius iurè ab eruditiſſimo, & excuſſi iudicij Viro Mattheolo reprehenſus (liquidum enim illum vocatum Styracē Myrrhæ Stacten eſſe exiſtimat) nullus enim veterum Styrax liquidus, ſed lachryma reſinoſa eſt inſtar Gummi: In ſcobe porrò ſordeſcente legitimum Styracem mirari quis potuit, niſi Ciuis noſter Plinius monuiſſet circa canis ortum ad eum pennatos vermiculos aduolare erodentes. Marcellus tamen contendit, non ῥυπαρόν, ſed λιπαρὸν legendum, pinguem ſcilicet, non ſordeſcentem; vt legit Ruellius, nec Græcorum veterum codicum fides reclamat,

clamat; verba verò Plinij, in ſcobe ſordeſcere, ad adulteratum viſus referre Marcellus, quoniam alibi Plinius non ſolum pinguitudinem, ſed etiam puritatem in Styrace deſiderat. Vtcumque res ſeſe habeat, nos integrum iudicium lectori concedimus, Marcelli, & Mattheoli auctoritas magna, illius tamen in Græcis litteris, & codicibus excutiendis, & explorandis maxima; nec artis noſtræ, aut conficiendæ Theriacæ fortuna in hoc præcipue vertitur: Ex eo in Syria oleum Styracinum fieri docet Dioſcorides, Græcè χρίσμα, vnguentum reddit Marcellus, idque verius mea ſententia, quamquam dolorem capitis efficere grauitatem, & ſoporem, (καρωτικὸν) idem Dioſcorides tradat: Olei porrò ex Styrace conficiendi rationem præclaram tradit Mattheolus: quæ à quouis apud ipſum legi, & expeditiſſimè haberi poteſt.

Non ignoro Arabum, & Mattheoli ſententiam, liquidum Styracem ſcilicet eſſe Stactem Myrrhæ, improbari à recentioribus, qui eum cenſet eſſe, vel arboris Styracis liquidiorem lachrymam, vel mixturam quampiam, in qua creditur Narcathmus Thymiama potiſſimum exiſtere, quamuis Botanici, & præſtantiores Pharmacopęi, nihil certi mihi, & explorati retulerint, cum eos diligenter de hoc liquido Styrace interrogaſſem.



CARYOPHYLLIFERÆ Arboris gũmi ſponte ab arbore refudans ex atro colore rufeſcit, odorem ſuauem manibus contrectatum exhalat, ſi prunis inijciatur Caryophyllaceum pariter ſpirat odorẽ, Auicennas lib. ſecundo, tale gummi ſimili facultate præditum, cum Reſina Therebintina ſcripſit, ſed percunctatum ſe Garzias fatetur ab ijs, qui ex Moluccis Caryophyllum aduehunt, qui negarunt ſe huiuſmodi gummi vidiſſe; verum omnes Arbores gummiferas eſſe, præſertim ſi vulnerentur, haud inficias eumdum.

CEDRIA


EDRIA Lachryma eſt translucida, & ſolidior ex Arboris Cedri cortice ſuapte ſponte reſudat coloris eſt flaui, craſſa, validi odoris, quæ dum effunditur guttatim, non diſſipata coit, κατὰ σταλαγμοὺς ἐπιδιαμένοντα, concretis ſtillicidijs ſe ipſum continet, vertit doctiſſimus Marcellus, cui ea vis ineſt, vt defuncta corpora conſeruet, viuentia corrumpat, ait Dioſcorides, qua cauſa νεκροῦ ζωὴν, mortui vitam, aliqui appellauere; Iurè Bellonius lib. de medicato Funere, & Coniferis arboribus à Mattheolo damnatur, quòd Cedriam à Picea, tęda, laricæ Iunipero, atq; alijs huiuſmodi fundi putarit, eamque vim ipſis tribuerit, cum ſola Cedria à Cedro reſudans ex Theophraſto, Galeno, Dioſcoride eam obtineat: non βαρεῖα τῇ ὀσμῇ graui ſcilicet odore, ſed εὔτονος τῇ ὀσμῇ ex vetere manuſcripto legendum apud Dioſcoridem contendit pręſtantiſſimus Mattheolus, hoc eſt vehemens odore, vel valdi odoris, vt Ruellius: grauis enim odor vix ferri poteſt, nec Circe delicata Meretrix in nocturno lumine Cedriam grauem odore vſiſſet cum tamen Virgilius optimus Poëtarum, & doctiſſimus ſcripſerit,

Vrit odoratam nocturna in lumina Cedrum.

Vehementi ergo odore, ſed ſuaui, & iucundo prædita eſt, commanſa tàm pertinaciter dentibus adhæret, vt vix auelli queat, antè coitum (ait Dioſcorides) peruncta genitali abortiuum fieri conſtat, ſic vertit Ruellis ἀτόκιον; commodius Marcellus ſterilitatem facit. Legendus porrò Hermolaus in Corollario, qui Cedriæ vſum damnaſſe Plinium docuit, ob ancipitem eius proprietatem viuentia perimendi, perempta cuſtodiendi; cuius tamen rationem præclaram ex Galeno adducit. Eſſe enim infirmiſſimum ſepticum, ideo viuentibus additum, vitali calore adiuncto, accendi, atque ita iugulare: in defunctis putredinem, & vitioſos humores exterere, atque abſumere, quibus detractis incorrupta ſeruari: Conſule Corrollarij librum primum, Commentarium

Mar-

Marcelli, & Mattheoli, qui multa non contemnenda de Cedria memoriæ prodiderunt.



VAYACENI Arboris Gummi vulnerato Cortice resudens, vel etiam fortaſsè sponte effluens cum Corticis fragmento ex Trinitate Insula delatum se accepiſſe profitetur Clusius, quod calidi saporis erat, & manducatum dentibus cedebat instar Resinæ masticinæ, fusci tum coloris, consimile gummi illius Arboris in Musæo CALCEOLARIO, quod describimus, aſſeruatum vidimus: suo addita fuiſſe folia Ziziphinis, forma, & magnitudine non multū absimilia scribit Clusius.



VIDNAM eſſet Lacca diù se dubitaſſe Garzias Hortus Proregis Indiæ Medicus doctiſsimus fatetur lib. primo de Aromatum hist. tandem multorum testimonijs se comperiſſe in Pegù, & Martaban vastam Arborem inueniri; folijs Pruni, in cuius surculis, & minutioribus ramis magnas formicas in terræ visceribus, alijsque locis enatas hanc Laccam elaborant, vt Apes mel conficiunt, materiam ex ipsa arbore exugentes; hos deinde ramulos ab Arbore reuelli, in vmbra siccari, ijs excidentibus Laccam ipsam veluti in Tubulos concretam manere; interdum tamen ligni fragmenta inhærere; meliorem iudicari, quæ syncera sit, & ligni fragmentorum expertem; multos se vidiſſe Laccam ijs in Arboribus affirmaſſe; Formicas autem illas Laccam elaborare, indè manifestum eſſe, quod plerumq; formicarum Alæ Laccæ permistæ conspiciuntur: Præmansam hanc pulcherrimo rubro colore inficere: quod & Clusius in adnotatioribus docet: etiamnū scilicet Laccam, quæ aduehitur circa ramulos elaboratam eſſe, quamuis præduram, & exsuccam præmansam tamen

sputum

ſputum efficere ſanguineum; hoc probitatis eſſe indicium: Alutas, & veruecinas pelles, illa contuſa, & vrina veteri macerata rubro colore ex altera parte infici: Auicenna lib. ij. Laccam Mirrhæ perſimilem facit, odoratam, & Charabæ nonnullas vires ſimiles obtinere ſcribit: Verum deceptus eſt, quoniam nec Lacca odorata eſt, in ramis etiam extimis elaboratur, vt dictum eſt, at Myrrha ex ipſa arbore extillat: obſtructiones aperit, at Charabę glutinatoria eſt, & adſtrictionis particeps, erroris fons indè manauit, quoniam Laccam Auicenna, & Serapio eſſe Cancamum Dioſcoridis putarunt; illa tamen minimè odorata, hoc ad ſuffimenta vſurpatur, quod grati odoris iudicium: nec in Arabia naſcitur Lacca, vt cenſet Serapio, ſed in Arabiam ex India deportatur: ita Arabes Auctores, vel rerum imperitia, vel interpretum ruditate multa in Medicina perturbaſſe deprehenſi: quid porrò Cancamum verè ſit, apud Amatum Luſitanum perleges lib. primo in Dioſcoridem enarratione xxiij. cui etiam Cluſius tantus in re Botanica vir adſtipulari videtur.



SVCCVM vndecimum Ghittaiemou vocatum è Sinarum Regno allatum enumerat Cluſius lib. iiij. Exoticorum, Succus enim potius videtur quam Reſina; valdè purus eſt nullis ſordibus infectus, fului coloris, paululum ſaliua, vel aqua tinctus prorſus flauo inficit colore: illo vti incolas, teſtatur idē Cluſius, ad aqueos humores, ſinè moleſtia euacuandum: Doſim eſſe à xv. ad xx. granorum pondus; Hoc ſe feliciter hidropicos curaſſe Clariſſimus Mediolani Medicus Septalius litteris ad me datis profitetur; Subijcit mox Cluſius, initio ob coloris affinitatem, & facultates Aloes Succum eſſe exiſtimabam, propterea aliquantulum deguſtabam, nullam tamen amaritudinem deprehendebam, ſed poſt temporis momentum magnam acrimoniam in gutture mihi excitabat, vt mihi ſuſpicionem moueret Euphorbij Succum eſſe poſſe, quod

iudicium Viri in hisce rebus perspicacissimi, & exactissimi studij non videtur spernendum, donec certior se offeret notitia.



XIAM Chamaleonem esse nigrum multis coniecturis, & argumentis contendit doctissimus Mattheolus, quare decipi illos, qui Ixiam plantam ab vtroque Chamæleone discrepantem esse putarunt, cum ἰξίνη Theophrasto nihil aliud designet, quam album Chamæleonem: quòd verò antea scripsisset Ixiam viscum esse Chamæleonis non sibi vitio vertendum, cum non minùs venenosum sit huius plantæ gummi, quam sit ipsa radix; Verum & si nullam hactenùs Ixiam reperisset in Albi Chamæleonis radice, qui in Italia prouenit, tamen sibi à Iacobo Antonio Cortuso, & à Francisco Calceolario herbariæ rei admodum studioso plures Chamæleonis plantas integras ad se Pragam missas, quæ gũmi illo visci modo lento refertæ fuerant, cuius incommodis succurrere vomitiones excitatas, infusos Clysteres mitiores, & leniores Theriacam, & Mithridatis Antidotum ex Absinthij Romani, aut Santomici decocto potum.

Cum Aspalathus frutex sit, licet humilis ex Dioscoride tamen odoratus suauiter, & gratus non est mirùm si ex eo gummi genus enasci putetur, qualem in nostro, quem describimus rerum naturalium Thesauro, reperiri conspicimus.



ANCAMVM Arabici ligni lachrymam esse Myrrhæ quodammodò similem testatum reliquit Dioscorides virosi gustus, quam ad suffimenta vsurpant: non assentior Mattheolo alioquin eruditissimo Viro, cum illam particulam ex cap. Dioscoridis delendam putat, olidi gustus, βρομώδης ἐν τῇ γεύσει contra veterum exemplarium fidem, licet Paulus, & Serapio ipsam non

non habeant: deceptum etiam Marcellum puto cum vertit viroſo in guſtu odore, ſapor enim non odor obiectum eſt guſtus: cum verò ſcribit Mattheolus virus in guſtu eſſe inditium fętoris, non ſuaueolentiæ fortè legit Galenum noſtrum maximum Phyſicum, qui 4. ſimpl. videtur aſſeuerare amara numquã odorata eſſe, nec vt medicamentum nobis ſuaue, nec vt cibum : verum ne experimentis euidentibus Galenus repugnaſſe exiſtimetur ex Græco exemplari emendandus locus καὶ τοί τό γε πικρὸν οὐδέποτ' ἦν ὡς φάρμακον ἡμῖν ἡδύ, hoc eſt amarum, numquã vt medicamentum ſuaue nobis eſt, hoc enim totum ad guſtatum refertur, non ad odoris fragrantiam : alioquin Theophraſtus vj. de cauſis plant. teſtatur initium boni odoris amarum exiſtere, odoratumque quin amarum ſit, comperiri eſſe difficile, cui ſubſcripſit Plinius Ciuis noſter lib. xxj. ſcribens: Odorato ſapor raro vlli non amarus, è contrario dulcia rarò odorata : argumento ſunt Roſa, Agalochum, Moſchus, Ambarum, Cybetus, & alia eiuſdem generis, quæ odoratiſſima ſunt, & amaritudinem non exiguam præferunt : poteſt ergò Cancamum guſtu viroſum, & amarum exiſtere, & ad ſuffimenta vſurpari, immò eo veſtes cum Styrace, ac Myrrha ſuffiri, Dioſcoride teſte, poterunt, cum ſuauis odor cum viroſo, & amare ſapore conſiſtere poſſit.

Cap. 13.

Cap. 7.

Quid verò ſit Cancamum Græcorum optime docent Garzias, Cluſius, Amatus, tres accuratiſſimi iſtiuſmodi rerum indagatores, eſt enim Anime, quod in Luſitaniam ex Æthiopia Arabiæ vicina aduehitur: cuius tria reperiuntur genera, ait Cluſius, primum fulueſcit, & pellucidum eſt, alterum nigricat, & taurino glutini ſimile eſt (Myrrham Aminęam Dioſcoridis, vel Mineam Galeni eſſe exiſtimant) Tertium genus pallidum reſinaceum, & retorridum, primum genus Cancamum eſt ex Amati etiam teſtimonio, gummi ſcilicet ex proceris arboribus decidens folia Myrti habentibus, quod album reperitur: aliud ſubnigrum Myrrhæ ſimile: omnia tamen in ſuffumigijs ſuauem ſpirant odorem, idem temperamentũ ſortita, duo tamen poſteriora magis ſiccare,

amareſcere deprehenſa: Ex Briſſoto Gallo viro magna eruditione prædito hanc ſententiam aſſeruit Amatus, quam Sarctam tectamq; Garzias, & Cluſius ſubſcriptores maxime auctoritatis apud æquos iſtarum diſceptationum æſtimatores præſtare merentur.



VM Myrrha Lachryma ſit arboris, quæ in Arabia gignitur Ægyptiæ Spinæ non diſſimilis, è cuius vulnere in ſubiectas Tegetes defluit Lacryma; ſingula eius genera diligenter perſequitur Dioſcorides huius doctrinæ Anteſignanus, quæ in Muſæo aſſeruatur legitima eſt, quam omnium primam, & Troglodyticam vocat Dioſcorides, accepto cognomine à tractu, in quo prouenit ſplendentem, ſubuiridem, & mordentem: Verum & in electione notas quaſdam ſubijcit idem Auctor, cum ait eligenda recens ſquallore obſita leuis, vndiq; concolor, quæ confracta internatos, quaſi vngues candidos oſtendat, & læues: cur ψαθυρὰν ſquallore obſitam verterit Ruellius me fugit, cum frigilem Marcellus magis propriè, & genuinè vertat. ὀνυχοειδεῖς διαφύσεις humanorum vnguium figura per medium tranſeuntes diuiſiones vertit ritè Marcellus; quod negligenter omiſſum à Ruellio: quæ minutis glebis ſit amara, acris, odorata, calfaciens, quæ vltima nota à Marcello videtur prætermiſſa.



IRARI porrò ſubit Garziam Hortum, quòd diſertè profiteatur, ſe numquàm ſcire potuiſſe, qualis ſit Arbor, qui Myrrham proferat, aut qua ratione Reſina eliciatur, cum diminutam Dioſcoridis Hiſtoriam, vt ritè obſeruat Amatus, latius proſequatur Plinius
Cap. 15. lib. xij. & Theophraſtus lib. ix. de hiſt. plant. Cluſius in Appendice Cõment. hiſt. Dodonæi: Hermolaus quoque in Corollario legendus Amatus in enarrat. in Dio-

ſcori-

ſcoridem, & potiſſimum, diligentiſſimus, & eruditiſſimus Mattheolus. Obſeruandum quod in Pſalmo XLIV. legimus, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis Myrrha, Gutta, & Caſſia à veſtimentis tuis:* quem locum contendit Amatus Luſitanus perperam ex hebræo eſſe translatum; non enim in eo exprimi Stacten, vel guttam, quæ flos eſt Myrrhæ pinguiſſimus (quam falſo putant Arabes, Serapion, & Amatus etiam Styracem liquidam) Sed ahalod; quare alios vertiſſe, Myrrham, Aloem, hoc eſt Agallochum, & Caſſiam redolent veſtimenta tua. Sed cum ſimpliciter Aloen verterint, atque id nomen Omonymia imponere poſſit; adijciendum lignum, vt non herbæ ſuccus Catharticus, ſed Agallochum, & lignum odoratum intelligatur. Quod verò multi Rabinorum voce Kezian Coſtum exponant, ingenti, & pudendo errore factum eſſe, ſcribit Amatus, cum iſthæc propria, & diſtincta nomina obtineant; Sed de his hactenùs.



DELLIVM legitimum Lacrymam eſſe Saracenicæ arboris auctor eſt Dioſcorides, probari guſtu amarum, taurini glutinis in morem intùs pingue, liqueſcens facilè, ligni, ac ſordis expers εὐῶδες ἐν τῇ θυμιάσει odoratum ſuffitu vngui ſimile: quæ notæ omnes in Muſęi Bdellium conueniunt: reperitur & aliud nigrum, ſordidum, & in offas conuolutum Aſpalathi odore quod innuit Dioſcorides: Arbor, vndè reſudat, à Ciue noſtro Plinio deſcripta lib. xij. Vicina eſt Bactriana, in qua Bdellium nominatiſſimum, Arbor nigra eſt, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici natura, Gummi eſſe debet tranſlucidum, ſimile ceræ, odoratum, & cum fricatur pingue, guſtu amarum citrà acorem; in ſacris vino perfuſum odoratius, naſcitur in Arabia, Indiaque, Media, ac Babylone: Galenus lib. vj. ſimplic. Bdellij Scythici meminit,

atrio-

atrioris, & resinosi magis emollientis admodum, & efficacis virtutis: alterum nominat Arabicum dilucidius, quod magis desiccat, quam emolliat, hoc in potu sumptum renum calculos frangere, & vrinam ciere, laterum dolores, & rupturas persanare, quas omnes facultates, & Dioscorides prosequitur, vndè Galenus sumpsit, Alterius Bdellij Serapion mentionem fecit, quem fructum esse plantæ Palmæ similis tradidit; hoc Neapoli frequentissimum se vidisse, testatur Mattheolus; hoc palmæ genus ex Sicilia deferri, Celsiioni vulgò vocari, quorũ quoddam Germiculum comedi tenerrimum, sapidum, ori gratissimum: hæc vberius exposita leges apud clarissimum Mattheolum, non enim res ex professo, Sed Musæum Calceolarianum describimus.



OPOCALPASO, hoc est arboris Calpasi succo sua tempestate adulteratam Myrrham, testatur Galenus lib. primo de Antid. quem succum venenosum fuisse, & humanæ vitæ perniciosum profitetur, dum ait, At Opocalpasum lethale est, multosque fortè fortuna nostris temporibus propter inscitiam Myrrhæ, quæ Opocalpasum habebat, interijsse nouimus; Plinius eam arborem Opocarpathum vocat, lib. 6. inter venena enumerat Dioscorides docens Carpasi succum soporem, & citam strangulationem adducere, adiuuari, qui hauserunt, epotæ cicutæ remedijs; sunt, qui putent Carpasum, & Carpesium idem esse, sed refelluntur experimento, nam Carpesium aduersùs venena commendatur, & auctoritate, quoniam Quintus loco Cinnam in Theriacam Carpesium laudatissimæ Cassiæ vices subiens conijciebat, non Calpasum, sed καρπάσε ὀπὸν Carpasi succum nominat Galenus lib. primo de comp. med. loc. vbi Archigeni remedia capillos crispos reddentia commemorat, & lib. v. eiusdem operis, quod etiam à doctissimo Mattheolo obseruatum legimus.

OPO-



POBALSAMVM Musæi ad conficiendam Theriacam, & Mithridatium pernecessarium omnibus legitimi notis à Dioscoride positis insignitum,& proindè à Collegio nostro Veronensi publici testimonij fide, & Diplomate sæpenumerò iam corroboratum,& confirmatum, cum à FRANCISCO CALCEOLARIO Iuniore Pharmacopęo diligentissimo,nullis succedaneis medicamentis eæ præclaræ Antidoti essent superioribus annis componendæ, multaque indagine, & accuratissima opera cuncta conquirerentur, & ad fastidium vsq; à nobis explorarentur, vt ad veterem Andromachi normam Veronæ primum illæ conficerentur; Opobalsamum igitur, teste Dioscoride, æstiuis sub ortu Canis ardoribus; hoc pacto colligitur, Arbor vnguibus ferreis vulneratur, manat è plagis succus, sed tàm exiguo stillatu, vt annis singulis, ne plures quidem quam seni, septeniq; Congij cogantur, pondus duplo rependitur argento: Succi probationem esse, vt sit recens πρόσφατος, validus odore εὔτονος, syncerus non ad acorem vergens, εὐδιάπτος, pellucidus, vertit Ruellius; qui citissimè penetret Marcellus, idque rectius, læuis,adstringens,& modicè mordens linguam, γλῶσσαν græcè, non gustu, vt Ruellius; ὁ ἀκέραιος syncerus, vel merus Balsami succus hisce notis ab adulterato dignoscitur ex Dioscoride: lanęę vesti instillatus tum ablutus nec maculam, nec maculæ vestigium relinquit, adulteratus inhæret; lacti instillatus idem coagulat, Præterea, lacti, aquævé infusus disijcitur quam primū, & lactis modo albescit, adulteratus olei modò in summo fluitat, densaturque, & stellæ modo radiatur: Syncerus denique vetustate crassescens se ipso fit deterior: Tum subdit Dioscorides falli eos, qui putant verum Opobalsamum id esse, quod in aquam coniectū primum descendit εἶτα ἀναπλεῖν εὐδιάχυτον, mox facilè dissipabile, vel fusile emergere cernimus. His igitur notis diligenter expensis, & exploratis in Opobalsamo Musæi Collegium nostrum pro legitimo, & ve-

& vero ipſum agnouit, & publica fide firmauit. Ineptus porrò ſim, ſi cum de Balſami ſucco, fructu, & ligno fusè, & perdoctè à præſtantiſſimo Alpino diſputatum ſit Dialogo in lucem edito, velim actum agere, & inani repetitione lectoribus obſtrepere: Id ſolum monuerim grauem errorem fuiſſe Amati, & Monardi, qui Ægyptium, & Syriacũ Balſamum perijſſe rati, cum ijs tantum locis a Dioſcoride, Plinio, & Theophraſto tribuatur, occidentalem Balſamum ſubſtituerunt in India natum; ſed vt oſtendit optimè Alpinus in Arabiæ fœlicis Mecha, & Medina copioſa Balſami Arbos ſuapte ſponte enaſcitur locis cultis, & incultis, quod à Diodoro Siculo, Strabone, & Ioſepho cognitum, & ſcriptis proditum, teſtatur idem Alpinus: atque in præſentia Arabes lucri ſpe, & illecebris motos multos Balſami frutices certatim ex arenoſis, & Montanis locis in viridaria irrigua, & pinguia tranſtuliſſe, quare ibi innumera pulcherrima cerni Balſameta, vt mirum non ſit, ſi multa Opobalſami copia indè deuehatur, & noſtrati etiam conficiendæ Theriacæ ſuppeditetur: quinimmò ex Arabia in Iudæam, & Ægyptum plantas illas comportari, in quibus locis ſæpè cultorum incuria emoriuntur, vel ſterileſcunt: grauiſſimus porrò fuit Botanicorum quorundam error ſtirpẽ hanc funditus interijſſe putantium, qui à Phyſicis etiam nonnullis enitritus fuit, vt Occidentalem Balſamum obtruderent, & paſſim plauſibilem redderent: id enim apud Philoſophos, & Theologos certum, & exploratum rerum ſpecies perpetuas eſſe, & alicubi ſemper comperiri, ſingula verò ſpecierum indiuidua interitui eſſe obnoxia: Quæſo te, optime Lector, ne graueris totum doctiſſimi Alpini Dialogum percurrere, atque ſedulò perluſtrare, vt pleniorem Balſami notitiam, quam veteres non tradiderunt, te adeptum profitearis.

PERVA-



ERVANVM Opobalſamum, quod ex Perù Occidentalis Indiæ regione deportatur, tantæ fragrantiæ, & ſuauitatis eſſe teſtatur Amatus, vt inter Theſauros virorum delicatorum tamquam res prætioſiſſima cuſtodiri videatur, & de hoc fortè intellexiſſe Pliniũ, cum omnibus odoribus Balſamum præferri dixerit; purum, & ſyncerum afferri hoc, quod de Orientali Iudaico, & Ægyptio aſſeuerari non poteſt, vt propterea Galenus in Iudæam nauigarit, vt ſyncerum, & legitimũ agnoſceret Balſamum, cum varijs modis adulterari poſſe ex Dioſcoride non ignoraret: at profectò in pręſentia ſummi Turcarum Imperatoris cura, & diligentia non ea vigent Balſami adulteria, quæ Galeni ætate forſitan vigebant, cum in frequenti vſu apud illos populos ſit, & Principum timendorum neceſſitatibus opportunum medicamentum. Quod ex Perù adfertur, ex arbore Pino perſimili, non adeò tamen procera, effluit, colligiturque, quod, vt teſtatur idem Amatus, guſtu pingue eſt, acutum, diù in ore ſaporem retinens, odoris ſuauiſſimi ad Belzuinum tẽdentis, color & illius ſubſtantia, tãquam aquæ mellis ſpiſſæ: vt propterea hinc conficiat Amatus hunc Opobalſamum non eſſe eiuſdem ſpeciei cum Iudaico, & Ægyptio, & Trogum Pompeium has arbuſculas Perù delineaſſe, cũ ſcripſit, arbores Opobalſami, quæ in Iudea oriebantur, pineis ſimiles exiſtere: Mattheolus hoc Opobalſamum, non eſſe verè Balſamum docet, cum colore lacteo eſſe debeat ex Strabonis ſententia verum Balſamum: potius verã eſſe Stactem, poſſe tamen veri Balſami loco vſurpari: Verum ex Galeni placitis legitimus ſuccus ſecundo exceſſu calidus eſt, & ſiccus, ſubtiliorum partiũ, quã ipſa planta, nõ tamen adeò calidus, vt nonnulli tenuitate partiũ decepti exiſtimarunt, Vires, & facultates Dioſc. latius perſequitur: legendus diligenter Alpinus, & Petrus Bellonius Cęnomanus in lib. ſuarum Itinerariarum obſeruationum. Lib. 6. ſimpl. medic.



POBALSAMVM Peruanum solidum in eodem Thesauro asseruatur, ruffo colore ad aureum vergente, quod facilè liquescit, cum eius liquidi vsus est opportunus: De hoc occidentali Balsamo Amatus Centuria VI. Curat. medic. præclarè tractat, dum mulierẽ abortientẽ certo gestationis tempore curat, cui acetabula vteri plena mucoris erant, vt proindè pręponderе fętum continere non possent, sed disrumperentur; illa ergo primo expurgat accommodatis medicamentis, & præparatis prius corporis succis, mox suffitum ex Cinnamomo Agallocho, & Benzuino præscribit; denique Pessum ex hoc Opobalsamo indendum præcipit, tum partiunculam ieiuno stomacho bibendam. Iam verò Mulier illa votis compos facta, mox vtero postea gessit, & maturum fętum in lucem fęliciter edidit, teste eodem Amato; ex sapore, & odore efficaci miras illius facultates colligit: ex Piceis arboribus destillare tradit, oleum præseferens crassum coloris subnigri, cum aliqua ruffedine si manibus tractetur viscidum depręhendi, odore styracem liquidum moscho confusum videri: sapore primum butyrosam relinquit linguã, mox in fauces descendens eas vellicat: demersus aqua, ima petit oleaginosa quadam portiuncula supra natante, quibus signis Hiericontis, & Memphis Balsamum, vel potius felicis Arabiæ (vti dictum est) plurimum ab hoc Peruano differre intelligimus, & tota ferè specie, non secundum magis, & minùs, vt quidam nuper non infimi Subsellij physici mihi persuadere nitebantur, nec enim facultatum similitudo, essentię similitudinẽ, & αὐτότητα arguêre potest, cum multa simplicia medicamenta diuersa specie easdem generatim acceptas facultates obtineant: hæc volui Amati auctoritate subnixa breuiter adijcere, vt cernes errores è mentibus, quoad eius fieri possit, euellantur.


ED ad Musæi quædam Olea singularia, & pretiosa commemoranda iam veniamus: Inter quæ principem locum tenet Antidotum generosum,& mirificum Mattheoli oleum ex Scorpionibus nuncupatũ, cuius conficiendi rationem ipse ad amussim, & diligenter persequitur: *Vires verò admirabiles hoc pacto: Id pulsibus extrinsecùs patientibus illitum nempè temporum manuum, pedum, quinetiã extimæ cordis parti ad sinistram mamillam*, repetita alternis tribus horis illinitione efficacissimè succurrit omnibus venenis per os sumptis, quæ tamen ex erodentium genere non fuerint, similiter viperarum, aspidum, & cuiuscunque deniq; venenati animalis morsibus singulari auxilio est; præstat præterea ijsdem locis semel quotidiè inunctum non quidem calidum, sed frigidum ad præseruandum à pestilentia homines,qui eo se inungunt, quin etiam ad sanandum iam pestilentia affectos, necat quoq; vermes, naribus, & pulsantibus Arterijs inunctum, & præsertim vbi cætera auxilia non valeant.


LEVM Infernalis Ficus vocatum, est oleum Ricini Diosc.: ab Hispanis Figueira dello inferno: à Gallis Palma Christi dicitur: Oleum quod ex semine elicitur infunditur cõmodè ad colicos cruciatus, teste Mesue, inunctum autem tum Scabiem, tum capitis vlcera persanat, sedis inflammationibus medetur, & conuersis, & præclusis fęminarum locis, inungitur vtiliter indecoris cicatricibus, & aurium doloribus: Cæterũ & papaueris spinosi semen ex Anglia primum nomine Ficus infernalis à Camerario Iuniore Norimbergam allatum: Doldius primum,mox Cortusus Patauinus plantam, & semen transmisere, scribit Bauihinus lib. v. Theatri Botanici cap. iij. vbi de Papauere agit; Tota planta succo flauescente instar Chelidonij maioris abundat, Glaucium Dioscoridis existimat esse idem Bauihinus, idq; non contemnendis argumentis.



AM verò alia etiam pretiosa,& non vulgaria Oleorum genera in hoc, quem describimus, Thesauro comperiuntur, Oleum scilicet Cinnamomi,Gariophyllorum,Piperis, ligni Guaici,seminum Pęoniæ, Myrrhæ,omnium gummarum, Stibij, vel vocati Antinorij, quorum sanè parandorum rationem (cum mirificas habeant vires ad penetrandum, dissoluendum, & roborandũ) è Clarissimi Matthęoli Commentarijs studiosus lector petet; Vt iam Deo auspice,& Virgine Deipara fauēte, ad huius quintæ Sectionis calcem nos peruenisse non pœniteat.



ED Græcorum nos admonet Adagium μεταβολὴ πάντων γλυκύ, varietatem humano ingenio insitam plurimũ ad laxandum animum conferre: Lectionis igitur varietate aliqua breuiter recreandum lectorem veluti in transcursu, & per transennam antequã VI. sectionem Musæi aggrediamur æquum esse arbitramur, cum potissimũ in conuentu eruditorum Physicorum id à nescio quo iniectum sit,multa iactari ab Ibericis nostræ ætatis scriptoribus, quæ meræ sint fabulæ. Respondi ego, qui neminẽ sua laude defraudandum semper censui, officium sapientis esse non mentiri de quibus nouit, & mentientem posse patefacere: mentientes erroris conuinceret, aut falsæ doctrinæ, maximã à Medicis,& litteratis omnibus initurũ gratiam; tum is effuso risu cachinnãs fabulam de Boramez,planta nimirũ agrina omnibus sannis dignã, & Comicis exsibilationibus pronunciauit: cui ego,perpenderet, dixi, à nõ Hispanis auctoribus, & doctissimis Viris eam historiam proponi Ioanne.f. Botero Italo,I.C.Scaligero Veronensi,pręter Laurentiũ Ananiã,quæ ita sese habet. Zauolam Hordam esse vocatam Tartarorũ nobilissimã, in qua regione è semine Peponum semini simillimo, nisi quod adeò longum non est, nascitur fructus Agno similis, qui Boramez eorum lingua nuncupatur, verum hac de re duas extare sententias: Laurentius enim Ananias putat Arboris fructum esse cucurbitis longis persimilem; agni huiusce carnem esse suauissimam,pellem delicatissimam,atq;

Ex Arist. in Elenchis.

ideò magni pretij, ob capitum operimentum, & ornatum. Iulius Cæs. Scaliger plantā esse Boramez, id est Agnum putat, crescit enim Agni figura ad pedum ferè ternum altitudinē quem pedibus, vngulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus repræsentat. Pro cornibus pilos gerit singularis cornu specie. Obducitur corio tenuissimo, cuius detracti vsus ad capitum tegmina incolis; ferunt internam pulpā Gammari referre carnes. Cæterum è vulnere quoque sanguinem manere, dulcore esse admirabili: Radicem humo exertam surrigere ad vmbilicum vsque: Illud miraculi fouet magnitudinem: Quandiù vicinis obsidetur herbis, tandiù viuere, quasi Agnum in læto pascuo; absumptis illis tabescere, ac interire, idque non solum vel casu, vel tractu temporis, sed etiam experiundi genera subtractis, atq; ablatis euenire. Quin illud auget admirationem appeti à lupis eā, non item ab alijs bestijs, quæ carne vescantur; hoc quasi condimentū atq; intritum ad fabulæ, & agni allusionem: Hæc Scaliger, qui mox subdit, Hæc partim à nobilissimis, partim ab exercitatissimis in natura viris, non solum lecta, sed etiā audita, quibus intelligitur non omninò fabulā existimasse hanc de Tartarorum Boramez narrationem, licet fortè id intritum de solis lupis eam appetentibus sibi sit suspectum: nec Io. Boterus Italus vir πολύγραφος, & percelebris inficiari videtur, cū disertè eam historicis suis scriptis inseruerit, Si enim Monachū Piscem, Natura veluti ludens, & similitudinū affectatrix in Mari gignit, cur non in plantarum serie Agnū edat, qui cum vegetante stirpium anima maiorem affinitatem habet, rude, & stupidum animans, quam Monachus primum homo rationis compos, tum Deo suapte spontè dicatus cum Piscium natura rudi, & sensuum externorum, & internorum imperfectiorum compote.


NEC solùm naturæ artificium in Plantis animantia potuit exprimere; sed statuarijs etiam, quod pulchrè imitarentur (humano casu præeunte) præscripsit. Scribit enim Vitruuius Ciuis noster lib. IV. cap. I. historiam huius-

huiusmodi, Virgo Ciuis Corinthia iã matura nuptijs implicata morbo decessit. Post eius sepulturam, quibus ea viua delectabatur, poculis, nutrix collecta, & composita in calatho pertulit ad monumentum, & in summo collocauit, atq; vti ea permanerent diutius sub Diuo, tegula texit: is Calathus fortuito super Acanthi radicem fuerat collocatus; interim pondere pressa radix Acanthi media folia, & cauliculos circa vernum tempus profudit, cuius cauliculi secundũ latera crescentes, & ab angulis tegulæ ponderis necessitate expressi, flexiones in extremas partes volutarum facere sunt conati. Tunc Callimachus Statuarius preteriens hoc monumentum animaduertit eum Calathum, & circa foliorum nascentem teneritatem, delectatusq; genere, & formæ nouitate ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit: Hactenus Vitruuius. Cæterum & morales Philosophi, ex hoc casu præceptionem humanæ vitæ fructuosam eliciunt, nam vt hæc Herba melius crescit, si nonnihil prematur, sic animus fortis, & sua virtute inuictus aduersùs omnes fortunæ insultus, & maleuolorum, rudium, & fulguritorum homunciorum calumnias, & maledicta semper se magis exerit, & clarius conspiciendum præbet, quod Lucani Carminibus confirmatum volunt,

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris,
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Verum iam hîc Quintæ huius Sectionis Finis esto.

LAVS DEO.



SECTIO SEXTA.

IN QVA DE SELECTIORIBVS VOLVCRIBVS, QVADRVPEDIBVS, LACERTIS, AMPHIBIIS ANIMALIBVS, ET MISCELLANEIS REBVS AGITVR.

Eodem And. Chiocco Medico Physico Auctore.

SECTIO SEXTA.





RÆCLARVM illud Senecæ oraculum; *Non tàm benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est;* hoc ad criticen suam tuendam, & ab inuidorum morsibus vindicandum, nonnulli transferunt, nos de physicis contemplationibus id profiteri possimus, quorum scriptores, vel auctores passim à vulgo, qui omnia ambitione, & lucro metitur, spernuntur, & hominum otio abundantium, vel abutentium studium esse putantur, quinimmò etiam contra legum præscriptum, Actum agere, nos, Dictatorum more, proclamant: Sed malè feriatorum hominum iudicijs non adeò perterrebimur, quin, cum de rebus odoratis, resinis, oleis, gummatis, radicibus multa scripserimus; aliqua etiam in Sexta hac Sectione dicturi, de odoris natura quædam breuiter perstringamus, cum curiosa sit contemplatio, & ingenuo physico digna: Platonicorum etiam nonnullorum placitis spiritus alimenta quatuor existant odor, cantus, sonus, lumen: quamuis non ad vini tantùm naturam odor referendus erat, cum & aliarum rerum halitu suaui, & fragrantia cerebrum, & spiritus valdè recreentur, doceatq; Aristoteles præter alimoniæ vsum, odores homini conuenire, quoniam cerebrum copiosius, & frigidius, humidiusq; præ alijs omnibus animantibus ipsi à natura tributum fuerat, cum aliæ animantes solùm, vt alimentum sibi congruens persentiscerent, olfactu præditæ sint; hoc quidem senserat Philosophus, cui refragari, &

reclamare visus immensæ subtilitatis Vir Iul.Cęs. Scaliger. Pantheræ enim odore bestias oblectari, eamque propterea sequi, hoc sect. XIII. problem. Aristotelem, & 6. de causis Theophrastum docuisse; deindè animalia malis odoribus, haud ijsdem omnia, sed alia alijs fugantur, sulphure Muscæ, Galbano serpentes, vngulæ mulinæ exustæ nidore Mures; ex aduerso igitur in natura positum videtur aliqua odorum delitijs capi oportere, sic Apes quosdam aspernari flores, quosdam eligere, quorum rorem captent, sic Chamęleonem cuiusdam planta halitu gaudere: Aristotelis ergò sententiam sic tuetur, vt seminaria huius oblectationis in animalibus agnoscat, vt & aliorum morum, & cognitionis vanam in homine hæc omnia oblectamenta, & voluptates potissimum inesse: Iam verò odores cum saporibus, proportione quadam conueniunt, eademq; est amborũ affectio: odor enim ex Theophrasto VI. de causis plant. partis siccæ sapidæ in corpore perspicuo demistio, hoc est in aëre, & aqua: Sicci enim odor est, vt sapor humidi, vt secundo de anima cap. IX. summus Philosophus docet, hinc fructus agrestes vrbanis odoratiores, quia sicciores ex Theophrasto, & in Ægypto minus odorati flores, quia teste Plinio Ciue nostro ibi nebulosus, ac roscidus aër è Nilo flumine existit: odor etiam partis sapidæ non est expers, & vbi odor ibi sapor, ideò lapides carere odore, docet Aristoteles, ligna odorata, & potissimum minùs aquea, inter metalla etiam aurum odoris expers, quia sapore caret: amarum autem saporem initium boni odoris existimat Theophrastus, cui Plinius assentiri videtur, scribes odorato sapor vlli non amarus, è contrario, dulcia raró odorata, sic Rosa, Agallochum, Moschus, Ambarum Zybettum, & alia eiusdem generis odoratissima amaritiē maximam præferunt. Nec dissentit lib. IV. simpl. Galenus noster, cum, vt alibi monuimus, neget potius amarum, vt medicamentum, aut alimentum nobis esse suaue, ac iucundum: Cæterum per intermedium aërem, & aquam olfactus exercetur ex 2. de anima, etenim etiam pisces videntur odorem persentiscere: quod & Plinius fatetur,

Aristot. lib. de sens. & sensibili.

Lib. 21.

Lib. 21.

Lib. 9.

fatetur, verum id contendit aeris, non aquæ beneficio euenire, respirare enim pisces, contrà, quā putat Philosophus, quoniam aer vitalis scilicet halitus in aquas se insinuat, vt respirationem piscium adiuuet, quod ex illorū somno, bullantium aquarum sufflatu, & Lunæ vi Concharum corpora augente probatum voluit: sed vel deceptus est Plinius, qui expers pulmorum animal respirare voluit, vel conciliari cum Philosopho poterit, si simplicem transpirationem piscibus concedat, non ergo odor erit duntaxat aër infectus, vt censuit Plinius, sed etiam aqua infecta: quemadmodum enim minimè diffitendum sonos in aqua à Piscibus audiri ex testimonio Aristotelis secundo de anima, tametsi nec membra, nec foramina auditus euidentia obtineant, vel ipso Plinio teste, cum plausu enim congregari feros ad cibum consuetudine in quibusdam viuarijs spectari, & in Piscinis Cæsaris ad nomen venisse quosdam compertum fuit: sonos enim remigantium magnos fugere visuntur: Delphini etiam strepitu venatorum perterriti erumpunt in littora, sic facillimè capiuntur tentato, ac grauato capite præ strepitus inflicti magnitudine, idem igitur de olfaciendi facultate putandum, cum escam etiam putridam procul dissitam festinanter sub aquis petant pisces eius odore prius inuitati. Iam verò, cur Plato in Timæo, semigeniam naturam odorum esse dixerit, pulchrè exposuit Foxius in Cōmentarijs suis, quoniam non habent odores certum genus, & naturam, vt sapores, & colores, sed ex saporum discrimine dignoscuntur: hinc ex effectis odorem tantum suauem, & iniucundum cognoscimus; cæteras differentias ex saporum diuersitate ad odores transferrimus: *Cum enim* (præclare ait Plato summus Physicus) *in Aërem aqua, vel Aër in aquam transit, in medio istorum odores sunt, omnisq; odor, aut fumus est, aut caligo, sed horum quod ex aëre mutatur in aquam caligo, quod verò ex aqua in aërem fumus, hinc fit vt aqua odores tenuiores sunt, Aere crassiores:* olfactus instrumenta Aristoteles agnoscit duas mamillas spongiæ similes ex cerebri natura, molles in frontis commissura cum naso positas, per

Lib. de olfac. instrum. has odores perceptos ad cerebri anterioris partem transmitti: Galenus reclamat nullas huiusmodi papillas agnoscens, sed in anterioribus cerebri ventriculis odores recipi affirmans: obserua verò, mi Lector, quod subdit diuinus Plato, odorem scilicet molestum disturbure, ac violare omnem eam capacitatem, quæ à summo capitis vertice ad vmbilicum protenditur: suauem verò eamdem mulcere, & amico quodam ingressu naturalem eius seruare habitum: ita passim legimus odoratis vnguentis, apud veteres omnia delibuta esculenta, poculenta, capillos, & decantatam Cypheos compositionem, de qua Andromachus in Epaticis curandis scripsit, ob similitudinem Cypheos, quo pro suffitu Ægyptij vtebantur vocatam, de qua Damocrates ex Ruffo, & pulchra Plutarchus lib. de Iside, & Osiride, quæ in honorem Deorum accendi, & templis suffumigari consueuerat: Hanc Platonis de odoris natura doctrinam studiosè accepit Galenus cum lib. iiij. simpl. odoratarum rerum vaporosam esse substantiam docuit, omniaque odorata esse calida, vndè vaporum emanat copia, quare à corporibus exactè salsis, & acerbis exiguum quid defluere: eandem sententiam Aristoteles, & Auerrois tuentur, dum fumoso halitu odorem definiunt rerum odoratarum exemplo Thuris, ac Myrrhæ, quæ igni admota odoratiora redduntur, ac nonnisi vsta odorem exerunt, vt Plinius etiam docuit; hæc profectò defluxum vaporum à corporibus odorem esse arguunt. Obijciebat Aristoteles XII. probl. si hoc verum esset, res odoratus progressu temporis minores futuras, cum tamen eadem magnitudine perennare videantur: verum cum halitus tenuissimus sit, quod exhalat è re odorata, vix longissimo temporis interstitio euidentem illa mutationem subit. quamuis tandem rugosior fiat, quod obseruauit Galenus, cum *Lib. de instrum. olfac.* rosas, resque huiusmodi molles, & teneras odore præditus tandem minores, siccioresque fieri docuit: Ingeniorum, quæ argutã Scholasticẽ profitentur, subtilitas putauit odorem non esse fumosum halitum, sed qualitatem potius in Aere genitam, in eoque diffusam, vt à Sole lumen, tametsi

ille

ille omninò ſit fumoſæ euaporationis expers; hoc Vulturum exemplo oſtendunt à quingentis leucis ad corpora in bellis occiſorum hominum odoris ope conuolantium, Apes etiam ad mellis, vel pauxilli copiam elixandi accurrunt, illud licet procul diſſitum ſit: fumida etiam exhalatio in aquis fieri nequit, in ijs tamen Piſces olfaciunt: aiunt etiam id abſurdi ſequi ſenſile admotum ſenſui ſenſionem effecturum, quod Ariſtotelis decretis repugnat. Sed demoſtratio neceſſaria pro Galeno, & Platone facit, quia materiæ expertes qualitates à cauſa conſeruante ita pendent, vt ea amota illicò euaneſcant, vt lumen lucido corpore ſublato, ita odor ſublato odorato corpore ſtatim aboleretur: cuius cum experientia contrarium oſtendat, credendum eſt, amoto eo corpore tenuem vaporem in Aere remanere, & odoris naturam tueri: accedit qualitates illas immateriales à ventis flantibus nuſquam interpellari, quin ſenſum feriant, vt coloris ſpeties, & lumen oſtendunt, quia eodem modo ſentiuntur, perindè, ac tranquillus eſſet aër; at odor aduerſo flatu vehitur, infrà flatum non percipitur: præterea odor ſucceſſione quadã mouetur, & prius à propinquioribus ſentitur, tùm à procul diſſitis, quod colori, ac lumini non euenit; quæ eodem momento, & temporis articulo multiplicata in medio ab omnibus pariter percipiuntur, quare quæſtionis veritas ob auctorum ſubtilitates ſatis inuoluta videtur.

Cæterum cum doctioribus Phyſicis ſentiendum, fumoſum halitum per aliquod interuallum diffundi, vndè deinceps qualitas illa ſine materia propagetur, quæ ab animãtibus exactiorem, & magis perfectum olfactum, quam homines, obtinentibus, teſte Philoſopho, facilè percipiatur: ſaporum.n. genus nobis, quam odorum euidentius, ait Ariſtoteles lib. de ſenſ. & ſenſibili, quoniam olfactum omnium ſenſuum, qui in nobis, ſtupidiſſimũ obtinemus, tactum omniũ exactiſſimũ, guſtus autem tactus quidam eſt, Ambigebam tamen ſi omnes probi odores ad recreandũ cerebrũ nobis tributi, animãtibus duntaxat propter alimenti perceptionem, & conquiſitionẽ, *2. de anima.*

cur

cur infirmior nobis olfactus. Semper existimaui ex alimenti necessario vsu id tributum animalibus, homo enim ope gustus, & rationis accommodatum sibi alimentum conquirit, at venatici Canes, & Vultures, atque alia huiusmodi animantia exactissimo olfactu eguerunt, vt propriam escam conquirerent, idque per illam etiam speciem, quam barbarorum scholæ recepto vocabulo intentionalem vocarunt, nec tamen Vultures biduo, vel triduo antè volant, vbi cadauera futura sunt, tamquam eorum cędem præsentientes, quod à Plinio Ciue nostro scriptum inuenio, quoniam sensus ab obiecta re præsenti, & actu existenti immutetur, teste Aristotele, quod nundum est, nihil agere potest, sed quoniam Vultures cadaueribus valdè oblectantur, vt sepulchra animata quidam vocarint, & adagium effictum, si Vultur es, cadauer expecta, idcircò præsentire antè necem putridū cadauerum odorem à nonnullis sunt existimati: Quod verò quidam negent speciem tantum ab organo olfactus percipi, sed intrò per nares insinuari fumosam exhalationem contendant, Galenus verò etiam doceat Iuuenem Melanthio trito, veterique oleo immixto olfactum recuperasse, quod argumento est medicamentum olfactus sensorium attigisse aduersus Aristotelis decreta pronunciari puto: qui omnem sensionem à specie sine materia fieri docuit, nam & tactilium qualitatum perceptio gustabilium, & odorabilium eadem ratione fit: fumosa verò illa euaporatio potius cerebrum afficit quatenus calda, quam percipitur quatenus odorata: quemadmodum & nigella illa Iuuenis sensorium affecit, non odore, sed calore, & facultate propria extergendo impactam pituitam, & olfactus organum desiccando. exemplum Philosophi est secundo de anima, sicuti cera imaginem annuli suscipit sine ferro, & auro, ita sensus formas rerum obiectarum sine materia recipit; quare & amotis sensilibus rerum formæ, vel imagines veluti insculptæ in sensorijs supersunt: ex quibus etiam consopito animali insomnia phantasię ope componentis, vel distribuentis exoriuntur; Iam verò odorum ex saporibus desumi differentias

Lib. 10.

Ari-

Ariſtoteles cum docuiſſet, id Galeno non placuit, qui amarum, ſalſum, acerbum, auſterum, odorem dici non probat, acidum, & acrem dici aſſentitur, quod in allio cœpe, aceto experimur, quæ olfactum, & guſtum pariter afficiunt, Cæteros odores ad beneolentia,& graueolentia reducere viſus: inæquabilem verò ſubſtantiã cauſam eſſe docet,cur ex odore de rerum temperamento certum iudicium ferre non poſſimus, quoniam tenuiſſimæ ſolũ odoratæ rei partes ſenſum afficiunr, quæ in halitum verti poſſunt, at rei ſapidæ omnes partes ſenſum mouent, proindè certius ex ſapore de rerum naturis decernimus, minùs certò ex odoribus, omnium minimè ex coloribus, quãuis maiori ex parte candida,frigida, flaua, & rubra calidiora videantur: Verum Meſues accuratus, & peritiſſimus rei medicæ Auctor, ex colore de Bonitate, & malitia medicamentorum iudicium ſumi docet, Agricus enim colocynthis Turbith alba præſtantiora, nigra nullius, aut praui vſus, Scammonium ſubalbum, aut variũ eſt bonum,nigrum malum: Roſa exactè rubra melior: Rhabarbarũ ex ruffo, & glauco varians, & croci modò tingẽs, & lapis Cyaneus, qui colore ſui nominis ſaturatus,magis æſtimantur: Verum de his hactenùs.

4.ſimpl.

Lib.pri. Antid.

Illud ſanè curioſum problema, nec à ſuperciliosis Medicis omninò prætereundum an odore,non ſolum ſpiritus naturales, & vitales reficiuntur, ſed etiam partes ſolidæ alantur: Ariſtoteles enim contra Pythagoræos quoſdam odorem non nutrire profitetur, alimentum enim compoſitum eſſe debet, odor eſt qualitas ſimplex, & immixta, præterea nec aqua ſyncera alere poteſt, tantò minus qualitas mera: ex alimento etiam ſecerni περιττόν, quid ſuperfluens ſcilicet oportet, vt in Plantis etiam cernimus,ab odore nihil tale ſecernitur: Cæterum Hippocrates celebri oraculo lib. de alimento in contrariam ſententiam ire viſus: *Qui celeri* (ait) *aductione opus habent ijs humidum alimentum ad reparandas vires aptiſſimum, qui adhuc celeriori per odoratum nutriri debent;* eius ſententiam admiſit Galenus,Democritus ſuopte experimento comprobauit, qui triduo Panis recentis odore dicitur vitam

Lib.de ſenſu,& ſenſ.

vitam produxisse: Astomorum etiam gentem sine ore memorat Plinius nostras solo halitu, & odore florum, & syluestrium malorum viuentem. Cæterum cum Galeno teste nutritio sit exhaustę substantiæ corporeæ repletio, & repositio, quod accedit alimentum corporeum esse debet, non simplex qualitas, quoniam etiam docente Philosopho ex ijsdem alimur, ex quibus constituimur. Per odores ergo Hippocrates necessario accepit fumidas illas exhalationes, quæ corporeæ sunt, & materia, subiectumq; odoris, hoc est simplicis illius qualitatis, cui immutandi sensorium facultas inest, quare isthac materia odore solum causati vocata definitione explicatur, effluxus enim & extenuata portio à re odorata dimanans, vel Galeno auctore existit: quæ viuentibus attracta per nares ad cerebrum, & pulmones reficere, alere, augere spiritus vitales, & animales videtur, quod experientia satis docet, nam & fœtor eosdem spiritus labefactat, & corrumpit, & Aer purus, & solus animales spiritus reficit inspiratione attractus, quamuis & id etiã, quod reticularis plexus suppeditat eosdem alere putetur; Iam verò & solidas corporis partes odores sic acceptos alere, probant contra Conciliatorem, & Musam Viri docti quoniam coqui, & Pistores ex Panis, & obsoniorum odore assiduè saginentur: appetentibus præterea, & esurientibus suaues ferculorum odores, saturis insuaues, quod & Aristoteles nouit: quod etiam Manardus Vir doctissimus ex primis Medicinæ verę instauratoribus, & vindicibus lib. xviij. Epist. testatum reliquit: nam si cibi nuper assumpti tenuissima portio in halitum resoluta quoquo versum per corpus funditur, & verè solidas partes alit, idem profectò, & odoratarum rerum halitus pręstiterit; verum hac in re discrimen habendum: Vini enim, & proborum ciborum fumida illa euaporatio alet: Rosarum, Ambari, Zibetti, & aliorum huiusmodi, quæ edendo non sunt, solum cerebri substantiam recreabunt, & spiritus reficient, solidioris porrò alimenti coctioni, & venter, & iecur destinata, à quibus etiam euidentia secernuntur excrementa crassius, & tenuius in quauis

Lib. 12. meth.

Lib. de sensu, & sens. Cap. 5.

coctione

coctione sequestranda. Astomonum per halitus solos nutritionem quidam fabulam existimant, nam si ventrem, & alia (vt nos) alimenti promptuaria obtineant, nihilque Natura frustra moliatur, & partes propter functiones sint constitutæ, cur non os habeant licet obscurius, & minus elaboratum, per quod solidiora capiant alimenta? atq; ea potissimũ, quod illa per effluẽtes halitus nutritio exigua sit, nec diutius seruare homines incolumes possit: Hæc breuiter de odore perstrinxisse pro instituti nostri ratione satis est: ad pensum nostrum iam (Deo auspice) redeamus.

Crocodilus Terrestris.



N Sexta Musæi CALCEOLARII Sectione primus obuiam fit Crocodilus terrestris, quem haud ita procerum faciunt, Ægypto, atq; Arabiæ familiarem reliquis animalibus infensum, quasi lacertam prouectiorem, ac maximam, ab ea præter duritiem, ac cutis firmitudinem hoc distare, quod caput, crururumque articulos, atque ideò pedum digitos squamosos gerat: à Nilotico Crocodilo differre, quod caudam habeat in clauæ modum tuberculis elatioribus asperam, qua corpore, quibus insultat, atrocissimè diuerberare putatur, Bellonio teste, hoc animal idcircò Caudiuerberam nonnulli vocitant. Sed nomine Crocodili Terrestris, & Scincus appellatur, χερσαῖος κροκόδειλος auctore Dioscoride, sed & ex Brasilia allatum in nouum orbem animal Crocodili terrestris nomine, cuius longitudo vlna maior, latitudo decem digitorum transuersorum: cauda prælonga, corpus squammis multis, & splendidis tegitur, aquæ impatiens est adeò, vt si quis in os inijciat, statim moriatur: venenatus non est, sed à quouis è cauis effoditur, & in cibum sumitur, nec alius eius carnis gustus, quã testudinis: Verum nos hic solius Ægyptij Crocodili terrestris figuram typis expressam damus.



Lacerta Chalcidica.



T huiusmodi Lacertam σαῦραν χαλκιδικὴν Græcis vocatam Musæum asseruat, χαλκίδα Chalcidem scilicet vocat Aristoteles, Nicandri Scholiastes, Dioscorides: indè natum vocabulum putatur, quod

virgis quibusdam ærei coloris hæc Lacerta distinguatur: nominis rationem cum non nouissent auctores appellationem ad gentis, & loci nomen transtulerunt, vt existimat doctissimus Gesnerus, dictamque Chalcidicam crediderunt, quasi in Chalcide Eubœæ plurima inueniretur, quod falsum est, cum in Lybia, ac Cypro nasci præcipuè dicatur; Cæterum & vir magnus Hermolaus Barbarus in Plinij castigationibus Chalcidem à Chalcidica Lacerta diuersam putat, quod Plinius doceat salsamentorum cibum prodesse à serpente percussis, peculiariter à Chalcide, ceraste, aut quas Sepas vocant; Gesnerus Sepas, non Lacertorum eo loci, sed Serpentum generis accipit: sed cum Lacerto Sepi (Sepam enim vocatam Lacertam Chalcidicam inconfesso est) tum Serpenti sit id nomen inditum, & Nicandri Scholiastes de Sepe Lacerto scribat sic vocari παρὰ τὸ σήπειν τοὺς πληγέντας, quod scilicet percussis corporibus putredinem inferat, Hermolai coniectura non omninò erit aspernanda, Georgius Agricola Chalcidicam Lacertam à viridi solum colore differre scribit, non corporis figura: Gesnerus cum Aristotele paruæ potius Lacertæ comparat, non viridi, quæ maior est: quod & Nicander accuratus harum rerum scriptor innuere visus eo carmine, Lib. 32.

Σῆπα γε μὴν πεδανοῖσι δομὴν σαύροισιν ἀλύξεις,

.i. vitabis etiam Sepem corpore similem humilibus Lacertis; δομὴν corpus Scholastes interpretatur, & in oratione præterit, similem, Nicander: sed fortè illa vox δομὴν æqualem, vel similem significat Nicandro: qui ab ea percussi sunt, eos tumor pellucidus consequitur, veluti nigrore in ambitu plagæ relucente, consequitur & putrefactio: In vino pota morsus suos sanat ex Dioscoride, & Plinio: & Galenus Lacertam Chalcidicam dissectam proprio morsui imponi, & ex vino propinari docuit. & Plinius Castorea cum vino Myrtite bibi aduersus Chalcidas, Ætius eãdem curationem adhiberi, quæ aduersus muris aranei morsum memoriæ prodiderunt. Lib. 11. simpl.


PECTANTVR & in Musæo animalia duo simul connexa, & vnico edita Partu Equi similitudinem præseferentia, quæ olim dono missa CALCEOLARIO Seniori Thesauri huius supellectilem nō mediocriter locupletarunt: mōstri genus esse videntur quemadmodum, & duo Fratres humani visuntur interdùm naturæ errantis ludibrio simul implicati: cum informatrix virtus instrumenta haud benè sibi respondentia obtinuit, quod materia sanguinea nimis lenta, & calor, spiritusque imbecilles adeò, vt secernere vnum ab altero fætu non possit.

Camęleon Terrestris.


AMÆLEONEM & descriptione, & icone expressa affabrè visus nobis delineasse Bellonius lib. primo de Aquatilibus: In Ægypti æstuarijs frequentem esse docet corpore duplo, quam Arabicus, maiori (iste enim pusillus Lacertam viridem non excedens) colore inter Indicum, & viridem ambiguo, quem ex luteo in fuluum variè commutare solet, vndè versicolorem Chamæleonem antiqui appellarunt, Capite est cristato in Camælopardalis modum, duobus vtrinque ossiculis in summa fronte prominentibus lucidissimis oculis Pisi magnitudine sola pelle contectis, vt quod ab ea extat, milij magnitudinē non excedat, admodum flexilibus, vt altero sursum, aut deorsum inspiciente, alter præter cæterorum animalium morem, aliò intentus esse possit. Iners est animal, vt Salamandra, neque currere, vt Lacerta potest. Quamobrem hominum conspectum non refugit, nec facilè terretur, imò nec morsu hominem appetit. Arbusta conscendit ob viperarum, & cerastarum metum. Famem octo menses, atque interdum annum ferè integrū tolerat, vndè

falsò

falsò creditum eſt eum nihil edere, ac vento ali, nam cum pulmonibus per ventris latera exporrectis præditus ſit, ventum intrò magno impetu attrahit, eoque intumeſcit; foramina ad nares, & auditum habet; Oris rictum amplum, maxillas dentibus ſerratis ſuprà, & infrà communitas, quales in Tephloti ſerpente videas: linguam teretam ſexquipalmum longam, quam à longè in infecta, quibus maximè veſcitur, vibrat, & mucore, quem in extremo ſpongioſum habet Muſcas, Scarabæos, Locuſtas, Formicas ad ſe adducit: lineam habet ſub ventre ſquamulis denticulatam albam ad caudam vsque protenſam, adeoque artificiosè in huius animalis pedibus natura luſit, vt anterioribus pedibus ternos intra digitos, extra binos, poſterioribus autem ternos extra, intra binos poſuerit duodecim oua excludit, longa, lacertarum modo: cor habet muris domeſtici magnitudine, Hepatis lobos duos, quorum ſiniſter maior: folliculus fellis grani hordei magnitudinem non excedit ſiniſtro Hepatis lobo inhærens: Hæc ferè ad verbum ex Bellonio, vt animalis percelebris natura melius perciperetur: Præclara, nec adeò trita de eo ſcripſit Scaliger noſter Exercit. CXCVI. cap. IV. Ioannem Landium teſtem laudat, qui Chamęleonem vidit repentino, momentaneoque iaculatu Muſcam, quæ in eius eſſet pectore, legiſſe: illius linguam diſſectam palmi longitudine inuentam, cauam, inanem: in ſumma tamquam acetabulum cum mucco, quo prædiam tolleret, id ſanè nouum ijs, qui ſolo vento viuere hactenùs exiſtimarunt: cum Bellonij ſanè deſcriptione conuenit: expreſſius docet colorem eis eſſe album, viridem, luteum: naturalem viridem admodum dilutum in tergo, ſub ventre dilutiorem, albicantique propiorem, variari tamen totum rubris, ceruleis, atque albis punctis; in quoslibet mutari colores, verum non eſſe, ſuper viridi viriditatem vegetari, ſuper luteo temperari ad luteum: ſuper cęruleo, aut albo, aut rubro non vinci viriditatem natiuam, ſed puncta cęrulea, rubra, & alba viuidiorem, validioremque ſui ſpeciem dare, ſuper nigro ſubnigreſcere, manere tamen tenorem illum

vire-

viredinis atro confusum; etiam non mutato supposito colore mutat ipse suum, vel metu, vel molestia aut oppressum, aut solutum. Quod Aër illi pro cibo sit aliquandiù ex eo patere, quod & annum integrum aiunt inediam tolerare, & vbi excepit hiatu auram, & occlusit malas turgere ei ventrem: Etiam inueni, qui diceret (subnectit idem auctor) obuersum ad Solem haurire radios, eosq; conuersione hiantem sequi: Hæc se ex Landio accepisse fatetur Scaliger, quæ sequuntur ex alijs, venenatorum Serpentum esse hostem acerrimum Chamęleonem: Eum ex illis vnumquempiam in vmbra speculatum, captantem auras, aut in radijs apricantem, in eam scandere arborem, quæ illi imminet, vndè ex ore filum dimittit Araneorum more, in cuius fili extremo guttula sit Margaritæ splendore; ea tactum in vertice Serpentem mori: si ex ore nequeat ad perpendiculum demittere filum ita corrigere pedibus, & tractum eius temperare, vt ad lineam quasi catheton descendat, vide Scaligerum Clarissimum loco citato, cuius diligentiæ, & subtilitati habendæ gratiæ, quod nihil prætermittat, quod ad naturalem rei historiam facere possit. Huiusmodi porrò Musæi Chamęleonem Terrestrem donauit olim Nicolaus Barbadicus Vir præclarissimus, & Legatus eo tempore apud Summum Turcarum Imperatorem, Francisco Calceolario Seniori, quod animal viuens adhuc per aliquot menses Domi eiusdem ornatissimi Calceolarij repebat, & ab omnibus, tamquā mirificum quoddam, & exoticum animal, non sinè summa admiratione conspiciebatur.

ANI-





Nimalis Moſchum gignentis figura, quoniam à nemine hactenùs, quem quidem ſciamus, expreſſa, & publicata videtur, hocce loco à nobis libenter dabitur, cum anno ſuperiore MDCXXI. Venetias verum animal fuerit aduectum; indeq; ad Iuniorem Calceolarium tranſmiſſum, vt ipſiſſima eius, quam damus, effigies exprimi, & delineari poſſet, iſtud ſanè animal vnicum non ſolum Venetijs, ſed in Italia reperiri multi credunt, nec nos inficiamur, proindè nos etiam primi eius Iconem exhibemus, vt ſtudioſus Lector, an cum aliorum narrationibus, & deſcriptionibus conueniat, accuratius expendat. Ita enim de eo Scaliger.

MOS-

MOSCHI hiſtoriam ex India aduectam meritò ponemus hîc: in Regno Pegù Gazelæ ſimile animal album eſt, cuius ex inferiore mandibula æquè dentes vtrimque ſinguli exeruntur. Sub eius ventre fit ſanguinis collectio in Tumorem, quod Apoſtema Græci vocant. Capta fera eam partem, cum corio ſimul abſcindunt. Quæ inter ſecandum guttæ ſanguinis effluunt, caduntque eæ pro Moſcho optimo, atq; excellentiſſimo aut excipiuntur, aut colliguntur, Huius minimæ portiunculæ beneficio ad ceteri cruoris condimentum vtuntur: vbi ſecuerint hirudines admouent tot, tamq; diù, quoad earum ſuctu cruor vniuerſus cũ ipſa vita detrahatur, eum ſanguinem exſiccatum, & in puluerem redactũ prioris illius perpauxilla quantitate, viribus verò efficaciſſimis perficitur, quippè centeſimam ſatis eſſe produnt; Tum illud in folliculos hoſce, qui ad nos importantur, inditum ſeruant: Adulterationes, aut ſynceritatem ita vel deprehendunt, vel probant: Syncerum naribus admotum illicò ſanguinem elicere; Hæc doctè, & prçclarè Scaliger: quæ cum ab alijs ſumpſerit, ea methodo ſua, & oratione meliora, & concinniora facit. Mox videtur probare poſtremam illam Moſchi proprietatem eliciendi ſanguinem per olfactũ non pendere ab acrimonia, aut calore temperamenti: nullo enim Pipere ne diuturno quidem odoratu ſanguis euocatur, nec acutiſſimo quidem ſulphuris odore, cuius cũ ignibus magna cognatio; Hoc pacto olim ego falſitaris inſimulabam recentiorum, & Eraſti ſententiam, quòd purgantia medicamenta per acrimoniam irritantem purgent, cum nec Piper, nec Pyrethrum, nec naſturtium, aut alia huiuſmodi longè acriora Rhabarbaro, & Agarico quantumuis deuorata nullam expurgandi humoris facultatem obtineant vt αὐτοψία ipſa, & occulata experimenta ſatis docent. Iam verò Scaliger Exercit. ccxi. cap. iij. primum docet Gazelam, ex qua Moſchus extrahitur, totam eſſe Capreoli facie, nec aliud, quam Capreolum; Rhodium equitem ſibi Meſſanæ vnã oſtendiſſe, quæ ſtrigoſior erat tota, quam Capreoli noſtrates, cruribus exilioribus, erectioribus, ipſa magis Sima;

Den-

Dentibus exertis binis, ſed non tam grandibus, quales Auctores ſcribunt, quoniam ætas adhuc tenella, nundum eos ad eam prouexerat magnitudinem, candidi fuere ij, ac paulilſper flexi; ſubdit Scaliger; cum id è Sicilia rediens enarraſſem affinibus noſtris, qui in Syria fuerant dixere mihi Gazelam penitus eſſe figura Capræ, non autem Capreoli: earum greges ſeſe vidiſſe multos, hæc ille, vbi etiam queritur de ſcribendi periculo quoniam fides noſtra ex aliorum ſæpenumerò mendacijs pendet. Non erat igitur vt Magiſter ille Laurentius Catelanus primarius apud Monſpelienſes Pharmacopęus Vir alioquin in ſcribendo diligens in ſua genuina deſcriptione confectionis Alchermes Scaligerum noſtrum in numerum errantium cogeret, quod Moſchiferum animal Dorcadem, Damam, aut Capreolum eſſe putaret: Capram enim diſertè eſſe profitetur Scaliger: & affinibus ſuis, qui in Syria fuerant, fidem adhibet, ſed non omnes Scaligeri Exercitationes legerat Catelanus, in agendo potius, quã legendo occupatus: is ex Bellonio Capram ſylueſtrem magnitudine æquare, pedes habere bipartitos anteriores quidem poſterioribus longè breuiores more leporis ſcribit, colore eſſe per corpus ex flauo palleſcente inſtar vituli iunioris, excepta parte antica, & poſtica, quæ ad modum Damę albicant. Cornua ei eſſe bina paullum ſicuti Capreoli bifurcata, vocem æmulari Caprinam, miræque eſſe in currendo celeritatis ſcopulos, & montes æquè perrumpens, ac planiciem: capi has feras ictu ſclopettorum, necnon venatu per canes inſtituto: cibum ijſdem ſuppeditare herbas odoratiſſimas, quarum præcipuam eſſe Nardi ſpicam. Hæc quidem Catelanus Menſpelienſis, quorum teſtem laudat Bellonium lib. ij. cap. xiv. & xv. (niſi ordo hic numerorum deprauatus ſit) Cæterum Auctor hic paulo profeſſionem propriam ſupergreſſus probat non eſſe Moſchum Apoſtema, aut Tumorẽ præter naturam, quoniam ſolùm in morboſo animali reperiretur, at in Venatione, numquam morboſorũ delectus habetur, immò venatores, ea quæ agilitate reliqua ſuperant acriter inſequuntur, nec cum mu-

lierum mestruis æquiparandum, nam solum in fœmellis inueniretur, cum vtrique sexui conueniat; nec semen, aut testiculos animalis esse, quoniam & fęmellis adsunt huiusmodi vesiculæ, & extra corpus positæ sunt, cum in fœmineo sexu in corpore absconditi sint testes vt compertum est. suam mox sententiam apponit: receptaculum esse humoris crassi, quo per certum meatum, qui vesiculæ inest, linguam id animal humectat, vt genua, & pedes inungens lassitudini medeatur, quem continuo cursu, & per scopulos saltatione contrahit: Verum hoc sortiri est digitis, quid loquamur, nec certa ratione, aut auctoris probari fide, id vmquam persuadebit Catelanus: est enim ratio demostrans, quæ ex proportionibns per se, & quatenus ipsum construitur, humor ille est odoratus, calidior, ergò siccus valdè, & longè dissitus ab ea humoris temperatione, qua partes oblini, & refici ad motum valeant: præterea docet ille Auctor, non raro integras vesiculas ab ijs animalibus auferri; liberum deinceps in campestria loca regressum ijs permitti: paucos post dies odoratarum herbarum pastu recreata alijs vesiculis, veluti vomicis prægnantia deprehendi, quæ si vera sunt ad oblinendos artus ille humor non facit, cum potissimum alij probatiores Auctores scribāt Petris ab animali vesicas illas allidi, vt disruptæ Moschum deponant: ex quo intelligimus humorem hunc esse superuacaneum à natura animalis eò reiectum, non vt animalis vsui inseruiat, sed vt expellatur: cum enim sit siccior huiusmodi capra silueistris, continuè currat, & herbis siccis, odoratisq; vescatur, nec lienem expurgando crassiori, & sicciori succo destinatum ita grandem obtineat, vt par esset, cum motui validiori, & crebriori obeundo impedimento esse putetur, natura prouida, quæ numquam ἐν τοῖς ἀναγκαίοις in necessarijs deficit, effigendis his versiculis, siue vomicis splenis defectum eleganter, & fructuosè suppleuit, vt humor omnis ille siccior, & crassior alendo minimè idoneus perfectè euacuaretur, & consectarium deinceps fructum ad delitias, & oblectationem generis humani tanti odoramenti ope nancisceretur

ſceretur communis vita. Hanc noſtram ſententiam, ſeu coniecturam de vomicis illis Moſchiferis libenter eruditorum Phyſicorum iudicio ſubmittimus; cum minus obiectionibus obnoxia videatur, & magni Scaligeri verba eam aliquo pacto innuere poſſint; tametſi illa ſonent apoſtema eſſe, & rem præter naturam in Capra illa, quod falſum videtur: morbus enim ex accidenti animalibus conuenit, ergo, non omni, & per ſe, at Dorcadas iſtas, vel Capras, tam fœmellas, quàm mares hiſce præditas veſicis norunt, qui Orientalem Moſchum longè Occidentali præferendum ſciunt, qui de Siam regione Indiæ Orientalis venit, & ad celeberrima Emporia Pegu, Coraſceui, & Tumbequit tranſportatur per Mercatores, qui terra iter faciunt, ac deinceps Venetias adeunt, hic longè eo præſtantior, qui ex America Portugalliam, & indè ad nos affertur, quo tamen ſolo nobis hodiè ob alterius defectum vti licet, cui Moſchi de Ponent nomen vulgò imponitur; hæc prudenter, & ſcitè Catelanus, qui etiam ſubdit in Alchermes confectione Moſchi quantitatem adauctam, quia ſcilicet Moſchus hic ex America Occidentali Orientali puritate, ac perfectione erat inferior: eouſque etiam hominum malitia prouenit, vt vrina Moſchum humectare non vereantur, à qua tamquam fętente eius vigorem augeri animaduerſum, ſi etiam ob vetuſtatem de odoris ſuauitate multum ei deceſſerit in ſacculis ligatus ad latrinas appendi ſolet, vbi vi fœtentis Antiperiſtaſeos odoris augmentum ei accedere, quamuis non durabilis, compertum eſt: Color in electione optimi ad obſcurum, & nigrum vergere debet: guſtu amarus, citæ penetrationis, inter maſticandum omnium arenularum expers: In vaſculis plumbeis aſſeruari ſolet, quòd illius odor, & vis facilè diſſipabilis huius metalli frigore commodius continetur, ac cohibetur. Cor frigidum, & tremulum roborat, exhilaratq; & omnibus ipſius affectibus confert: cerebrum pariter recreat, & ſpiritus omnes reficit: Hunc Ambra Griſea calore, & lentore multùm exſuperat: hinc prudenter factum à Monſpelienſibus contendit ornatiſſimus Catelanus, quòd illius pondus auxerunt ambræ quantitate imminuta, & proindè confectionem Alchermes tutiorem, & iucundiorem reddiderint: & quia plus Moſchi non adulterati reperitur, quam ambræ, idcircò doctiſſimum Rondoletium in Aromatico Moſchato ambram pariter minuiſſe, Moſchi pondus augendū cenſuiſſe. Hæc latius perſtrinximus, quia res non ſolum curioſa lectu, ſed fructuoſa ob vſum, & praxim medicam videbatur. Explodenda porrò omninò, & exſibilanda Amati Luſitani ſententia in Comment. in Dioſcor. qui cenſuit coniectura ſui capitis ductus Moſchum eſſe carnem contuſam, & contritam cum oſſibus animalis Leporis magnitudine præditi in regno amplo vltra Malacham, quod viuum prius virgis flagellarum neci traditur: nam referente Paulo Veneto vtriuſq; Indiæ Incolæ eorum animalium carnes, tamquam eſcam optimam in delitijs habent, quod & Catelanus optimè obſeruauit.



Tarantula, vel Phalangium.


IXERAT Cardanus nil mirabilius esse eo Aranei genere, quod vocant Tarantulam, qui demorsos morte per lethargum occupat: obijcit subtilis Scaliger dicendum, vel scribendum fuisse Phalangij speciem esse Italiæ peculiarem, quãquam Plinius Phalangium Italiæ ignotum dicat: à Tarento Vrbe Tarantulam nominatam esse docet Scaliger: in tractu ore Meridionalis penè toto inueniri, sed innoxiam; in terra Apulia tum frequentem, tum maleficam esse: in sulcorum squallore latitantem imprudentes Messores, vel venatores pungere, hinc munimenta pedum excogitata, nam ocreolis calceati metunt. Eorum, qui læsi sunt, non vnum esse modum, quare haud solum lethargum afferre eorum morsum, non enim omnes esse inertes, languidos νωθρὺς existere, sed alios sopore premi, alios perpetuis vigilijs distrahi, alios flere,

flere, alios risu diffundi, quasdam currere, nonnullos inertes sedere, esse, qui sudent, qui vomant, qui insaniant: idcircò non defuisse Philosophos, qui putarint tot esse Tarantularum species, quot hæc agnoscantur accidentia, & symptomata: Hic subtiliter Scaliger (vt fuit omnium suæ ætatis doctissimus simul, & subtilissimus) huic repugnans sententiæ docet, sicuti ebrietas non vnius est modi, sed sua cuique pro natura, & instituto nam flent, rident, silent, blaterant, dormiunt, discurrunt, verberant, ita ex hoc morsu euenire: Musica curari negat, sed labore, & sudore tum vinci, tum expelli venenum: Visos à se languidos, & solutos in tantum accendi calorem ex Ascauli sono, vt saltando lassarent oculos spectatorum, sedari interea dolorem, & venenum à corde reuelli, atq; aliorsum diffundi, amota etiam mente à sensu mali: sublata Musica non continuo, sed pedetentim malum redintegrascere, repetita aboleri: Interea curari Antidotis, quorum vnam affert efficacissimã Aristolochiæ rotundæ, Mithridati singulorum vncias duas, Terræ sigillatæ vnciæ semissem, Muscas, quæ de Napelli frondibus victum capiunt duodeuiginti, succi citri quantum satis: Tum, subdit Scaliger, aduersùs hoc maleficium, vel contra quemuis alium morsum nulla cum hoc est comparanda Theriaca. Aliam esse ab hac diuersam Lacerti facie, quæ quod sub terra lateat à Romanis Terrentulam vocatam ait, eam se non vidisse, si nigra est, & luteis maculosa notis, Stellionem se putare à Græcis Ascalabotem dictam, quam horreorum pestem autumant. At Musæi CALCEOLARII Phalangium ex Aranei genere existit, maius alijs coloris cinerei, octo cruribus, vt plurimum donatum: Duo genera facit ornatissimus Imperatus: vnum quod telam facit candidam, & densam in suarum latebrarum hostio, huius morsum nec symptomata, nec dolorem effatu dignum parere: alterum ab incolis vocari Solofizzi magis venenosum crassioris corporis, & nigro colore, cuius morsus tumorem insignem facit: hoc nullam texit telam, sed in subterraneis latibulis degit: commorsum symptomata

In sui Musæi descript. Italicę.

quo-

quotannis Æstate renouari; lassitudine, & sudore curari contracto ex saltatione illa, quam ad Cytharæ obeunt sonitum, qui inflictæ noxæ, & affectioni sit consentaneus: quæ ferè etiam docuit præstantissimus Mattheolus in suis Dioscoridem Commentarijs.

Ceruus Volans.



SCARABÆORVM genus esse Ceruum Volantem, sub nomine Lucanorum, à Plinio nostrate descriptum inconfesso est: ramosis corniculis Ceruorum instar præditus est, vndè Cerui nomenclatura. Insectum Lombardiæ Prouinciæ familiare; in Agro etiam Veronensi frequens in Pago Raldono nuncupato: Aduersus dolores, & nemorum crurumq; retractiones, & stupores à vulgaribus Granchio dictos, qui repentè solet inuadere, mirificam vim habere putantur. Tamquam Amuletum igitur præsentaneum in auro, aut in argento obligata huiusmodi animalcula gestantur: Genus fœmineum omnibus suis partibus minùs videtur, atque eadem vi aduersus illas neruorum affectiones pollere. Verba Plinij de hoc Ceruo sunt cap. xxviij, lib. ij. Sed in quodam genere eorum grandi cornua prelonga bisulcis dentata forcipibus in cacumine, cum libuit, ad morsum coëuntibus, infantium etiam remedijs ex Ceruice suspenduntur: Lucanos vocat hos Nigidius.

Chamæleon Aereus.



HVNC CALCEOLARIVS Senior olim nactus ab insigni liberalitate Illustrissimi, & Reuerendiss. DANIELIS BARBARI electi Aquileiæ Patriarchæ; qui Venetorum Patritiorum doctissimus, & Barbaræ Domus nobilissimæ post magnum HERMO-

LAVM eximium fuit ornamentum, & quoniam hic Chamæleon iam præ longa ætate emarcuerat, alio nouello haud exiguis impensis comparato renouandum censuit CALCEOLARIVS Iunior hocce nauatum Anno M D C XXII. quo Musæum scribimus, vt est accuratus, & minimè parcus istarum rerum Exoticarum indagator, & locupletandi Musæi studiosus. Auis isthæc auicula Dei, Paradisea, Manucodiata etiam appellatur, de qua multa, & curiosa scripsere Scaliger, Cardanus, Corradus Gesnerus, Vlysses Aldourandus. C. Clusius in suo Auctario rerum Exoticarum, & Melchior Guilandinus in breui disceptatione de hac auicula: Hos præstantissimos auctores consulere studiosum Lectorem ne pigeat, si amœna lectione se se oblectare cupit, nos quædam ex Guilandino, & Clusio potissimum attingemus, quò enim in his rebus recentiores sunt Auctores, eò in rebus explorandis, & recensendis veraciores fuisse videntur. Paradiseam ergo Auem, vel Manucodiatam pedibus carere omnes, qui de ea tractarunt, censuisse visi præter Antonium Pigafetam, & Clusium, quibus ego libens assentior: ille enim Magellano profectus, & toto orbe perlustrato è longa nauigatione redux huius Auis notitiam Europæis hominibus primus dedit, & in nauigationis suæ Diario, ait Clusius, Pedes (crura voluit dicere) palmum longos huic Aui attribuit: In eadem erronea opinione se versatum diù, ingenuè profitemur Clusius, vt eas Aues apodes putaret præter Aristotelis summi Philosophi sententiam, qui nullam Auem, absque pedibus esse docuit, quod omnes à se conspectæ Manucodiatæ sine pedibus erant, exenteratæ apud rerum Exoticarum studiosos, nec eo tempore curiosos esset ad obseruanda rerum discrimina: mox ex postremis in Indiam Batauorum nauigationibus, se sententiam mutasse, cum certum sit allatas huiusmodi auiculas Amstelredamum integras, cruraque cum pedibus retinentes Picæ variæ cruribus similia, infirmiora tamen, nec adeò crassa, coloremq; non atrum, sed ad castaneum vergentem habuisse, earum Iconem exhibere non potuisse, quoniam illicò redemptæ ad Cæsarem Rodulphum

huius

huius nominis II. translatæ, quem talium naturæ miraculorum notitia impensè oblectatum constat: Nautas tamen certò affirmasse se ab ijs, à quibus Manucodiatas coemebant, intellexisse, omnes pedibus esse præditas, incedere, & volare aliarum Auium instar, sed incolas, simulatque eas cœperint, intestina, ac pedes adimere, atque abijcere, deinde Soli exponere, vt facilius arescant, aridas adseruare, vt venundnet, aut suis cassidibus pennarum loco aptent: Eas Aues in syluis versari, & xxx. vel XL. simul per turmas volare solitas ipsarum Rege, vel Duce Comite, interdum sagittis peti, quod si contigerit ipsarum interfici Regem, illo cadente reliquas Turmæ Aues simul cadere, & sese capi sinere, tamquam amisso Rege vitam retinere nolentes, fabellæ proximam historiam de alia harum Auium captura apud Clusium leges: Duo porrò genera harum volucrum constituunt, vnum maiorum, quæ elegantiores sunt, alterum minorum, & minùs elegantium: Maioris generis corpusculi moles, qualis in Musæo asseruatur, ad hirundinis magnitudinem proximè accedit, à summo capitis vertice ad vropygium vsque vix quinque vnciarum longitudinem superat, in Molucis insulis pulcherrimam oriri tradit Guilandinus, primo adspectu videri maximam ob pennas, quæ ei sunt amplissimæ inque orbem digestæ amplioris Circuli describunt ambitum: eam viuam à nullo mortalium in terra conspectam; solum mortuam in humum decidere, eã casu repertam sanctissimè ab incolis asseruari, vt illa se Reges tutos in Bello putent, quamuis in prima Acie collocati fuerint: Verum isthæc primum à Mahumetanis vulgaribus conficta existimo, & superstitiosè in Paradiso solius Dei (vt putant) loco nasci huiusmodi Auis credita, vndè Paradisi Auis vocata: verè, & acutè Scaliger, aiunt Menacordiatam, cum ex incompertis locis cadens visus esset facilè ab imposteribus Mahumetanis persuasum esse Molucarum Regi ex illo suo Tabernario Paradiso missum esse, adeò vbique tum gentium, tùm locorum Gens ista Sacrorum ministra vulgi secat species, ad ea, quæ ipsi fingunt, somnia: quod potissimum verum est de illa Mahumeti secta:

Exercit. 328.

Pie-

Pietatis.n. Catholicæ opera admiranda fidei publicæ certissimis testimonijs firmata (in Sanctis enim suis mirabilis Dominus) nos ad veri Dei cultum,& amorem excitant: quæ enim est illa Religio, in qua nec vera miracula, nec Sacrificium incruentum, & Sacrosanctum visuntur, sed mirus horror,pertinacia,& detestabilis priscorum rituum contemptus? redeo ad Manucodiatam, quæ pennarum ambitu discolore, sed venusto admodum, & decoro exornatur: Pennę à prima ceruicis vertebra ad rostri vsq; initium breues sunt, crassæ, duræ, coloris lutei insigniter splendentis, & auri purissimi modo, radiorumque solarium instar fulgentis; quæ mentum contegunt, molliores, & tenuiores ex Cyaneo merè virides, quales in Anatum masculorũ capitibus dum Soli obuertuntur: Rostrum,quàm sit Hirundini prolixius, Pennæ alarum Ardeis forma pares, sed tenuiores, longioresq; colore fusco inter ruffum, & nigrum splendentes, cum alarum, & caudæ pennæ in orbem extenduntur, rotæ similitudine (cum cuti infixæ veluti spicula immobiles plene sint) sponte in aere interdum sustineri Auem puto, in quo libentius vitam agitat, quam in terra, quam tamen pedibus præditæ sæpè percurrunt. Maiorum pennarum alas constituentium origines aliæ pinnulę superextensæ obtegunt dimidio quisquiliatæ ruffæ,coccineæq;,reliqua parte croceæ, & fuluo auri colore præditæ multum gratiæ, & venustatis ob colorũ dispariratem auiculæ conciliantes: reliqua corporis moles tota pennis fuluis in ruffum colorem vergentibus obducitur; Ventris, & pectoris fuluo nitidissimo,quæ dorso infixę puniceo obscuriore renident,ex ijs omnibus pennis dorsi nimirum, ac ventris, cum sint longissimæ, cauda conflatur, qua cæterarum auicularum more minimè exornatur, quin neque Alæ in arctum contrahi, aut in latum diffundi pro animantis libitu possunt, sed vno tantum, eodemque modo naturaliter perpetuò consistunt: Obseruatur etiam dorsum huius auiculę masculi depressum, inflexumque esse, vt sinum, foueamque efformet: in eam cauitatem fęmella oua deponere, cum & ea cauum ventrem obtineat, vt hoc pacto oua possit incubare, & tandem pul-

los excludere : ſubdit Guilandinus ; quod & experimento comprobatur, adnectuntur maris dorſo fila gemina, nigra Cornuum modo vtrimq; in rectum extenſa tres, & amplius palmos longa, neque rotunda exactè, neque etiam perfectè angulata, ſed figura inter quadratum, & rotundum media nec craſſa valdè, nec ſũmè tenuia, verum ſutorio filo, haud planè diſſimilia ; Horum vſum talem eſſe, quò nimirum fœmina, dum oua incubat, mari firmius alligetur: cibus ei ſolidior nullus : ſi interiora ſpectentur, inane nihil reperitur, ſed totus venter inferior adipe tantum expletus conſpicitur : Hæc probè omnia Guilandinus, quem mihi Patauij amicum, & ſimplicium medicamentorum Doctorem fuiſſe glorior, ſed dum pedibus carere docet, propterea anxiè diſquirens, quomodo ſomnum in aëre captare valeat, obiectionibus Cluſij obnoxium putarim, vt enim iam perſtrinximus, quò quiſq; nobilis Auctor in rebus arduis perquirendis eſt recentior, eò exactiorem, & enucleatiorem eſſe reipſa deprehendi : illud porrò iurè miratur doctiſſimus Guilandinus, cur apud veteres ſcriptores nemo huic admirabili Auiculę nomen inuenerit : ipſe Rhyntacem Plutarchi in Artaxerſis vita commemoratã putat, in qua nihil reperitur excrementi, ſed interna omnia ſumine, atque adipe plena viſuntur, atque proindè aëre eam, & rore ſolum nutriri, omnes mortales arbitrantur, huius etiam Dionem, & Cteſiam auctores multò Plutarcho antiquiores meminiſſe, Cteſiam quippè prodidiſſe cultello hanc altero latere veneno illito Paryſatem ſecuiſſe, partem veneno intactam ſibi in os coniectam exediſſe; Statyræ autem veneno infectam partem porrexiſſe : propenſiſſimus igitur eſt, vt credat, non diſſidere has auiculas, ſed eaſdem notas vtriq; conuenire, quod vt Rhyntaces, in maxima exiſtimatione apud Perſas quondam habita ſit : nullum nos hic noſtrum interponimus iudicium, tanti Viri ſententiam ſolum innuiſſe contenti ; plurima, & curioſiſſima, qui volet, de Manucordiata apud Aldrouandum legat, qui doctiſſimè, & ſubtiliſſimè de ipſa diſputat; quod libens, ac volens Cluſius ipſe confitetur. Muſæi Manucordiatæ hic figuram expreſſam damus.



Garrulus Bohemicus.



VEM hanc donauit ſuperioribus annis Iuniori CALCEOLARIO Excellentiſſimus RONCATVS Veronenſis Medicus, qui tum Sereniſſimi Archiducis CAROLI à conſilijs erat valetudinis: Cum hęc Auis apparet, peſtilens aëris mutatio expectatur, teſte Geſnero, quam ſic etiam ad veri expreſſam ideam deſcribit: Plumeus in capite Apex retrò ſpectat ruffi coloris cum pennis aliquot cinereis. Collum anterius nigrum eſt, vt etiam poſterius, latera colli ruffa: in pectore, & ventre roſeus ferè color eſt dilutus fuſcis quibuſdam, & cinereis intermixtis pennis. Alæ ſuperius è ruffo nigricant, tum color cinereus ſequitur, tertiò candidus, quartò maculæ quinæ egregiè rubentes, quas natura corneas eſſe quidã mihi rettulit, longiores alarum pennæ nigræ ſunt, maculis aliquot è viridi ſubflauis diſtinctæ: Cauda nigra eſt, extremitas verò in ruffo flaueſcit: Roſtrum nigricat, crurum color fuſcus ad cęruleum accedit; Hæ fortè aues fuerant, quæ in Hercynia ſylua noctu ignium modo collucent, ſi verè veteres quidã prodiderunt: Hactenus Geſnerus: Innuere porrò videtur Aues illas lucentes, quas effinxit Dionyſius Apher in Poëmate de Situ Orbis, quas ſoli Hercyniæ Syluæ familiares eſſe ſcripſit: hanc fabulam & Plinius, & Solinus eius Simia tamquam veram arripuerunt, tanta vis eſt Poëtarum in perſuadendo quæcumque volunt, ait doctiſſimus Iacobus Mazzonius, cum & Albertus Magnus,
Lib. 26. hoc tãquam verum in libris ſuis de animalibus adſcripſerit, Lucidiamq; id genus auium vocari dicat; is tamen auctor Germanus fuit, facileq; diſpicere poterat, id genus volucrum nuſquam gentium comperiri, Ariſteas etiã Preconeſius Poeta Gryphos Aues poſuit, cum Arimaſpis pugnantes facie, atq; alijs Aquilæ reliquo corpore Leoni ſimiles, quã fabulam Plinius, & Solinus pariter auidè arripuere, vt ſpecioſis rebus

recen-

recenſendis lectores allicerent : Garruli Bohemici ſubijcit Geſnerus,anno ſalutis M D LII. inter Moguntiam,& Bingam iuxta Rhenum , maximis examinibus apparuerunt, vt ſubitò,quà tranſuolabant,ex vmbra earum aurum,veluti nox appareret,& in pluribus locis capti in cibum venerũt, quod veluti prodigium annotarunt : poſt v. aut vij. annum ſemel turmatim aduolat, arborum fructibus viuit, quarum baccæ rubræ ſunt,capitur,& manſueſcit facillimè huiuſmodi Auis, lautorum menſis adhibita, & in primis Iecore laudata. Huius Auis & hic Iconem typis excuſum proponimus.



Salamandra Aquatilis.



LACERTÆ species Salamandra: Lacerto tamẽ vulgari crassior, ventre pallido, crassiusculo, longæ circiter Dodrantem, cutis pars flaua auripigmenti colore, vtraq; splendens, linea per dorsum nigra, punctis quibusdam orbiculatis, ceu ocellis impressa, Talem à se visam Gesnerus fatetur, loca frigida, & humida incolit: Quæ in lacunis degit, ibi diù viuit, nisi (exhausta aqua) terrestris fieri cogatur, quod sępè contingit; Genitrices dictæ caudam oblongam habere dicuntur, vt Lacertarum genus, quæ ex ijs genitæ caudam depressam anguillarum instar obtinent, tali nempè propter natatum in aquis eguerunt, ex cęnoso limo initio aluntur; dumque propter aquæ defectum terrestres redduntur caudam rotundatam aliarum Lacertarum modò præferunt: In terræ cauernis degentes ex cochleis, vermibus, alijsque huiusmodi aluntur rebus: serræ instar dentes, absq; caninis obtinent: Venenum ex ore fundunt lactei coloris ad flauum vergentis crassiore substantia: à re aliqua permolesta irritatæ è toto corpore emittunt sudoris instar lacteum succum prædicto similem, quem præsens venenum esse omnes iurè conijciunt: Vetus porrò quæstio est, an Salamandra ignem perambulans ipsum extinguat; quod affirmare visus Aristoteles, quamquam ex sententia aliorum, vt multi putant, Nicander in Alexiph. ῥαγόεν δέρος huius animantis Cutem vocauit, quod meatibus quibusdam pateat, vndè destillans humor ignem restinguat, quod vetus illius Auctoris Scholiastes obseruauit λιπορρινον etiam huiusmodi Lacertum vocat Nicander, quod esset pingui Corio, quasi λιπόδερμον, vt sentit Scaliger, vel quod pinguem succum effundat, quo ignis extinguatur, quem tactum non alio modo extinguere, quam si esset Glacies, scribit Plinius: Hoc falsum alij existimant: Sed non esse fabulam de ignis extinctione docet Scaliger, ex

g. de hist. anim.

ex ſummo Philoſopho Olympiodoro in Comment. in Meteorum libros, ſuo enim tempore Fornacarios Papyri faſces excutere ſolitos, vt Salamandras decutiant, extingui, ſiquidem ab ijs ignes in Caminis ζημιῶδες γὰρ αὐτοῖς τῷ σβέσαι τὴν κάμινον: Dioſcorides, Aëtius, Theophraſtus, Galenus, Niphus, Matteolus, Geſnerus, alij de Salamandra id vel experimentis factis negarunt, licet enim initio igni repugnare videatur, ex diutina mora tamen comburitur, τακεῖσα μετ' ἐλαίου liquefacta ex oleo Ruellius, melius tabefacta, palpebrarum pilos euellit: Marcellus Virgilius legi vult καυθείσης, ideſt vſtæ, quoniam & Paulus Ægineta ſcripſerat, Σαλαμάνδρας καυθείσης τέφραν ἔνιοι μίσγουσιν crematæ Salamandræ cinerem quidam miſcent, & Plinius eius cinerem, ſcribit, incommodos palpebrarum pilos reuulſos renaſci non pati.

Atramentum Indicum.



IN Indijs Occidentalibus duo Atramenti genera apud ſcripturientes in frequenti vſu eſſe videntur atrum, & rubrum: Vtrumque in officinis diligenter concinnatum præparatur: rubrum ex puluere ſubtiliſſimo ſcobis Verzini ope aliquorum gummatum compacto conficitur, Nigrum ex terra bituminoſa nigra, eodem glutino ſubacta, & conglutinata componitur: in Tabellas, ac Teſſelas compingitur, & efformatur, quemadmodum ex ſubiectis Iconibus percipitur, quæ præterea etiam Indicis characteribus inſculptæ, & exaratæ cernuntur.

VNGVIS

Vnguis Onagri legitimus.



IRIFICAM Epilepſiam curandi facultatem huius animalis Vngulæ à naturæ prouidentia inditam multis experimentis comprobarunt eruditiſſimi, & experientiſſimi Medici, quamquam in nominibus animalis nulla ex parte concordes eſſe videantur: nos igitur ſiuè Alcem à Cæſare lib. vj. de Bello Gall. deſcriptam, ſiue Biſontem Plinij, ſiue Tarandum inter Scythas, qui Geloni vocantur, natum, ab Ariſtotele in lib. de rebus auditu admirabilibus recenſitum, ſiue Aſinum ſylueſtrem, quem Onagrum vocamus, hoc animal quis eſſe putet, nihil moramur, qui rerum naturam, non anxiam vocum, & nominum diſquiſitionem ſectamur. Scaligerum, Cardanum, Apollonium Menabenum, alios Viros eruditos conſulat candidus Lector, ſi hac nominum hiſtoria oblectatur: licet.n.hanc litem non definire, nec iudicium noſtrum interponere ſtatuerimus, arridet tamen Olai Magni rerum Sueticarum celebris Hiſtorici ſententia, qui Onagrum, & Alcem idem eſſe cenſet, tum Galeni lib. ij. de ſimpl.medic. fac. Aetij, Alexandri Tralliani, & Auicénæ, nam iſti combuſtos Aſinorum vngues Comitiali morbo mederi ſcribunt: per Aſinos enim Onagros intellexiſſe videntur, licet expreſſius magnum hoc animal minimè nominarint, aut deſcripſerint; Hoc à Germanis Hellend appellatur, quæ vox latinè, miſeriam, & infelicitatem ſonat: quoniam hoc animal Comitiali morbo ſæpè corripitur, à quo non vindicatur, niſi appoſita prius fuerit auri, altera poſterior vngula; cum ergo Plinius tradit, nullum animal præter hominem, & coturnicem affici Comitiali morbo, de ijs animalibus id accipiendum, quæ ſuo tempore fama comperta fuerant, tali morbo affici, multa enim venientes anni patefaciunt, quæ veteribus fuerunt ignorata, vt obiter Ciuis noſtri Plinij ſetentiam ab obiectionibus Menabeni vindicem:

Lib. 10. nat.hiſt.

Timi-

Timidum etiam valdè eſt animal, & homines procul olfaciens fugit, & quolibet vel paruo vulnere moritur, quinimmò & tantum ſuo ſanguine conſpecto, illicò exanime concidit, Menembenus ex Ceruorum genere eſſe ait, idcircò ipſis conuenire prudentiam, quam Ariſtoteles, & Plinius Ceruis attribuere: aiunt enim huiuſmodi animalia per primi veſtigia incedere cum turmatim gradiuntur, ne numerus ex veſtigijs dignoſcatur, vt vnusquisque rei inſcius vnius tantũ ſe cernere veſtigia exiſtimet, quod à probatis viris, & in huius animalis venatione verſatis, ſe accepiſſe fatetur eruditiſſimus Menabenus, tum Plinius lib. viij. ea de Ceruis docet: Fugiunt latratu canum audito ſecunda ſemper aura, vt veſtigia cum ipſis abeant: Tradit etiam Ariſtoteles ex Cornigeris vni Ceruo cornua tota eſſe ſolida, cæteris caua quadantenùs, ſoli etiam Ceruo cornua omnibus annis decidua, initio à bimatu, cæteris perpetua, quæ omnia etiã huic animali congruere contendit idem Menabenus, cuius ſententiæ, & doctrinæ fidem penès ipſum eſſe velim: Vnguibus illius, quorum magnam partem Muſæum Calceolarium aſſeruat plurimum tribuunt Sueci, & Prutheni, & alij Scriptores non infimæ notæ; ita enim Epilepſiã auferre dicuntur, vt incantamento ſimile quid facere videantur: Onager enim ſiue animal hoc Ceruinum eo laborare morbo dicitur, & ſecum remedium geſtare, nec ſolum factam iam Epilepſiam vngula curat, ſed futuram prohibet, itaut & Therapeuticum, & Prophylactacum remedium exiſtat, quod experimentis multis obſeruatum, mirumque ideò viſum, quoniam animal ipſum, cuius vnguis eſt, præſeruare non poteſt: Cæterum illud quæſitum eſt à viris eruditis vtrum omnibus vnguibus Alces ea proprietas conueniat: quidam poſterioribus tãtum vnguibus hanc vim tribuunt, & potiſſimum ſiniſtri pedis, ſed vterque vngnis auri admouetur ab animali, vt Epilepſium propellat, nec anteriores ea facultate ſpoliandi, nam ſi cornibus huius animalis ea uis ineſt, quantò anterioribus pedibus, qui ſpecie non differunt, & natura à poſterioribus, vt ſpecie differunt radices Pęoniæ

9. de hiſt. anim.

maris à radicibus Pęoniæ fœminæ, quarum illæ ſolum recens collo appenſæ puerum Epilepticum ſanitati reſtituunt, vt Galenus, & alij multoties obſeruarunt, idq; in Suecia potiſſimum, vbi Pęoniæ magnus prouentus, & ad huiuſmodi vſum decreſcente Luna colligitur: fatendum tamen auribus non ita commodè admoueri anteriores pedes, quemadmodum poſteriores: at obijciunt ſubtiliores phyſici, morbus Comitialis eſt conuulſio totius corporis cum principum actionũ læſione quomodo ergò pedes poſteriores tunc temporis ſuo fungentur officio auri admoti? optimè reſpondet Menabenus, plus fidendum experientiæ artis effectrici, quàm huiuſmodi rationibus ad tenue elimatis: præclarè Ariſtoteles docet, fidem adhibendam eſſe rationibus, ſi quæ demoſtrentur, cum ijs conueniunt, quæ ſenſu percipiuntur: omnes in Suetia Venatores, & Seniores vno ore admotionem poſteriorum vnguium ad aures aſſerere, quorum opinionibus ſine demoſtratione non minùs inhęrendum putat Ariſtoteles vj. Ethicor. quam demoſtrationibus ipſis: Præterea haud diffitendum eſt naturam ipſam prouidentẽ, quàm intelligentiam non errantem quidam vocarunt; de ſalute huius animalis ſollicitã poſſe illam admotionẽ, haud voluntatis ope, ſed mero naturæ inſtinctu adiuuare, quod ego exiſtimarim: primas tamen partes dextro, ſecundas ſiniſtro poſteriorum pedum vngui tribuendas cenſent docti viri, anteriorum pedum vngues in poſtremis eſſe collocandos: Illud etiam in dubium reuocatum an à viuente Alce, & Onagro præcidendi vngues, aut potius ex defuncto; magnis argumentis vtrimq́ue agitatur controuerſia, quæ nec praxi medicæ, nec Muſæo noſtro deſcribendo conferrent: cum illico moriatur animal, non longo morbo contabeſcat, ſi de adipe, & natura aliarum partium nihil deperditur, cur vngulas vim ſuam inſitam aduerſus Epilepſiam amittere exiſtimemus? Accedit & ratio firmiſſima, vim huiuſmodi à forma vnguis, quà miſtum corpus eſt, pendere, non quà animatum, nam & præciſus viuenti vnguis non amplius animæ compos eſt: Videmus quippè proprietates haſce

occul-

occultas, & purgatrices Rhabarbari, Ellebori, Agarici, Cnici, Sennæ non ab anima plantarum pendere, sed à propria natura misti corporis. Fabulosam porrò magiam sapiunt, non physicam contemplationem superioris æui supercilio sorum physicorum nugæ Caudæ Lupi exiguo villo inesse amatorium virus, nec idem pollere, nisi viuenti diripiatur; Chelidonium lapidem hirundinum viuentium vētribus dissectis erutum curare Melancholiam, & gestantem amabilem reddere, Alectorium, & Boracem lapides multis pollere viribus modo ex viuente animali fuerint extracti: Verum hoc est probare ignotum per ignotius, nam & multa ex defunctis excepta vim efficacem retinere putantur: Lupina pelle Tympana conflata maximo ouibus, perindè, ac Lupus ipse terrore esse creduntur: eo tympano concusso dissolui ea, quæ ex agnino Corio fiunt: Hominis etiam calculus alterius calculum conterit, & Fibri testiculos non exuiuis euiscerandos asserunt lapidem item Bezoar è viuis subrepto animali è ventriculo extrahendum tradunt. Hîc optimè Menabenus coniectat commenta hæc passim obtrudi, & prædicari, vt vnguem hunc magno pretio vendibilem magnatibus efficiant, alioquin maxima eius nō esset penuria: arduæ etiam conditiones illius eligendi, & colligendi propositæ ab Olao Magno, quare munus gratius Principibus euadit expositis tot inueniendi difficultatibus: Epilepticis porrò, & præfocatis mulierculis suppetias ferrè huiusmodi vnguem inconfesso est, apud prædictas nationes annulari digito Epileptici applicāt portiunculam, & illicò tamquam à somno excitatus in pedes se erigit, & liber euadit: ex eo etiam confecto annulo idem conuestitur digitus, idq; efficacius præstitum obseruatur, sinistræ etiam manui imponitur, & in pugnum mox complicatur, & statim depellitur morbus; Verum, & portiuncula in aurem sinistram indita, & veluti Scalpendo mota idem, non sine miraculi suspicione præstari obseruatum, verum cordi etiam apponendus vnguis, vt ob Sympathiam eius cum cerebro roboretur, & reficiatur: Vnguis etiam rasura fœliciter data pueris Epi-

pticis, cum aqua Liliorum conuallium, aut Spicæ, quem Lauendulam vocant: Inter omnia remedia primas hic puluis tenet ex Menabeno: sume caluariæ humanæ siccatæ, & vstæ vnciam vnam, rasuram Vngulæ Onagri, vel Alces iusto tempore Cęsæ, Cornu Ceruini vsti Sing. drachmas ij. Visci quercini, granorum Pęoniæ rad. Pęoniæ maris mundatæ rad. Tormentillæ rad. & sem. Dictamni albi sing. ʒ 1 5. Corrallij vtriusq; præparati Eboris recenter rasi Margaritarum præparatarum sing. ʒ 1. fol. auri num. xxx. Sacchara albissimi scrup. ij. misce, & terantur omnia subtilissimè in lapide Porphyrij, & f. puluis, qui Epilepticus appelletur, cuius Dosis sit Drachma vna, cum Zulapio Violarum, aut aqua Liliorum conuallium, aut Cerasorum: Expeditius remedium, & parabilius fuerit rasura huius Vnguis, rad. Pęoniæ maris, & succini candidissimi ex æquali portione cum aliqua ex iam dictis aquis: nihil tamen præstantius, nihil efficacius se obseruasse docet idem doctissimus Menabenus, exhibitione vnius, aut duarum guttarum olei ex succino albo per distillationem elicito à quo in Parocysmo æger à morbo, tamquam à somno excitatur: Eiusdem efficatiæ censeri oleum sulphuris si ex eo parum detur, cum decoctione Betonicæ, & Pęoniæ, quo impetus morbi frangitur, dum ea materia, quæ cerebri meatus occupat, validè discutitur: Præfocatis etiam mulieribus hunc vnguem præsentissimè subuenire, experientia compertum, si parum rasuræ illius addita Zedoariæ portione, cum congruente liquore exhibeatur: idem præstari ab vngula ista si superiori alicui parti alligaretur, vbi arteriæ pulsus manifestè perciperetur. Sed legendus est diligenter Menabeni Tractatus ad Rodulphum Cęsarem, & percelebris Romberti Dodonęi Epistola, qui duo fuerunt suæ Germanię medicinę, & solidę Philosophię lumina, libens enim profiteor à quibus emunctę naris viris sum adiutus in scribendo; ista enim non ex profunda mente meditationis acumine, sed à peritis historiæ medicæ perquirenda, & in proprium horreum corroganda.

QVOD



QVOD interdum à nobis describendo Musæo factitatũ, vt moralem aliquam admonitionem inspergeremus, quid ni præsentia fecerimus, quę tamẽ maxima ex parte medica documenta in se contineat? oblata occasione ab ijs Physicis, qui argutis rationibus, sed futilibus de Onagri vngue disceptabant: Est profectò genus quoddam medicorum, vel scriptis editis celebrium, qui partim ambitione ducti, partim perspicacia mẽtis freti receptis, vel decretis, vel medicamẽtis Virorum clarissimorum auctoritate, & tot seculorum obseruatione corroboratis libenter refragantur, idq; rationibus subtilibus quidem, sed quę statim captiosam, & leuem fallaciam pręferãt, quod & in consultationibus sępè accidit, vt alijs sapientiores esse dum videntur, vulgi plausum auidè captent, aduersus hos forsitan Sapiens scripsit, Fascinatio nugacitatis obscurat bona: fascinantur enim rudes, & Medicinę imperiti dum intentis oculis, arrectisq; auribus non quid dicatur à colleghis, sed quomodo, & qua emphasi pronuncietur, & obtrudatur, vndè alij modestiores antilogię vi obruti conticescant, diligenter obseruant: exempla afferam vtilia: ecce tibi nuper cum per litteras Carycostinum antidotum P. Bayri ex Dragrydio, Hermodactylis costo, & Gariophyllis confectum pro Arthritide, & Podagra curanda, vel mulcenda collaudassem: Medicus pereruditus rescripsit nulla arte, vel simplicium proportione id medicamentum esse compositum; Prętereа ex frequenti vsu Hermodactylorum debilem reddi ventriculum, hinc maiori crudorum humorum prouentu augeri arhtritidem, accedere quod ad partes debiles vel hæreditaria affectione, vel assiduo decubitu materiæ, humores agitati confluunt, & licet eorum pars expurgetur, maior tamen portio ad Articulos decumbens, affectum illum fouet, atque amplificat, hæc quidem ille aduersus experientiam, quæ Artium omnium basis, & fundamentum est, cum rationibus fides adhibenda sit, si quæ demonstrantur conueniant cum ijs, quæ sensu percipiuntur, ex verissimo Aristotelis decreto, prima quippè

4. Sap.

pè principia mentis lumine, & ſenſuum obſeruatione percepta vniuerſales propoſitiones pariunt, quibus Artes nituntur: Ego ſic regeſſi: omne probè conflatum medicamẽtum ex baſi, corrigente, & adiuuante conſtat, tale eſſe Carycoſtinum intelligimus, quia eius vſus eſt in eijcienda bile, quæ pituitam,& craſſiores ſuccos fundit, eorumq; vehiculum eſt, dum in Articulos debiles decumbunt, Dragridio igitur bilis, hermodactylis pituita ex Articulis potiſſimum extruditur Coſto adiuuatur huiuſmodi actio, Caryophillis vis aduerſa purgantium corrigitur; quare in Arthritide calidiore in Iuuenibus bilioſis tempore anni, vel conſtitutione aeris huiuſmodi nullum efficacius, aut præſtantius medicamentum reperi, quod plurimis, & certiſſimis experimentis teſtari poſſum, nam ſtatim dolores adempti, quin & ſublata cauſa curatur fęliciter morbus, præmiſſis tamen ijs præſidijs, quæ rationalis medendi methodus præſcribit: cum porrò eius modica exhibeatur Doſis,nullũ debilitandi ſtomachi, aut agitandorum humorũ periculum negotium faceſsit, quod experientia quotidiana docuit, &ſi in grauiſſimis doloribus, vel agentes aliquid periclitandum, vt Galenus ex Thucydide præcepit, cur in acutiſſima Arthritide Carycoſtinum non vſurpem, à quo incantamenti inſtar eueſtigiò humor acer, & vellicans dolorem vehementem infligens ab Articulis diuertitur, & educitur? Cum igitur & ratio Phyſica componendorum medicamentorum Carycoſtino ſuffragetur, quod primarius humor, vehiculumque eius eo adimantur, & partes etiam aliqua ex parte roborentur, conſtetque baſi, adiuuante, & corrigente; & quotidiana obſeruatio, qua,teſte Philoſopho, artium & ſcientiarum propoſitiones ex ijs, quæ ſemper, vel ſaltem frequenter fiunt vim adeptæ conſtruuntur, vt accidentariũ experimentum explodatur, quod errorum multorum,& malorum fons eſt, & principium: Vnusquisque prudens Medicus, nec contentionis inanis cupidus id amplecti, & in vſum adhibere tenebitur. illius imprimit Fabij Maximi apud Liuium Præcepti memor Medicos plus interdũ quietę, quã ex vermibus

pro-

probant in ſtercore equino prius putrefactis per elambicum elicitum, quod ad mitigandos artheticos dolores eſſe mirabile docent, ſed quia nimis relaxat, ſpiritui ſalis admiſcendum; in acumine igitur dolorum vel ſolum, vel exiguo ſpiritui ſalis admixtum vſurpandum: lenito dolore in partis duritie augendum ſalis ſpiritum, ne illud oleum nimis laxet, ſed emolliat, ſimulque partem roboret, & penetret; ob quem vſum à Galeno adhibitum ſcimus oleum roſatum Omphacinum cum Sale.

Verum enimuerò ſine vtili diſtinctione hoc non videtur tranſigendum; omnia enim Chymica remedia iurè prudentibus Medicis fuere ſuſpecta, quoniam igneum ex ſublimatione calorem nacta facilè corporibus impertiuntur, quãuis Seuerinus, Muffetus, alij Spagiricæ Patroni reclament, ſed Decennij, Eraſti, & Riolani optimorum auctorum rationibus minimè reſpondentes; ſolis clamoribus, & phaleratis maledictis ſectam tueri contenti: Oleum igitur illud Salis, & vermium in ijs duntaxat ſenioribus adhiberẽ, qui frigidiore temperamẽto, & ex craſſa pituita, & ſanguine frigidiore genitam arthritidem paterentur: vbi penetratione, attenuatione, & calfactione opus eſſet, quibus doſibus, & proprietatibus mihi olea illa Chymica ſemper fuere probata, nam etiam hac in re id tutò tenendum, quod ſapiens hiſtoricus ingerit ſi aliquibus aſſentiri neceſſe eſt, media ſimilia veri ſunt: Ijdem Viri celebres libro edito, Rhabarbaro in bilioſis febribus decoctum Tamaridorum, cum Syrupo roſaceo ſoluente, & portione mannæ ſubſtituũt, veriti ne Rhabarbarum colore, & ſiccitate ſua febrem adaugeat, calorem exacuat, vel ſolidiores partes ſiccando hecticam febrem introducat: en argutam rationem, & logicam, quæ nihil docet, & obſcurat optimam praxim; quo enim pacto bilis in venis febrem efficiens perfectè (electiuè vocant) euacuabitur, abſque Rhabarbaro, Tamarindi, & Manna ſola excremẽta bilioſa in primis vijs conſiſtentia purgant, vel leuiſſimè vltra prima vaſa penetrant, at quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere conſueuere: hoc ipſi viderunt, id-

circò

circò ſtatim ſe ipſos corrigentes dilutum Rhabarbari ex aquis refrigerantibus, vel ſero exhibent, cum id præſtantiſſimum Cholagogum eſſe fateantur: at quis adeò ineptus, aut audax eſt Medicus, vt in febribus huiuſmodi tempore anni feruentiore Rhabarbarum, ſine corrigente exhibeat: Multi etiam peruicaces exiſtunt, qui doctiſſimi Maſſariæ auctoritate ducti veſicantia, vel Phęnigmos in febribus mali moris, & peſtilentibus damnant, quòd coctionem ſuccorum impediunt agitando, quod naturæ motum, & criſim interpellant, quod vigilias inducant dolores calorem, & veſicæ ex cantharidibus malum affectum, ſpecioſa argumenta, ni experientia quotidiana reclamaret, cùm enim natura à maligni ſucci copia eſt oppreſſa, & veluti ſopita, eaque fuſa cerebrum, & cor petit, quod delirium, capitis dolor, ingẽs perturbatio, deliquium animi, angor cordis, & pulſus debilis, cum vrinis craſſis, & perturbatis oſtendunt, excitanda natura, & ſuorum operum commonefacienda, à partibus principibus ea materia noxia ad pedes, & brachia auertenda, cum potiſſimum, nulla expulſio, coctio, aut naturæ vincentis conatus ſeſe prodat, ita cura irregulari, quæ tamen ex ſummis prudentiæ phyſicæ regulis inſtituitur, hæ febres tutò curantur. In horum tamen veſicantium medicamentorum vſu Duo errata, vel abuſus vocati euitandi, Vnum ne cum æger ſudat vel copiosè deijcit, vel mingit inurantur, ne coctio, aut naturæ iam excitatæ, & ſuperantis motus impediatur, quod multi ſatagentes Medici, vt aliquid ſemper facere videantur, intempeſtiuè ſatis moliuntur: Alterum erratum eſt, cum copioſam Cantharidum Doſim, cum Ceuphorbio, vel Synapi præſcribunt, vndè vlcera noxia, diuturna, & veluti Cacoëtha gignuntur, quæ inſignem moleſtiam ægrotis pariunt: Audire enim eſt, non ſine humana miſeratione ægros iam à febre liberatos de crurum vlceribus, vel brachiorum, aut carpi conqueri; his ſibi dolorem, perennes vigilias effici: Debent profectò talia medicamento ſolum veſicas excitare cum humoris euocatione, vndè phęnigmi dicti, at carnem ſubiectam vlcerare

& pro-

& profundius eã absumere non debent: drachmæ igitur duntaxat duę cũ dimidia Cantharidũ pręscribuntur Drachma 5. Costi, qui Cantharidum creditur noxiæ facultatis Alexiteriam, & Scrup. 1. Synapi, cum fermento, & aceto Scyllatico. Ceratum mox Sacrum imponendum, & materiam noxiam attrahet, & apertum Phęnigmum seruabit: sed de his hactenus quamquàm πάρεργα sint ad praxim medicam ritè obeundam non omninò contemnenda.

MONOCEROTIS Cornu veri, & legitimi frustum in Musæo asseruatũ vidimus, quod superfuit ab eo, quod Clarissimus Mattheolus Praga anno M D LXV. ad CALCEOLARIVM Seniorem transmisit Iussu Maximiliani Imperatoris Austriaci, vt Antidotum aduersus Venena efficacissimum componeretur, quod re ipsa etiam tale, non sine summa CALCEOLARII laude fuit obseruatum, quod ergo superfluit frustum Principũ liberalitate Musæo concessum.

RHINOCEROTIS etiam Cornu ferè integrum eidem Seniori CALCEOLARIO à Serenissimo VINCENTIO Mantuæ Duce, cum multis alijs pretiosis, & summæ raritatis Exoticis rebus donatum, cum Calceolarium ipsum Rupula, vbi ferè degebat Mantuam præstantissimus Dux sępenumero accersitum honorificè vehendum curabat, vt de varijs, & maximi ponderis Medicis rebus secum colloqueretur, domumq; Torque aureo insignis pretij cohonestatũ aliquando remisit, semper enim peritiam exactam, iudicium, & omnigenæ materiæ medicæ notitiam illius Viri, Serenissimus Princeps plurimi fecit, quinimmò eò beneuolentiæ, & amoris prouectus est eximius ille Dux, & magnanimus Dynasta, vt prandium sibi condixerit in ædibus ipsius Calceolarij iam senio confecti,

fecti, & oculis capti, Ripulam sua praesentia, & nobilissimorum aulicorum splendore cohonestauit Maderno decessurus apud Benacum Veronensem, eius delitiosissimo, & ameniſſimo secessu, id ex litteris manu tanti Herois scriptis xij. Octob. M D XC IV. ad Calceolarium satis compertum habemus. Caeterum de Monocerotis, & Rhinocerotis Cornibus ita sentiendum est longè inter se differre, sicuti quatuor ille discrepant animalia Monoceros, Rhinoceros, Asinus Indicus, & Oryx; quamuis de his duobus tantum postremis Aristoteles meminit 2. de hist. anim. & 3. de par. anim. Vnicum in fronte Cornu haec animalia gestitant, quamuis Rhinoceros praeter pusillum id, quod fronti eius inest, si Pausaniae credimus, altero in nare robustissimo praeditum esse docet Scaliger, quo audacissimè pugnat, ac vincit Elephantum, quam rem Martialis libro primo expressit.

Namque grauem gemino Cornu sic extulit Vrsum,
Iactat vt impositas Taurus ad astra Pilas.

Hinc Cardanum illum in scribendo praecipitem iurè damnat Scaliger, qui Monocerota sub Rhinocerotis nomine pinxerat, duas enim Belluas esse longè diuersissimas, Picturã Rhinocerotis se vidisse ait, cuius cadauer è naufragio eiectum erat in Tyrrhenum littus, capite suillo tergore munitum scutulato: Monocerotis verò figuram ex Vartomano describit Scaliger, Equi magnitudine, cruribus, pedibus, capite Cerui: Pili colore balio: Equi Iuba rariore, & breuiore Coxis villosis: Cornu vnum integrum Niceae à se visum subfuluum vnum, vnum subluteum accedens maxime ad buxeum, vnum subpuniceum etiam se habere frustum candidum, negare Vartomanum esse ferocem, contra quam vulgò acceptum erat. Porrò Monocerotem, vel Aristoteli ignotum fuisse, vel cum Asino Indico, aut Oryge confudisse, meritò coniectant eruditi Viri. Verumenimuerò & praeter Plinium Ælianus lib. 2. Monocerota describit: discrepantem valdè à Rhinocerote, vt & Vartomanus descripsit: & in-

& inter ſupercilia Cornu vno præditum, eodemque nigro, non læui, ſed verſuras quaſdam naturales habente, atq; in acutiſſimum mucronem deſinente: Ex his colligunt, Pictores grauiter hallucinatos, qui Monocerotem albo colore depingunt, cum talis color Aſinis Indicis, excepto capite, conueniat, quod purpureum ex Æliani teſtimonio obtinent, cornuque in fronte gerunt, cuius ſuperius puniceum, inferius autem album, medium verò nigrum eſt; Cum porrò Ælianus Monocerotis hoc eſt Vnicornis figuram, & proprietates exponens nullam eius Cornu Venenorum expulcerum vim attribuerit, quamuis alia multa minùs memoria digna litteris conſignauerit, ſtatim auidè arripiunt Viri doctiſſimi anſam communem ſententiam refellendi, quod illud Cornu talem vim obtineat, cum ea potius Aſini Indici Cornibus ex Æliano conueniat; Sed profectò veriſſimũ illud eſt,

Multa ferunt animi venientes commoda ſecum,

Tempus enim, & remedia noua, & eorum vires patefacit; id ſanè Viri Principes, & magni Imperatores plurimis obſeruationibus compertũ habere potuerunt, ex quibus propoſitiones generales ad confirmandas remediorum proprietates conſtituuntur: quinimmò maxima fide digni retulerunt Vnicornis illud Cornu priuſquam ad Calceolarium Seniorem mitteretur Summi Cæſaris iuſſu antè omnia exploratum in veneno affectis animalibus, & hominibus etiam ſupremo capitis ſupplicio damnatis: à Calceolario etiam ipſo accuratiſſimo virium medicamentorum exploratore, & indagatore prius periculum factum, quam ſe ad Antidotũ conficiendum accingeret, & non ſine Medicorum eius tempeſtatis admiratione concitatæ expectationi mirificũ euentum reſpondiſſe: Idem Iunior Calceolarius ſe accepiſſe ab amicis Senioribus, & alijs affinibus domeſticis fatetur, & conſtanti fama Veronæ eo tempore, & in toto illo Germaniæ tractu promulgatum adhuc meminerunt complures prouectæ ætatis Viri.


VCTOR est magnus Galenus rationem, & experientiam esse duo veluti crura, quibus Ars omnis constituitur, nec vnam ab alteram seiungendam, quod illi faciunt, qui ex aliorum Commentarijs tantum sciunt, & ad quasdam suas notiones, & imaginationes, rerum naturam pertrahunt: philosophis illis à Platone memoratis persimiles, qui si in forum, & actiones publicas prodeunt, ineptos se, & ridiculos præbent; hi profectò ingenio præstant, sed sunt experientia destituti, quam veluti se indignam aspernantur, vt optimè Gesnerus monuit, Tales multi fuere ex Præceptoribus meis Patauij, qui Theriacam remedium empiricum, confectionem Alchermes, & pulueres Alexipharmacos esse pronunciabāt leuibus quibusdam rationibus seducti, experientiæ parum fidentes: Quod verò Rhinoceros ab Vnicorni differat, pręter Plinij, Æliani, Gesneri, & aliorum testimonia, qui auriti, non oculati testes fuere, Garzias Hortus, & Clusius, qui licet ea animalia non viderint, certiora tamen testimonia de ijs accipere potuerunt; ita habent lib. de Arom. hist. cap. 14. Est Rhinoceros vastum animal Cornu in nare gerens, quod difficulter domari potest, multos in Cambaya, Bengala finitima, & Patane inueniri tradunt, & ab incolis Gandas vocari: Mihi hactenùs Rhinocerotem videre non contigit (ait Garzias) illud tamen scio Bengalæ incolas eius Cornu aduersus venena vsurpare Vnicornu esse existimantes, tametsi non sit, vt ij referunt, qui se probè scire autumant: Ecce testimonium euidens, quod Naricornu, vel Rhinocerotis Cornu vi polleat aduersus venena: subdit diligentissimus Clusius in annotat. Rhinoceros visus Straboni lib. 16. cuius color Elephanti similis, non Buxo, Buxeum tamen illi colorem tribuit Plinius lib. VIII. *Cap. 20.* magnitudo Tauri, forma apro proxima, præsertim quod ad rostrū attinet dempto naso, qui Cornu quoddam est recuruum omni osse durius, eo pro armis vtitur, quemadmodū Aper Dentibus: paulo post subijcit hæc: Hoc porrò animal

nunc

nunc à Lusitanis Abada appellatur, eiusq; Cornu aduersus venena maximè celebratur: Clusius certè in Lusitania diù degit, neq; hoc referret, nisi oculatus testis, vt iam recentiorum classicorum quamuis Auctorũ à Cornu Rhinocerotis omnẽ talem vim abdicantium sententia omninò explodenda sit, cum ad pauca, & paucos Auctores respicientes facilè eam pronunciarint. De Vnicorni sic Garzias cap. cit. Ego hoc loco referam, quæ à Viris fide dignis accepi: Inter promontorium Bonæ spei, & aliud Promontorium vulgò de Currentes nuncupatum vidisse se affirmabant, terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiã delectaretur, quod caput, & Iubam equi haberet, minimè tamen marinum equum esse, Cornu præditum duos palmos oblongo, mobili, quodque nunc in dexteram, nunc in sinistram obuerteret, modò attolleret, modò demitteret, id animal, cũ Elephante ferociter præliari, eiusq; Cornu aduersus Venena laudari: eius experimentum factum propinato duobus canibus veneno; alterum enim canem, cui dupla quantitate propinatum esset Venenum, sumpto huius Cornu puluere ex aqua conualuisse; alium verò cui exigua quantitate Venenum esset datum, nec exhibitum hoc Cornu statim mortuum corruisse. Hæc Garzias, consentiente Clusio, quibus intelligimus ita differre Vnicornem à Rhinocerote, vt Equus ab Elephanto, & vtriusque animalis Cornibus vim insignem, & multis experimentis comprobatam aduersùs Venena inditam esse.



CORNV Alces, vel magni animalis, quod in hoc Calceolario Thesauro pariter ostenditur, magna vi ad Epilepticum morbum curandum pariter pollere, testantur viri eruditi, & periti Medici, tametsi antea sola adstringens facultas ipsi tribueretur: at mox Pruthenos Principes, & Episcopos Medicorum fortassis industria, & auxilios subnixos rasuram, seu

ramenta eius Cornu plurimum posse in Epilepsia cognouerunt, vt testatur Menembenus: addunt vt tali sint facultate prædita auferenda esse ab Alce inter Festum Assumptionis B. Mariæ Virginis, & Natiuitatis eiusdem; alij in Festo B. Ægidij Abbatis, quod Calendis Sept. celebratur, sed profectò, & post hunc diem ea cornua hac facultate erunt insignita, vt experientia rerum magistra docuit. Illud magis videtur consonũ rationi, quod de tempore inter Assumptionem, & Natiuitatem Deiparæ Virginis dicitur, cũ enim illud sit calidius anni tempus, animal suaptè natura frigidum incalescit, in Venerem efferatur, & turget, hinc succulentius fit, & magis vegetum, & in Cornua, vnguesq; succus magis distribuitur vna cum calore, viuidisq; spiritibus; sic radices pro re Medica tempore Veris colligendas præcipiunt optimi Physici, & Botanici, vt Mattheolus, quũ veluti vtero gerentes succum proprium retinent, nec in folia, flores, ramos, fructus is adhuc abijt.



ERVM & Gazelæ Cayri Cornua ibidem spectantur, qualia Bellonius lib. ij. obseru. cap. 51. descripsit: Maris Cornua maiora sunt (inquit) quam fœminarum, quæ omninò recta, nisi circa summum, nonnihil incuruarentur, longioraque, quàm Rupicapræ, & Lunæ crescentis in modum inflexa: Hæc esse Cicurum Gazelarum è syluestribus locis eò deductarũ, quæ Capreæ prorsus similes sunt corpore, & colore Rupicapras referentes anterioribus pedibus breuioribus, posterioribus longioribus Leporis modo, nigram lineam supra oculos ductam habent, vt Rupicapræ, Capellæ instar balant at barba carent; Pilus rutibus est ad pallidum tendens, leuis, & splendens, pectus, & nates albescunt, cauda subtus candicat, atq; superiore parte fusca est, nisi cicurentur loca campestria, sterilia, & sicca inhibitare solent: Hæc ex Bellonio, quæ plenius apud ipsum exposita perleges:

Quod

Quod verò Orygis nomen Gazelæ tribuat iurè reprehenditur à doctiſſimo Cluſio: Oryges enim contrario pilo veſtiuntur, & ad caput verſo ex Plinij teſtimonio: Vnicorne etiam, & Biſulcum Oryx: Sæuum etiam Martialis facit, Lbi.13

Matutinarum non vltima Præda Ferarum
Sæuus Oryx, conſtat qui mihi morte canum,

Obſeruat porrò Cluſius Gallorum Dain, ab Italis Daino, vt putamus dictum, non eſſe nomine Damæ inſigniendum, ſed è Ceruorum eſſe genere, & à Plinio lib. XI. Platycerotam appellari Damæ, quæ ex Caprarum genere eſt, cornua adunca in aduerſum tributa, cum Platyceroti Cornua in palmas finxerit, digitosque ex ijs emiſerit; quocircà & Martialis Damam imbelle animal facit ijs verſibus,

Dente timetur Aper, defendunt Cornua Ceruum,
Imbelles Damæ, quid niſi præda ſumus?

Hæc volui breuiter perſtringere, vt Gazelæ, Orygis, & Daini, quam multi ex noſtris Italis Damam putant, natura intelligeretur, cum vulgari adagio iactant, è più veloce d'vn Daino.



IN Prouincia Bengala Boues eſſe craſſitudine, non altitudine Elephantes æquantes memoriæ proditum eſt: horum Cornua Bouum (indicarum potiſſimum) in Muſæo aſſeruātur: vel candore vndequaq; vel varijs coloribus, vel ſtrijs etiam diſcriminatis prædita: Vaccæ etiam ſylueſtris Indicæ Cornua ſpectantur Calceolario Seniori, & Iuniori ab amicis harum rerum curioſis æſtimatoribus donata; hæc ijs ſimilia, quæ in Arabicis Vaccis ab Æliano deſcribuntur, quas excellere Cornibus ob humorum influxum, quos plurimæ, & craſſiſſimæ venæ humore, quantum ferrè poterant, grauidatę infundunt: Sunt & varia etiam alia Cornuum genera valdè inter ſe forma, figura, magnitudine, colore, flexura diſcrepantia

tia ex animalibus Indicis, ſed haud nomine cognitis d. ſumpta, quemadmodum Cluſius lib. v. Exoticorum admirandum Cornu deſcribit ab Hollandis Nautis reducibus allatum, cuius animal nec viderant, nec à quoquam percunctati fuerant.

cap. 14.



IPPOPOTAMI, quem latinè fluuialem Equum reddunt, dentes longè diuerſa ratione deſcriptos comperies à Scaligero, quam à Bellonio; ille enim ſic, Dentes vtrinque ſinguli ex inferiori mandibula ſurrecto flexu ſeſquipede maiores, candore, ſplendoreq; Ebori pares, eò præſtantiores, quòd, vt Ebur, numquam palleſcunt, amiſſo candore, materiam quoque firmiorem tradunt: at Bellonius dentes equinos, obtuſos tamen attribuit: longè etiam alia deſcripta animalis ſpecies ab hoc Auctore, quam antè animal viuum Bizantij delineari iuſſerat: inſtar enim obæſiſſimi porci corpus habere, pedes digitatos, caudam ſuillam, aut teſtudineam, pedes breues, caput vaccinum, oris rictum vſqueadeò vaſtum, vt leoninum ſuperet patulas nares, labra repanda, atque reſina, oculos, ac linguam prægrandes, vngulas in Porci formam diffiſſas; Talem Hippopotamum ludis publicis à Romanis Imperatoribus oſtenſum è Nili Paludibus aduehi ſolitum, tum etiam id animal, quod Turcarum Imperatori oblatum fuit, & ab ipſomet Bellonio conſpectum: Fidem huiuſce rei facere Coloſſi figuram, Nilum Ægyptium Romæ in Vaticano referentẽ, è qua Hippopotamum, quem exhibuit depictum, excerpſit; Scaliger Hippopotamo Gambræ Prouinciæ Vaccæ magnitudinem, pedes, bifidos, crura breuia tribuit, Aphricanis, Ægyptijs, Æthiopicis, Aſini proceritatem: Ariſtoteles ei animali os paruum adſcripſit: Hiatum ergo illum tàm laxum, qualem in feris quibuſdam διφρωγός vocat Philoſophus, dedita opera Ariſtotelis hiſtoriam deſtruere: prodi etiã fidem Herodoti, & Pli-

Lib. 1. de Aquatilibus.

& Plinij, quorum alterũ in Ægypto, vbi diù fuit, Hippopotamum vidiſſe credere par eſt, alter in publicis ludis Romę ſpectaſſe potuit: Hæc prudenter obijcit Scaliger Vir grauis, cui Sartam, tectamque eſſe Claſſicorum auctorum fidem, & auctoritatem placet: Hîc tamen libens, ac volens interponam iudicium meum: Vt plantæ eiuſdem ſpeciei, mira varietas pro regionum, & prouinciarum diuerſitate, vt de Saluia, & Planta Synapi proditum eſt, quod etiam peculiariter in canibus Belgicis, & Batauis obſeruaui, ſi cum noſtris comparentur, cœli enim vis, aëris, aquarum, & terræ conditio & ſemina, & alimenta plurimum diſcriminat, quod ſummo etiam Philoſopho Theophraſto placuiſſe video: ita non videtur rationi diſsentaneum Hippopotamum Ægyptium ab aliarum regionum Hippopotamo in multis diſcrepare quidem, quæ tamen ſpeciem, & primigeniam naturam non variarent; cum verò Byzantini modò Porcum, modò Bouem marinum eum vocarent, fieri etiam potuit, vt id diuerſum animal foret, quemadmodum id quod in aurei Adriani numiſmatis altera facie viſebatur, cuius Bellonio Io. Grollerius Inſubrium Quæſtor copiam fecerat, vt hoc pacto confirmetur eorum eruditorum iudicium, qui noſtris temporibus numquam viſum Hippopotamum iudicarunt, quis enim Bellonio iurauerit numismatis animal eſſe Hippopotamum? Vtcumque ſit Muſæi CALCEOLARII Dens aſſeruatus à Clariſſimo Scaligero deſcripto ſimilior, & affinior videtur, immo eaſdem penitus notas præfert, exertus enim Dens'eſt ſeſquipede maior, candore, & nitore ebori par, ad dimidiam vſque partem concauus, cætera ſolidus, & in acumen exporrectus; De Hippopotamo legendus potiſſimum Plinius lib. viij., vbi M Scaurum primum ædilitatis ſuæ ludis temporario Euripo eum Romæ oſtendiſſe tradit: Hippopotamum etiam in quadam medendi parte magiſtrum extitiſſe; aſſidua enim ſatietate obæſum exire in littus recentes harundinem cæſuras conſpicatum, vbi acutiſſimum videt ſtipitem imprimentẽ corpus, venam quandam in crure vulnerare, ita profluuio ſanguinis morbidum aliàs *Cap. 25. & 26.*

Vuuu cor-

corpus exonerare, & plagam limo rursus obducere; ex quo intelligimus phlebotomiæ vsum ab eo animali Medicam Artem hausisse.

Cap. 9.



DE MVMIA optime scripsit Scaliger Exercit. ciiij. vt simul & veram nobis proponeret, & Serapionem tueretur: Pissasphaltum enim multis in locis è montibus deuolutum ad fluuiorum hostia fluitare docet; id Mumiam esse Serapionis: Alteram esse Mumiam sepulchrorum apud Arabas, Syros, & Ægyptios longè vtiliorem, & preciosiorem; ex Aloe, Myrrha, & illorum materia corporum, quæ ijs sunt condita, quam ruptis, & contusis mirificè prodesse compertum est, vtramque descripsisse Serapionem: subdit doctissimus Scaliger: Quæ verò ad nos Mumia defertur ex Ægypto non ex Aloe, & Myrrha condimentum est corporum, sed ex Asphalto, illis enim vtuntur nobiles, quorum effodere corpora, capitale est; Asphalto plebeios aduersùs corruptionē se munire consueuisse Strabo auctor est; Ex his colligendum existimo aliam esse Plebeiorum conditurā ex Asphalto, quem secundū Mumiæ genus esse, postquam nobiliorū cadauerum cōditura haberi desijt, satis constat: Non ergo simpliciter credendū est Cadauera in Aphrica sub arena ingruentibus maximis ventis suffocata, & desiccata Mumiam secundi generis esse quod Montanus Vir Clarissimus, & Ciuis noster nobilissimus putasse visus Lectione xxxviij. in caput primum Auicenna de humoribus, quocirca & Medicos etiam carpit, qui occupantur tantum imposturis ignorantes veram Mumiam, quasi Cadauera illa simpliciter suffocata, & Sole, & arena desiccata Mumiam putarint sinè vlla asphalti conditura, qua in re deceptum existimo; Quæ enim corpora Venetijs in die Ascensionis Dominicæ festo in Pharmacopolijs ostenduntur nigra, arida, & visu horrida, nisi asphalti conditura, & veluti mangonio essent præparata, & concinnata nunquam pro Mumia distrahi, & diuendi possent: odor

por-

porrò,& ſapor bituminoſus aſphalti id ſatis euincunt. quod in Muſæi Calceolarij Mumia ſatis dignoſcimus. Porrò Arabum Mumia antiquior,& pretioſior ita fiebat. Mos erat Arabum, cum quis nobilitate præſtans moriebatur corpus vngebant vnguento ex Aloe,Myrrha, & Thure potiſſimum confecto (quod & Seruator noſter IESVS CHRISTVS innuit, cum vnguentum illud allatum à Magdalena ad ſe ſepeliendum factum docuit) indè pannis lineis opertum corpus inſcius conditorijs ſaruabant, temporis progreſſu accendente corpori putredine, & colliquata pinguedine, cum illa conditura fermentata, miſtura optima fiebat: hanc è ſepulchris ſubreptam Mercatores in Europam deferebant, quæ ad curandam conuulſionem emolliendi, & reſoluendi facultate valdè conferebat: in potu etiã dabant ad contuſiones,tàm interiores, quàm exteriores (vt idem tradit Montanus) ſed tandem deprehenſo furto, & furibus Arabes Cadauera in tutiori loco ſepelienda curarunt, & capitalem pęnam aduerſus huiuſmodi fures ſanxerunt.



OS in Ceruorum corde enatum mirificis præconijs ſanè effert doctiſſimus Mattheolus, ad omnigenos cordis affectus: aduerſus omnia venena valdè præſtare docens, & antidotis admiſceri, quæ aduersùs peſtilentiam parantur, ſed cauendum eſſe, ne huius loco Seplaſiarij bubulam tracheam Arteriam accipiant in compoſitionibus, vt facere conſueuerunt: proindè Veſalium iurè damnat, qui fortè ex vna, vel altera obſeruatione minimè reſpondente, tale Os in Cerui corde exiſtere negabat: ſed fides adhibenda Mattheolo talium rerum peritiſſimo, qui non ad pauca reſpiciens facilè pronunciabat.

Verumenimuerò quia in eodem Comment. in ſecundum Dioſcoridis lib. Mattheolus ſcribit, Cornu ceruinum ad candorem vſque exuſtum ex melle hauſtum alui tineas pellere age-

breuiter disquiramus, quem vsum præstet in Medicina multarum rerum exustio, quæ disquisitio etiam conducet ad tollendas difficultates, quæ in legendis auctoribus, & Galeno potissimum solent occurrere. Inter cæteras coctiones elixatio, & assatio tum Natura, tum Arte peragi possunt ex Aristotele lib. IV. Meteorum, illa calore humido eget, hæc sicco, vtraq; præparandis multis medicamentis apprimè inseruiens: Assationis quatuor constituunt genera, optimi Auctores, torrefactionem, cum torrentur medicamenta, donec medullitus calescant, vt ab ijs ita apertis, & calore laxatis facilius facultates eliciantur coctione, infusione, vel ablutione, sic aqua hordei fit optima mundato priùs hordeo, & torrefacto: Alterum genus est proprie assatio, cum non solum medullatùs calefit medicamentum, sed superficies eius mutatur, sic assata in profundo humidiora, in superficie aridiora statuit philosophus: hoc pacto vel augetur facultas purgatrix, vt in Scyllæ radice absumpta per assationem humiditate viscida, ac lenta: illa enim uis in sicco terreo posita est, vel imminuitur, vt Psyllij seminis facultatem purgatricem assatione imminuimus, quæ in humidioribus partibus consumptis erat sita, vel facultas à facultate separatur, vt assatione purgantẽ vim Rhabarbaro adimimus, quæ superficiarijs partibus, & tenuibus hærebat, remanet adstringens in partibus terreis posita, quam potissimum optabamus. Tertium genus combustio est, qua totum medicamentum mutatur, vt ab eo acrimonia omnis, & acumen auferatur: hac combustione omnia metalla, Galeno teste 9. simpl. ex mordentibus, & asperis longè fiunt mitiora, & vsui medico aptiora. Postremum assationis genus incineratio, quam Chymici calcinationẽ vocant vt medicamentum magis penetret, & efficacius reddatur, tum diutius seruari, & cum alijs misceri possit: sic Cornu Cerui in cinerem redigitur, & Antispodia ex combustis harundinum radicibus fiunt: hoc pacto enim humor omnis excrementitius adimitur, & asperiores terreæ partes elaborantur, & edomantur, vt facilius, & maiori cum fructu ab

ægro-

ægrotantibus hominibus capiantur: Iam verò adhuc quæsitum, & dubitatum an vstione fiant mitiora medicamenta æruginem enim Misy, & Chalcitim libro iij. Methodi vri præcipit Galenus, vt minùs acria reddita ad cicatricem inducendam efficiantur aptiora, quæ si etiam abluantur, adhuc magis redduntur mitia: At lib. xj. simpl. Sales vstos magis digerere, & discutere docuit, quam non vstos, quantò subtilius efficitur illorum corpus accepta ab igne facultate; sic cineres omnes discutientem facultatem videntur obtinere, quæ vis tota à caloris incremento pendet: libro ix. simpl. controuersiam tollere visus Galenus dum docet, Acria medicamenta multum caloris vsta amittere, quæ verò huiusmodi non sunt, assumere: ratio est in promptu, quia res acris per se per combustionem absumptis tenuibus partibus terrea fit, & magis adstringens; quæ fuit magis terrea per vstionem igneam naturam nanciscitur, quod efficaci, & pulcherrimo exemplo atræ bilis declarat doctissimus Vallesius, ea enim modò fit ex flaua bile, modò ex melancholia naturali frigidiori: illa enim est frigidior bile, calidior melancholia: ista enim terrestris, & acerba, idcircò vstione calorem, & acrimoniam adipiscitur: bilis ex se acris, acrimonia per vstionem deposita, atram bilem se frigidiorem gignit: porrò optimè monuit idem Vallesius res vstas semper partes quasdam igneas ἐμπύρευμα scilicet exustionem semper sibi conciliare, sic cineres licet terream naturam habeant, in lixiuium tamen acrimoniam illam igneā deponunt; ita etiam atra bilis est magis erodens, quam flaua, licet ipsa sit frigidior, ob illud ἐμπύρευμα vstione comparatum, quod per lotionem solum deponitur, vt cineres in lixiuium immissi fiunt prorsus frigidi, & inutiles, proindè prædicta omnia combusta medicamenta numquam vstione fiunt perfectè desiccantia sine calfactu, at lotione post vstionem talia ad vnguem redduntur. Cornu ergo Ceruinum, & Antispodia, cum efficacia esse, & magis penetrantia optamus, acrimoniam aliquam, & igneam vim per combustionem ipsis conciliamus, quæ partis terreæ veluti vehiculum est, & Cap. 6.

in

in alui profluuijs puerorum potiſſimum commendatur huiuſmodi puluis, tum ad pellendos etiam lumbricos, quorum vitæ pluri humori excrementitio ſubnixæ valdè aduerſatur.



VNGI Ceruini hiſtoriam, & vires, cuius neque apud veteres, nec apud recentiores auctores vlla extat mentio, teſte Mattheolo, idem vir ſollertiſſimus, & naturalium rerum indagator acerrimus Epiſtola vltima tertij libri egregiè, & accuratè proſequitur: Docet quippè Tuber eſſe quoddam ſubterraneum à Bohemis Ceruinum Boletum vocatum: Affirmare Venatores Tuberum vulgarium more ſub terra naſci, vbi Ceruino ſemine in coitu inficitur ſolum: dum exempto è vulua genitali adhuc aliquid ſeminis continente maris impetum ſubterfugit fœmina, hoc fieri in ſyluis, vbi multi habentur Cerui, qui naturali inſtinctu ducti ſcalpunt anterioribus pedibus ſolum, vbi globoſus fungus ſub terra delitescit, quod ex graui odore, quem ſpirat, ſe percipere ferunt, loca igitur Ceruinis pedibus diducta à venatoribus obſeruari, effoſſaque ſcrobe fungos iſtos eximi, & Pharmacopæis vendi, qui diſſecti in particulas, & filo traiecti mox in vmbra ſiccantur, & in vſum medicum ſeruantur: Globoſa his facies, & inæqualis, extima cuticula ſubnigricat, Carnoſa verò, & ipſa fungoſa ſubſtantia albicat: ſubdit Mattheolus, eſſe qui dicant reperiri ex his fungis quoſdam erectæ virilis mentulæ forma, vt in altera parte detecta glans, in altera globuli quidam teſticulos referentes conſpiciantur: Hos fungos, & potiſſimum, qui genitalis humani ſpeciem referunt, in medicamentis, qui Venerem conciliant, in plurimo vſu eſſe apud Bohemos Sicciorũ puluerẽ in dulci vino Drachmæ, vel Seſquidrachmæ pondere propinantes: lactis vbertatem etiã afferre ex Ptiſana, vel muliebri lacte potum fungũ valentiùs id agere, ſi longi piperis aliquid addatur, ſuffitu occluſos fęminarum locos reſerare, & vuluę

ſtran-

ſtrangulatus auertere traditum eſſe: ſuperſtitioſas mulierculas ijs abuti in amatorijs poculis quibuſdam prius admurmuratis præcantationibus; valere etiam fungum Ceruinum ad epota venena ex mero hauſtum: ad venenatorum etiam omnium morſum, non modo potum, ſed etiam illitum: Huius fungi ortum Italiæ negauit natura, cum ibi ſolum oboriatur, vbi Cerui degunt, quare tãquam rarum quid exoticum in Muſæo Calceolario repoſitum admiramur.



ERVI Lachrymam non poſſum enucleatius, & expreſſius deſcribere, quã doctiſſimi Scaligeri verbis: Is enim Cardanum illum omniſcium, & ἀντίπαλον ſuum ita alloquitur Exerc. cxij. Cerui Lachrymam rem fortaſsè minùs tibi notam in noſtris Muſarum Theſauris habemus cariſſimam. Antè centeſimum annum in Ceruo nulla eſt; poſt eam ætatem accreſcit ad oculi canthum ipſis oſſibus, atq; in os protuberans concreſcit ea duritia, qua Cornu ſuperet, qua parte prominet rotunda eſt coloris fului, non ſine veſtigijs atriorum venularum: tanta læuitate, vt pęnè tactum effugiat, ita enim ſeſe ſubtrahit, vt propemodum ſe ipſam mouere videatur, aduersùs venena remedium præſentiſſimum: Peſte correptis datur cum vini momento, vndè tantus cietur ſudor, vt penè totum ſolui corpus credas; cum hæc in Circulis aliquando recitarem, vnus ex ijs, qui è Legatorum Comitatu rerum Aſiaticarum cognitionem profitebatur negabat ad Ceruum quicquam attinere: ſed eſſe verò lapidem: ego illi poſtridiè oſtendi, qua parte ex oſſe fuiſſet auulſa; Hanc Solimanus olim dono dederat Samblancardo Trierarcho: At ea ego poſtea eius filij Bernardi Orueſani munificentiã expertus ſum: Hactenus Scaliger, cuius ſingula verba, verè aurea, apponere volui, vt huius lachrymæ non adeò apud Auctores vulgatæ certior notitia illuceſceret. Geſnerus tradit Bezaar lapidem dici Cerui Lachrymam, quæ genera-

neratur in Ceruis, quia Cerui comedunt Viperas maximè in Perſia: Hunc lapidem erui etiam è terra, & fodinis, citatq; Tiphaſim Arabem in libello de Gemmis, qui ex Arabico in Latinum ſermonem conuerſus eſt: quandoq; Bezohar appellari, quoduis Antidotum Veneni ex Andrea Bellunenſi: Ita multi illius tractus Septemtrionis faciunt: compilant vndequaque, & ſummo labore deſcribunt: iudicij amuſſim, & delectum non adhibent, quæ Italorum propria & genuina ſunt: ſolus Agricola, & Scaliger omnem hac in re tulere punctum, illo Arabico auctore fortè permotus legatus ille negauit eſſe Cerui Lachrymam: Sed ſtandum auctoritati Scaligeri, nec inficiandus ille lapis metallicus, ſicuti Buffonitem lapillum mineralem etiam conceſſimus.
Cæterum cur Ceruorum Lachryma ſalſa ſit, & amara: Aprorum dulcis quæſitum à Plutarcho lib. de cauſis natur. intemperiẽ horum animalium reiecta cauſa: Ceruorum enim frigidam, Aprorum feruidam; cum propter iracundiam mouentur lachrymæ ad oculos copioſus effertur calor πῦρ ὀφθαλμοῖσι δεδορκὼς: igne oculi quippè refulgent, & dulcis fit qui eliquatur humor: Verum Plutarchi phyſica contemplatio oratorijs potius, & poeticis floſculis referta; cum Vitis clarorum Virorum, & moralibus præceptis ſcribendis potiſſimum excelluerit: Conſtat enim eximium, & excedentem calorem potius res ſalſas primum, mox amaras reddere, ex Galeno, & Ariſtotele: quare Aprorum Lachrymæ longè ſalſiores eſſe debuiſſent: dulciores Ceruorum, quorum ſanguis frigidior ex illa iræ efferueſcentia temperiem nactus dulciores funderet Lachrymas: ex ſucco ergo melancolico amariori eas gigni putarim, cum animal timidum ſit, ſiccum, & frigidum: Aprorum Lachrymas ſeparari, vt ſerum à lacte, quod Empedocles etiam voluit, eas videri dulciores, quoniam ſalſuginoſa qualitas multo humore tenui obruitur.


N eodem noſtrati Theſauro Genitale etiam Cerui oſtenditur neruoſum omnino, quale ab Ariſtotele deſcriptum legimus: nullam enim rem curioſam, aut vtilem illi deeſſe, gemini FRANCISCI Senior, & Iunior, pro virili ſunt perpeſſi.


OPHVS etiam Plinij noſtratis ibidem aſſeruatur, de quo is Auctor lib. ij. In iuuene carum (inquit) ſecundo ventre pilæ rotunditate nigricãs Tophus reperitur nullo pondere, ſingulare (vt putant) remedium ægrè patientibus, ſi tellurem non attigerit. Cap. 37.


HINOCEROTIS pellis ea exiſtit firmitate vt ægrè iaculo penetrari queat, teſte Æliano; idem teſtantur (ait Geſnerus) qui noſtro ſæculo Belluam in Luſitania viderunt, pellem enim habere prædenſam aiunt, ceu cruſtis quibuſdam ſquamatim compactam, colore, & figura teſtam referre teſtudinis (tergus ſcutulatum ei attribuit Scaliger noſter) Plinius Buxeum colorem, alij murinum, vel qualis in Buxi cortice eſt, ei attribuunt.


ELLIS Hippopotami fruſtrum pariter aſſeruatur: de qua ſic Scaliger Exerc. CLXXXVIJ. De Corij duritia ſatis eſt à nobis dictum in Ariſtotelicis Commentarijs, Conſtat è Luſitanorum nauigationibus pedeſtris lanceæ perferre ictum ſine noxa: Illud controuerſiæ præſefert ſpeciem: aiunt quidam pilo carere, in Hiſpanicis libris inuenio & nigros, & balios, & Plinius pilum dat. hæc ille: obęſiſſimi cuiuſdam porci cor-

pus, an & Corium? adſcribit Bellonius, vt alibi perſtrinximus.



NIMALIS Bezohar gignentis Pilus conſenſu omniũ, qui de eo animali ſcripſerunt, ruffus eſt, Monardus tamen, qui libellum peculiarem confecit de Lapide Bezahar, & Herba Scorzonera Pilos attribuit cinerei coloris, cui admiſta ruffedo; Animalis porrò illius, quod ad Archidiaconum Nebienſem delatũ fuit; quodue omnes notas Hirci, vel Cerui gignentis lapidem Bezahar præferebant, pilos, & colorem Ceruino ſimiles fuiſſe, oculatus teſtis profitetur idem Monardus, qui in Muſæo noſtrate aſſeruantur Pili cineream rufedinem ad vnguem exprimunt.



N eodem porrò Theſauro, & Conditorio celeberrima illa Theriaca ſeruatur, quam non ſolum Veronæ, ſed etiam in Italia, & in Europa primus componẽdam curauit Franciscvs Senior Calceolarivs tanta accuratione, & delectu ſimplicium medicamentorum, vt à primis ſuæ ætatis Medicis, & Pharmacopęis, tamquam verum Alexipharmacum, & Alexiterium aduerſus venena, & affectiones pernicioſas paſſim decantaretur, & auidè vſurparetur. Primum ergò Calceolarium componiſſe contendo, quoniam primus fuit, qui acerrimũ ſtudium in componendo adhibuit.



ANC poſtmodum nullis ſuccedaneis medicamentis confecit Franciscvs Calceolarivs Iunior, vt antea oſtendimus; Cum potiſſimum verum Amomum, Vua, ſcilicet, Malabathrum, Balſami ſuccus, Chalcitis, & alia huiuſmodi præclara ſimplicia, de quibus nonnulla vigebat controuerſia, omnia

iam

iam suis insignita, & explorata notis sint admissa; quemadmodum & Mithridaticam Confectionem omnibus numeris absolutam, & confectam idem Musæum asseruat, quæ præstantissimæ, & humano generi fructuosæ compositiones, quibus, & qua ratione conficiantur pleni sunt veterum, & recentiorum Auctorum libri; & controuersiæ etiã de Melle inijciendo præclaris Clarissimi Collegij Veneti, Alumnorũ lucubrationibus superioribus annis editis Angeli Viduæ, & Fabij Vlmi Virorum eruditorum vltrò, citròque iactatæ, mirificam lucem earum Antidotorum preparationibus attulerint.



LECTARIVM, vel Confectio de Hyacintho omnium post Theriacam nobilissimum, & efficacissimum Antidotum ex Hyacinthis, Smaragdis, Sapphyris, Granatis, Topatijs Orient. Rubinis, Lapidis Bezohar, Corallijs rubeis, & albis, Margaritis, Ossibus de corde Cerui, Bolo Armeno Orientali, Terra sigillata, Croco, Ambra, Moscho, atq; alijs huiusmodi insignioribus Alexiterijs, Serapio de acredine Citri, vel Limonum, exceptis conflatum in mali moris febribus etiam calidioribus quantum conferat; syncopi pulpitationi, cordis tussiculosis, & suspiriosis prosit certissimis constat experimentis, confirmat enim vim cordis vitalem, & spiritus vitales refocillat, illustrat, & fouet, omnemque caliginem atrabilariæ colluuiei ab ijs amouet, & discutit, quod ego in multis ægris diuturnæ atre bilis symptomatis cardiacis pene absumptis, periculis factis, plenè testari possum: Hoc præstans medicamentum Curtius Martinellus Medicus Venetus Clarissimus superioribus annis ab eorũ obiectouibus tutatus est, qui ipsum calidius, quàm par sit, nec propterea vsurpandũ in febribus calidioribus contendebant; Croci enim, Ambre, & Moschi caliditas corrigitur, & castigatur à Citri acido, quod ex vij. simpl. tertio ordine calefacit, & exsiccat, & maxime cum tanta copia respectu illorum existat,

vt eius vtar verbis : accedunt Santali, Lapilli, Corrallia, ſemina Endiuiæ, Oxalidis, & Bugloſſæ, quibus calidiorum vis facilè infringitur : Sed & validam, & apodicticam rationem adducit Vir doctiſſimus ; in Cardiacis enim huiuſmodi medicamentis, quæ terreſtria recipiunt, quędam tamquam vehicula eſſe adhibenda calore, ac partium tenuitate prædita, quæ ad partem determinatam, vt ad cor eorum facultatem deferant, ſi ergo illa tria ab hoc mirabili Antidoto eximantur, proprio ferè munere deſtitutum exhibebitur : hoc igitur pariter accuratiſſimè præparatum in Muſęo aſſeruatur.



ONFECTIO etiam Alchermes vocata, identidem viſitur affectionibus melancholicis ex atra bile mirabiliter conducens : Hanc Ioannes Meſues ex Clariſſima Regum Damaſci ſtirpe oriundus compoſuit, & Mauris ſuis, & Sarracenis ijs affectionibus ſæpius ex naturali temperamento conflictatis vtendam exhibuit, quos præcipuo amore, & charitate complectebatur : in Schola Cordubenſi Hiſpaniæ, Auicēnæ, & Auerrhois tempore, floruiſſe anno ſalutis M C XLIX. hiſtoriarum monumentis traditum eſt. Illud numquam ſatis mirandum apparet (ait Montanus Veronenſis Vir Clariſſimus in præfatione in IX. Raſis) ita claruiſſe bonas litteras apud Arabas, tàm paruo tempore, vt quandoque auſim Græcorum ingenijs ingenia Arabum præponere ſi quantum Græcorū, Arabum Academias florere contigiſſet, numerantur enim duntaxat CLij. anni, quibus primum Rex Almanſor Bibliothecas aperuit (centum fuiſſe aiunt) & gymnaſia deſtructa fuere, cum enim Arabes eſſent Mahumetani, à Chriſtianis non tantum ex Hiſpania depulſi fuerunt, ſed etiam eorum Ciuitas Regia Maroccus, cum toto regno occupata fuit, deſtructa Gymnaſia, quæ in Galliam, & Italiam deducta ſunt, & iam fluxerunt anni quingenti, quibus floruerunt ;

Hæc

Hæc Montanus, Porrò contendunt Galli vniuersitatem illam Cardubensem post Sarracenorum Medicorum ex Hispania fugam translatam fuisse ad Monspeliensem Academiã, idque ex Hispanica historia comprobatum volunt. Hinc iure merito factum videtur, vt Monspelienses Medici, & Pharmacopæi optimi summam curam adhibuerim in Confectione hac Alchermes præstantissima elaboranda, & enucleanda, Ioãnes Stephanus Strobelbergerus potissimum Medicus doctissimus, qui nouo tractatu de Cocco Baphica, & quæ indè paratur Confectione Alchermes recto vsu differit, & Laurentius Catelanus Seplasiarius à Monte Pessulano, quem etiam supra honoris causa nominatum volui, qui genuinum eius Confectionis apparandæ modum accuratè scripsit; horum auctorum opuscula Ienę Typis Ioannis Beithmanni anno M D C XX. sunt impressa; quæ diligenter legenda sunt ab omnibus Medicinæ studiosis, vt Alchermes legitimam conficiendæ rationem, & eius rectum vsum teneant: Succorum enim Pomorum dulcium, & Aquæ rosarum singulorum lib. 1. & 5. Setæ libra vna per diem naturalem infunditur, & multum exprimitur, additur Succi granorum Kermes libra vna (per hæc grana intelligere Mesuẽ, quæ ex ipsa Ilicæ Coccifera leguntur, cuius ingens in Hispania copia, vbi confectio ista à Mesuæ tradita, non grana tinctoria, quæ ad Pimpinella radices crassas, & annosas reperiuntur, nec tincturam ex Gummi Lacca docet optime Ioannes Stephanus) Sacchari solidi libræ duæ, coctis his ad mellis spissitudinem, remotis ab igne, etiamnum calidis, adduntur Ambræ crudæ minutim incisæ Drachmæ duæ, sinitur, vt liquescat, deinde admiscentur sequẽtia puluerata, Ligni Aloes, vel Santali citrini; Darseni, idest Cinnamomi electissimi sing. Drachmæ sex: lapidis Lazuli vsti, & præparati, Margaritarum albarum sing. drachmæ duæ, Auri boni, Moschi sing. drachma vna, conficiatur secundũ Artem: drachmæ vnius pondere per se, vel iusculo, aut vino generoso soluta sumitur, cor roborat, suaues, & bonos spi-

ſpiritus regenerat, ſyncopem, & palpitationem tollit, mirificè animum roborat, ſtomachum etiam confirmat, & refocillat, ſuaui euaporatione cerebrum rigando, amicam naturę quietem, Ambari beneficio conciliat, cum Serapio de Papauere, de Nymphæa, & aqua Roſarum in lecti ingreſſu aſſumpta: in difficili etiam partu decocto pulli ſoluta fœliciter capitur, nec formidandus matricis aſcenſus, ob Ambri, & Moſchi odorem, nam fœtus grauitas vterum deprimit, ſurſumque aſcendere prohibet, ait doctiſſimus Fontanonus interim bonis illis odoribus Parturientis Vires, & ſpiritus iuuantur, & roborantur: Ad fœtum mortuum, molam, & ſecundinam expellendam maximum eſt remedium, ſi cum tantillo Croci in aqua Cinnamomi exhibeatur: Potio etiam hyſterica recalfaciens, & roborans ſępiſſime vſurpata: Si quis de veneno hauſto ſuſpicatur Drach. 1. cum ſucco Citri, vel aqua Cardui benedicti ſoluta remedio eſt. Mortuorum vitam quadam vir doctus idcircò appellauit, quod ijs quibus in propinquo mors eſt auram vitalem cordis excitet, & regignat: Cautio tamen adhibenda ne in acutis morbis ſumatur, in quibus immodici alui fluxus eſt ſuſpicio, ob vim laxandi aliquam, quam habet; huius locũ nobiliſſima eius pediſſequa complebit Confec. de Hyacintho, quæ lapide Lazuli caret. Præterea qui continuo capitis dolore vexantur à frequenti eius vſu abſtineant, atq; illæ præſentim Mulieres, quæ Antipathia naturali à Moſcho abhorrent: Verum de hac Confec. hæc ſatis erunt; Legendi porrò prædicti Auctores, ad quorum normam, & præſcriptum Muſæi Alchermes parata, & concinnata eſt, nec enim actum agere, & alienas lucubrationes ad vnguem deſcribere noſtri eſt inſtituti.

PER-

ERVVLGATVM eſt Hippocratis Oraculum in arte medica ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν, iuuare, vel non lædere, hoc potiſſimum ſequutus doctiſſimus, & celeberrimus Mattheolus, qui de ſuo ſementem facere, quam de alieno metere maluit; è ſuo ergò elapidato, & ritè lætificato agro eximiū, & propè diuinum Antidotum, vel Electarium dedit, quod aduerſus Venena omnia tum per os aſſumpta, tum morſu, vel ictu inflicta admirandas obtinet Vires, præterea etiam aduerſus peſtilentiam, tùm Nucis ponticæ quantitate ad præſeruandos ſanos quotidiè exhibitū, tùm ad iam correptos, & laborantes ſanandos, ſi initio morbi in Cardui benedicti ſucco, vel aqua Rutæ Caprariȩ ſtillatitia duarum drachmarum pondere propinetur, ægrotis deindè in lecto ad ſudandū collocatis bis, terue repetitū, nonnullis tamen interpoſitis horis: hoc ſingulari præſidio ſanatos fuiſſe, quã plurimos profitetur Mattheolus; omnia enim ferè recipit Antidotum, quæ cordis vitalem facultatem, & ſpiritus roborant, tùm deſiccando, & abdita vi ſuccorum malignitati, & pernicioſæ qualitati, & putredini obſiſtunt, Theriacam etiam, & Mithridatium recipit, quæ confectiones antè omnium Antidotorum Anteſignanæ videbantur, nunc illius Pediſſequæ factæ, tamquam trigonum in Tetragono, & αἰσθητικὸν ἐν τῷ νοητικῷ; Eius deſcriptio prȩcisè, & ſingillatim è Mattheoli Clariſſimi Cōmentarijs petenda, quæ omnibus legere cupientibus paſſim obuia ſunt, vt enim fuit, non ſolum doctrina medica conſpicuus, ſed etiam miro iuuandi genus humanum deſiderio flagrans, nihil ſibi proprium, aut arcanum eſſe voluit, vt ex Triuio quodã, & ambitioſi medicelli faciunt, quos Agyrtarum, Spagiricorum, & circumforaneorum morem ȩmulari Capivacceus Doctor olim meus dicebat, qui arcana medicamenta elato ſupercilio venditant, quin acriter obiurgatum ab eo quendam nobilem Virum memini, qui pro aſthmate arcanum ſuum Electarium petierat. Antidotum ergo Mattheoli omnibus numeris, & sūma diligentia Confectum *Cōment. in lib. 6. Dioſc.*

in

in Thesauro Calceolario seruari iampridem, in confesso est. Cæterum, & quintam essentiam Theriacalem aquam, scilicet admirandis viribus contra Venena morsu, & ictu inflicta, præditam ex eo Ellectario, Serapio ex Citrei mali corticibus, & Aqua Vitæ ex optimo vino paratæ confectam descripsit Mattheolus ibid., cuius quatuor Drachmæ, cum puri vini odorati portione, vel aqua stillatitia Cordiali exhibētur. nec non puluerem aduersus omnia deleteria Venena, qui tamē præsentem morbum solùm curat, non à futuro præseruat: Isthæc pariter omnia in Musæo asseruantur. Sed & lib. v. cap. vj. Quinta essentia aromatica à Mattheolo proposita epilepticis, & præfocatis mulieribus reuocandis efficax, & moribundis in vita retinendis si eius aspergine facies irroretur. Hac ego nuper in Musæo degustata, sensi, mihi statim animales, & vitales spiritus recreari, & veluti viuaciores reddi; quare senioribus, timidis, melancholicis, qui cor, & cerebrum frigida intemperie affectum obtinent, tum lethargicis, & quodam morum veternoso stupore defixis singulare remedium esse, si tempore potissimum frigidiore, vel temperato in modica Dosi vsurparetur, iurè existimandum.



SVMMA, & singulari beneuolentia complexum FRANCISCVM Seniorem CALCEOLARIVM Virum in re herbaria maximū à Serenifs. VINCENTIO Mantuę Duce Clarissimo, & Virorum excellentium in quauis Arte Męcenate, alibi ostendimus: Is ergo magnanimus Princeps inter cætera officia, & munera, quibus sæpe est Calceolarium nostrum prosequutus, Ellectarium pro Epilepsia, vel morbo Comitiali adimendo, & percurando Strenuum, & admirabile ipsi donauit, cuius plurima facta pericula, quæ fęlicissimè ceciderunt; id igitur in Musæo adhuc asseruatur, nec prudentię, aut obseruantię Senioris Calceolarij fuit erga tantum Ducem curiosius simplicia eius medicamenta perquirere, qui se satis eo simplici dono cohonestatum ingenuè fatebatur.

PAPYRVS



APYRVS etiam Ægyptia ex arborum Corticibus confecta, Philyra ſcilicet, & caracteribus Hieroglyphicis obſcuris admodum, & incognitis impreſſa, & deſcripta in Muſæo conſpicitur: Philyra enim, & Tilia, ait doctiſſimus Guilandinus, non ſolum Arborem ita dictum denotant, verum etiam eiuſdem arboris Bracteas, hoc eſt tenuiores membranas inter lignum, & extimum Corticem latitantes, Philyra quidam tenuiſſimi Corticis nomen eſt, Tilia verò aliquanto craſſioris, quod Plinij noſtratis verbis palàm eſſe docet lib. xvj., librorum porrò materia apud veteres, non ſolum folia plantarum, Cortices arborum, ligna, cerata lintea, plumbum, chartæ, membranæ fuere, quæ omnia à Plinio memoriæ prodita, ſed etiam Ebur, Sapphiri, lapides, æs, animalium inteſtina, librorum eburneorum, vel eboreorum meminit Vlpianus lib. xxxij. Pandectarum cap. L. quos Flauius Vopiſcus in Tacito Elephantinos vocat; quidam ſic dictos ridiculè putarunt ab operis amplitudine, quaſi Elephantorum proceritas nominis anſam illis dediſſet: docet enim Vulpianus Iureconſultus antiquus, & grauis Auctor in Phylira, ac Tilia volumina confecta, aut in aliquo corio; Corium intelligit Guilandinus, non animalium tergus, ſed arborum Corticem à Tilia diſcrepantium: confecti enim Codices è tergore animalium ijdem ſunt cum membraneis, vel igitur vetuſtam, vel exoticam hanc Muſæi Papyrum eſſe non iniuria conijcimus. *Cap. 14.*



RBORIS Fariniferæ Farinam, quam aſſeruat Muſæum, mirabili naturæ, quæ DEI Opt. Max. miniſtra eſt, prouidentia, & artificio conditam eſſe, nemo ſanæ mentis ibit inficias, ad tenuioram enim hominũ ſuſtentandam vitam, vbi tritici, & cerealium ſeminum non viget prouentus, in arboreæ plantæ meditullio

candidam hanc farinam natura producit, idque in Ternate Insula Æquatori proxima ad Arcticum Polum vergente, vt docet Clusius, ex testimonio Comitum Francisci Drake Equitis, qui totum Orbem circumnauigauit anno 1581. referebant Plantæ truncum humani femoris æquare crassitudinem, decem verò pedum altitudinem attingere, summo fastigio in orbiculatum caput brassicæ capitatę instar extuberantem, in cuius meditullio producit illam farinam, quã diligenter collectam, & inspersam modica aqua fermentari, pinsi, & in formulas quasdam coctili latere constantes immitti longa serie, atque prunis ardentibus circumquaque admotis, & super etiam impositis coqui affirmarunt: recenter coctis, & adhuc calidis panibus, vel libis illius insulæ incolas vesci, vbi induruissẽt tepida aqua macerantes pultis modo edere: Cum degustaret (aliquot enim attulerant) visi Clusio insipidi saporis, verum iniecto Piperis, vel Cinnamomi momento, cum Saccharo, nonnullis in delitijs esse posse: An Zagù sit descriptum à Ferdinando Lopez de Castagneda ambigit Clusius: Antonius Pigafetta Vicentinus, qui primus Orbem naue, cui insigne Victoria, circuiuit, in suo Itinerario Sagù, per S, non per Z scribit. Nec incommodè censrei posit ea, de qua meminit M. Polus Venetus de Regno Fanfur agens, in quo Vastarum arborum genus reperiri docet medullam in se continens farinaceam lignorum vetustorum Cariei persimilem, hanc in figulinum vas aqua plenum inijci, vt sordes supernatẽt, puraque farina subsidat, qua diligenter repugnata varia confici edilia, quæ ipse sæpius comedit, & nonnulla Venetias vsque detulit pani hordeaceo colore, & sapore similia: illius arboris lignum ferro conferri posse, in aquam enim iniectum, sidere illicò, & mergi, directèq; (vt harundo donax) findi, Ex quo Venetorum hominum ad summa omnia procreatorum diligentia, & acumen in his etiã exoticis rebus perquirendis, & explorandis intelligitur: Clusium legito, candide Lector, lib. primo Exotic.

Libro 6. Ind. hist.

Libro 3. sui Itinerarij.

cap. 5.

IAM



IAM verò omnium ad se oculos Musæum adeuntium conuertit, & rapit Vestis ex pennis variorum colorum Indicarum volucrum contexta, nec non capitis tegmen (seu Galerus) exijs conflatum, & consutum pennis ab illis Indiæ magnis Regibus vsitatum, quæ propter insignem raritatem, & pulchritudinem maximam omnibus oblectationem, & admirationem incutiunt: His præclaris muneribus hocce percelebre Musæum donatum voluerunt Iaponenses Principes munificentissimi, Mantinus, & Michaël, qui nomine trium maximorum Regum Iaponensium, Bartholomęi Omuræ, Francisci Bungi, & Protasij Arimæ, aliorumque eius tractus Dynastarum Romam ad Christi Vicarium Gregorium XIII. obsequij exhibendi caussa missi fuerant, ij sanè Reges, cum C X L. millibus suis subditis Sacro Baptismi lauacro expiati illustre nomen Fidei Christianæ dederant, propterea debitum obsequium, & cultū summo Christi Vicario præstare æquum censebant: Legati ergò à Iaponensi amplissima Prouincia soluentes ad Insulam primum Amacani in latere Sinensium traiecerunt, inde Malacham, mox Goam peruenerunt: Mare verò Indicum, & Barbaricum sinum percurrentes, & caput Bonæ Spei pertranseuntes per Oceanum Æthiopicum, & Atlanticum Vlyssiponem, anno salutis M D LXXXIV. incolumes appulerunt: & quamuis à multis Europæ, & Italiæ Principibus per quorū ditiones iter faciebant, summis honoris indicijs cohonestarentur; Veronæ tamen Inclyti Senatus Veneti decreto omni beneuolentiæ, & honoratæ hospitalitatis genere excepti; Inter res Veronæ admirandas & Musęum Calceolarium auidè, & curiosè perlustrarunt, cui eorum æstimationis, & amoris μνημόσυνον illam admirabilem Vestem, & Galerum reliquerūt. Romæ mox è Gregorio XIII. summa animi propensione accepti, quo paulo post defuncto, Systo V. eamdem obedientiam, & obsequium Christianę professionis suorum Regum nomine detulerunt; Denique in Patriâ ab Italis, Hispanis,

panis, & Lusitanis donatos, & perhonorificè excepto redijsse, constans fama est. Cum igitur ex nouo Orbe Magni Reges, & innumerabiles populi tale obsequium Apostolicæ Romanæ Sedi spontè, & promptè deferunt, non pudebit Europęos nostros, quibus olim verę pietatis lumen affulsit, quorum maiores in ea semper perstiterunt, Thrasonum quorundam, & Rhetorum impijs dogmatis, & somnijs fascinatos per summam temeritatem ab ea defecisse?

Iam verò plumarum natura ex pituitoso, & humido excremento fit perindè, ac piscium squamæ, proindè facilè flecti vniri, & contexi possunt: Volatilia enim, & natalitia ex aqua facta, sicuti terrestria ex terra, docet magnus Medicus, & Philosophus Fr. Vallesius cap. primo lib. de Sacra Philosophia, vbi expendit arduam difficultatem ex illis Moses verbis in Genesi orientem, Producant Aquæ reptile, & natatile, & volatile super terram, & terra producat iumenta reptilia, & Bestias; quo pacto volatilia ex aqua potius, quàm & terra, cum maior pars auium terræ insideant, ibi nidificent, oua incubent, pullos excludant, è terra cibum capiant, & Vultures, & Accipitrum genera duriorem carnem, quam Arietes sint nacta, & omnes volucres sint terrestribus animalibus tenuiores, ideò ficciores. Vide ibidem Vallesium.



N eodem Thesauro Flabella diuersa ex Indijs allata comperiuntur, & potissimum vnum visitur ex Folio Arboris confectum exotico quodam modo, & ferè inexplicabili elaboratum puncturis varijs vndiquaque renidens.



ALCEI etiam Indici viriles, & muliebres ex cocto Corio ad vnguem concinnati, & admirabili artificio affabrefacti, qui veluti humano ingenio picti, & penicillo delineati, & expressi, haud attentiùs intuentibus videantur.

IDO-

IDOLA pariter Ægyptia variarum figurarum caracteribus pariter Ægyptijs insculpta, & insignita, quæ ab amicis Calceolarij Senioris, & Iunioris missa, & donata huic Musęo, cum aliquam illorum copiam ex ijs regionibus essent nacti, quam ex ijs significationis spem concipere possimus, satis docuit Epistola ad me scripta Clarissimus Pignorius, quæ in tertia Musæi Sectione impressa, Lectoribus est obuia.





VCERNÆ etiam fictiles è terra cocta in hoc rerum naturalium, & artefactarũ Promptuario visuntur, varijs figuris,& formis effictæ, & conformatæ; Has veteres in sepulchris iuxta sua cadauera perpetuo ferè igne ardere voluisse satis liquet, & à Fortunio Liceto Viro Clarissimo, & primario Philosophiæ Aristotelicæ Patauij Professore doctissimo, quatuor elegantissimis, & recondita eruditione, & doctrina refertis libris ostensum, qui Venetijs apud Euangelista Deuchinum Anno superiori M DC XXI. editi, & Illustrissimo, atq; Excellentissimo AVGVSTINO NANI Equiti, & Diui MARCI Procuratori dedicati: in quibus innumera problemata ex rei natura explicata, & dissoluta comperies, & plenissimè omnia demostrata, quæ ad huiusmodi argumentum facere videntur: duplicem quippè fuisse finem ait cur positæ in sepulchris Lucernæ, vnum nobilitatis indicium; solis enim nobilibus, & opulentis eas impensas facere concessum. alterum ne anima in tumulo cum cadauere, ac cineribus manere putata, tamdiù in tenebris ageret, cui infimæ plebis homines Lucernam accendere nequeuntes, leuem terrã, tranquillumque aërem precabantur, floresque, & alia odoramenta tumulo imponebant, quod Iuuenalis satis declarat scribens,

Dij maiorum vmbris tenuem, & sine pondere Terram,
Spirantesq; Crocos, & in vrna purpureum Ver,

Confutatis porrò, & reiectis multis sententijs de causa perdurantis ignei luminis per tot annorum centurias in sepulchrorum lucernis, docet eruditissimus Licetus humorem illum igni contumacem vires habere æquales igni ignis efficaciæ longissimo temporis tractu resistere valentes; is humor triplici conditione præditus esse debet, vna, vt eius sit lenta, viscidaque materia, vt non tam facilè aò actuosissima ignis natura consumi valeat, altera est minima exhalabilitas, quæ enim facilè euaporant, in halitus ab ardente

igne

igne facilè diſſipantur : tertia maxima ſubſtantiæ puritas & ſynceritas, & homogeneitas, vt ſignificanti vocabulo licet barbaro vtamur, cum enim, teſte Ariſtotele, diſgreget ignis Eterogenea, congreget homogenea, quæ maxime ſunt homogenea diutiſſima ardentis vim flammæ eludunt, quod experimentis in Auro, lapide Amianto, & alijs huiuſmodi, vt Adamante, comprobatũ : ex aduerſo omnia eterogenea, & impura corpora ignibus facillimè, & citò conſumuntur: An verò huiuſmodi humor his dotibus prædıtus in rerum natura modò reperiatur, quem veteribus fuiſſe familiarem verisimile eſt Licetus verſibus Magni Fracaſtorij noſtratis videtur exprimere licet tanti Auctoris nomen ſuppreſſerit.

Quam tamen, materiam, æternum quoniam dilabitur æuum
Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpè fuiſſe
Ducendum eſt, quamquam nobis nec nomine nota
Hactenùs illa fuit, quoniam longæua vetuſtas
Cuncta ſitu inuoluens & res, & nomina delet ?
Nec monumenta Patrum ſeri videre Nepotes.

Quibus Carminibus, atque alijs ſuis Vergilianam maieſtatem propius ſuo tempore expreſſit Fracaſtorius.

Porrò materiam illam, qua flamma diutiſſimè ſeruatur ſinè noui pabuli adiectione arte Chymica parari poſſe putat Clariſſimus Licetus, quæue vim reſiſtendi æqualem actuoſę ignis facultati obtinet, ex lapide ergo Caryſtio, Asbeſto, Amianto, Aſtere Samio, quem Tallz eſſe, ait ſubtiliſſimus Scaliger: habent iſta partes elementares puriſſimas, homogeneas, & adeò exacta miſtione inuicem vnitas, vt pars terrea humidam arctiſſimè retineat, ne ignis violentia euolet: Viciſſim pars humida, quaſi par beneficium rependens terream à combuſtione tueatur ; Cardanus etiam Oleum ex metallis in folia ſubtiliſſima malleo attenuatis, vel lapillis in pollinem redactis, & in acetum deſtillatum immiſſis parari docuit: quod ſigillatim explicat Licetus: Talis liquor in Olybij Lucerna diutiſſimè flammam aluiſſe creditus, de qua inter alios Hermolaus Barbarus vetuſtior Auctor liber

Co-

Corollarij v. quamuis genus id laticis aquam esse velit cęlestem, aut potius diuinam Chymistarum θεῖον ὕδωρ à Democrito, & Mercurio Trimegisto vocatam, spiritum ex ætheris natura, & essentia rerum quinta, vndè aurum poculentum, & iactatus ille, necdum inuentus philosophorum lapis: Tum subdit doctissimus Barbarus : Hoc genus latius (vt arbitror) significat Epigramma, nuperrimè in agro Patauino, iuxta oppidulum Ateste inuentum opere lateritio, ac proindè fragili, per imprudentiamque manus rusticæ proscindentis ibi terram corrupto, cuius memoria ne pereat, verba prætexuimus.

Plutoni sacrum munus ne attingite fures,
Ignotum est vobis hoc quod in orbe latet,
Namq; elementa graui clausit digesta labore
Vase sub hoc modico Maximus Olybius,
Adsit fœcundo custos sibi copia cornu,
Ne precium tanti depereat Laticis.

Adiectum, & Plautinis vocibus aduersùs eosdem fures Elogiū quod ibidem legi poterit, vt iam desinant rudes quidam Physici negare super annos quinquaginta illius Epigrammatis vetustatem, cum Hermolaus ab hinc centum, & amplius annos fluerit.

Cæterum quod ad Lucernas pertinet in summa docet pręstantissimus Licetus frequētiores fuisse fictiles, pauciores Æneas, paucissimas verò aureas, qualem Pausanias in Æde Mineruæ Athenis à Callimacho factam scripsit, & Anastasius Bibliothecarius Lucernæ ex auro purissimo xij. ellychniorum meminit. Sed à curioso lectore legendus attentè Liceti opus; in quo ad vnguem omnia planè, & exactè enucleantur, vt tanto Philosopho, & Auctori scriptis editis Clarís. maximas habere gratias politiores litteraturæ Viri debeant, quod nō exsuccis, & febriculosis narrationibus hoc argumentū tractarit, sed physicis demostrationibus ex interiori philosophia adiectis, vt cum Scaligero paria facere ob eximiam subtilitatem, & elegantiam tempestate nostra videatur, ipse verò

habe-

habeam immortales, quòd non solùm his libris de Antiquorum Lucernis reconditis, sed omnibus suis syntagmatis doctissimis me donauit, & Bibliothecam meam illustrauit.



ASA ex purissima Porcellana ad varios vsus comparata, quæ in eodem admirando Promptuario visuntur, si vidisset Scaliger, haud suam illam Martiamcoctam vsqueadeò extulisset, quamquàm putandum est vtraque cognouisse subtilissimum Virum, & Porcellanas, & Maiorica vasa, Vtrorumque enim conficiendorum materiam, & modum docet, Exercit. cxx. & xcij. Martiacocta, cuius incrustatione figlina, quæ ex Valentius, & Maioricis fornacibus conuecta Porcellanas æmulantur, candidissima, splendentissimaq; efficiuntur, sic eo Auctore teste fit, cum negligenter à Cardano res haud ignobilis prodita esset: Aluminis Catini, quod Sal chali vocant quidam, Tartari vsti sing. semuncia accipitur, arenæ lucidissimæ, ex qua conflatur vitrum sexquuncia, mista coquuntur in fornace vsquedum in massam lapidescant, reposita seruantur, deindè sumitur plumbi pondus vnc. L. cassiteri vnc. x. quæ in fornace reuerberationis calcinentur, hæc item seorsum seruanda sunt: ex hoc posteriore calcinato trientem vnum, ex superiore materia trientes duos in aqua tere, deinde Spongia collige, atq; in pelui conde, vbi voles vti, conturbato, tuaque figlina oblinito, quod si candorem, atque splendorem augere vis, eius Cassiteri, quod Angli vocant glaciale ponito vnc. xv. Cæterum Musæi veras, quæ asseruantur, Porcellanas antiquorum esse Myrrhina existimat Scaliger, ea hunc in modum fieri; ouorum putamina, & marinorum conchas Vmbilicorum (Porcellanæ species horum sunt, indè & nomen) in tenuissimum redigunt pollinem, quem aqua subactum vasorum facie informant, subtusque terram condunt; centesimo anno pro perfecto effodiunt, ac venale opus habēt; quod eorum vitæ superest, hęredi testamento transcribunt, quotannis conficiūt,

atq; infodiunt, referuntq; tempora in Commentarios, ex quibus eruunt matura: Ex Prouincia China optima aduehuntur: Alij putant non vasa, sed materię condi massam, qua extracta confiant vasa; Hæc Scaliger, qui mox subdit: Horum pretia cum & opes, & patientiam, postremo etiam fidem excederent, nouo ingenio tàm bellè imitari sunt in Insulis Maioricis, vt sæpè difficilè iudicatu sit vtra vera, vtraue adulterina, profectò nec forma, nec specie, nec nitore cedunt, aliquando etiam superant elegantia. In Italia nunc audio tàm perfecta venire, vt cuiuis Cassitero, quod ibi vocatur Peltrum, anteferantur, ea corrupta vna litera à Balearibus, vbi dicuntur excellentissima fieri, Maiolica nominantur, hæc ille; quibus verbis, & encomijs ad illam Martia coctam alludere videtur. Quatuor miracula Porcellanis attribui docet Scaliger, Picturas, quæ vix apparēt, si luci obieceris emergere visui luculenter, aciem spacia reliqua transmittere, deindè quantum iusculi intùs occuparunt, tantùm calefieri, vicinas partes non calescere; Tertia vis ex duabus callisis frustulis sæpè ignem excuti; Quarta ex superstitione, atq; impostura Mercatorum, negant veneno posse infici, disrumpi enim.



VETVLÆ etiam illius, vel Anus effigies segmentata operis tessellati veteris hominū ad se intuitum, & admirationem conuertit, quæ inter Promptuarij Calceolarij exotica conspicitur; nec minus statuæ, & simulachra complura Ænea Artificum prestantissimorum cura, atque ingenio elaborata, quæ ad exornandum hocce Musæum sunt comparata; quemadmodum & natiua, genuinaque corporum pulchritudo magis elucet, & emicat, si vestium, & aliorum ornamentorum decore cohonestentur.

NEC



NEC indictam Bibliothecam CALCEOLARIAM præterire debeo, quæ libris abundè instructa ad Musæum pertinentibus tùm veterum, tùm recentiorum Auctorum latinè, & Italicè Scriptorum, qui rem Botanicam illustrarunt, & Seniorem CALCEOLARIVM ad cœlum efferunt, quod ipse prior cum Clarissimo Mattheolo rem herbariam intermortuam, vel barbarorum cęno & squallorum obsitam, atque obrutam rediuiuam Italiæ, atque adeò Europæ ostenderint: Codices multi in ea reperiuntur, qui herbarum Icones, & ex viuo ductas, & expressas effigies præferunt, quas præcellentes Pictores delineasse inconfesso est Ligotium, Marcoleonem, Carottum, qui præter Felicem Brugiasorzium, Farinatum, atque alios pingendi artificio mirabili cõmunem Patriam Veronensem cohonestarunt; Hæc volumina in locupletando Musæo indefessus, & rerum eximiarum curiosus, atque auidus CALCEOLARIVS Iunior multo ære impenso sibi comparanda duxit, vt ad præsentium, & posterorum vsum adseruarentur, & disponerentur: nam simul, ac scire, & sapere natum est; Scitè, ait Lipsius, mox etiam scribere, & istud esse, cum fructu non potuit, nisi libris per forulos, & pluteos collocatis Bibliotheca instrueretur; Priuatorum primum ea cura, postmodum Reges, & Dynastæ vsurparunt, non in vsum solum, sed ambitionem, & splendorem: Res Ægypti Osymanduas inter Reges primus Sacram Bibliothecam struxit, & in eius fronte prescripsit ψυχῆς ἰατρεῖον ANIMI MEDICA OFFICINA: ita Siculus Diodorus. Quid enim aliud Bibliotheca? nisi aduersùs fortunæ tela, anxias curas, & prauorum hominum insidias, & maledicta Antidotum, & Alexipharmacum præstantissimum, & iucundissimum: librorum enim optimorum lectione, quibus vel ad contemplationem rerum præclarissimarum, vel ad actionem, & sedandas animi perturbationes excitamur, nihil ritè educato ingenio contingere in vita fructuosius, nihil iucundius, aut honestius potest: dummodo Philomuso illi ab Ausonio satis deriso

similes non simus, qui vni ostentationi, atque ambitioni inseruiens se librorum multitudine apud ignarum vulgus, pro magno litteratore venditare non desinebat, de quo sic Ausonius,

Emptis quòd libris tibi Bibliotheca referta est,
Doctum, & Grammaticum te Philomusæ putas,
Hoc genere, & chordas, & plectra, & barbita conde,
Mercator hodiè, cras Citharœdus eris.

Huiusmodi Bibliothecarum decus in Veneta D. Marci viget, ex duorum doctissimorum, & amplissimorum Cardinalium Bessarionis, & Bembi Bibliothecis conflata, vt hinc facilè intelligamus, præter Iustitiæ, Pietatis, & regendorũ populorum studium, bonis etiam litteris, & disciplinis iuuandis, & amplificandis excubare Venetorum Heroicam industriam, cum etiam ad Academiam Patauinam præstantiores totius Europæ Viros in quauis professione accersere, & magnis propositis stipendijs allicere, iuxta maximorum Principum morem non dubitent; Vaticana etiam Bibliotheca, Medicea, & Vrbinatium Ducis celebrantur iu Italia; Augustana etiam, cuius mihi frequentem mentionem fecit Clarissimus Marcus Velserus. Sed omnium instructissima fuerat, Patauij cum ego degerem abhinc XL. annis, Io. Vicentij Pinelli Viri optimi, & nobilissimi, quæ omni librorum genere instructa, omnibus discere aliquid in quauis arte liberali, & scientia cupientibus fuit obuia, huiusmodi enim existimo esse mirificum, & singularem Bibliothecarum fructum. Cæterum & conspicienda Veronæ fuit Federici Ceruti Viri eruditi, & percelebris Bibliotheca, Alberti etiam Lauezolæ Equitis Perillustris, qui eam testamento reliquit nobilissimæ Academiæ Philarmonicæ, cuius Parens, & benemeritus Moderator fuerat: Visenda etiam, & prædicanda, quam Comes Marcus à Veritate instruxerat Vir generis claritate, doctrina, atq; humanitate præstantissimus, & Compater meus, qui Proxeneta Flaminio Burghetto affini meo me abhinc xxxiv. annos in eamdem

Aca-

Academiam cooptandum censuit iniuncto munere prælegendi publicè Symposium Platonis, Ethicem Aristotelis, & Meteora. quo per XIII. annos pro virili sedulò perfunctus, nunc sexagenarius alios mores, alia instituta necessario sequor. Verum & nobilissimi, & doctissimi Canonici, Rodulphus, & Pindemontius præclara, & selecta librorum supellectile congestas Bibliothecas reliquerunt: Pindemontia peculiariter Clericis Regularibus (Theatinos vocant) Viris optimis, & integerrimis relicta; nec spernendę Monthesauri, Valdanei, Iuliarij Medicorum ex Collegio nr̃o Bibliothecę; Iuliaria Bibliotheca Claudius Iuliarius nobilis, & doctrina Hippocratica excultus Medicus Compater meus, Senioris Iuliarij Hæres potitus, quam optimo librorum genere, & selectiorum locupletare non desinit. Idem prȩstat Bernardus Bruschus Lateranensis Canonicus præcellenti virtute, doctrina, & humanitate Vir meorũ amicorum antesignanus, qui pro tempore meum Musæum (quæ eius est liberalitas) pluribus curiosis libellis donatum voluit, vt facilè intelligatur Veronenses meos omni genere laudum floruisse, atque adeò florere, armorum, litterarum, pietatis: quȩ tres sunt professiones, & communi vitæ vtiles, & necessariæ, & ingenuo, & nobili animo dignissimæ: Cæterum & qui adhuc iu viuis agunt libros optimos conquirunt, & in pluteos, & armaria disponunt ab erudita posteritate meritas inituri gratias; Adiutus enim & ipse in hocce Musæo describendo amicorum candidorum, & eruditorum humanitate, qui singulares quosdam libros, vel domum meam spontè missitantes satis amplum specimen bonæ mentis, atque ingenuæ liberalitatis prætulerunt: nec egena omninò, aut exilis nostra Bibliotheca, quinimmò amplissima librorium vtriusq; Philosophiæ Platonicæ, & Peripateticæ Medicinæ, Græcæ, & Arabicæ, & politiorum litterarum (tùm etiam Sacrarum, Græcorum, & Latinorum supellectile) est exornata, quorum maior pars (absit dicto inuidia) à Viris amicis doctrinæ gloria conspicuis, vel ab ipsismet librorum Auctoribus donata, quibus optime cognitum erat meum semper aliquid

per-

perdiſcendi ſtudium,& deſiderium. Quiue perſpectis,quas pridem euulgaueram,queſtionibus Phyſicis Collegio noſtro inſcriptis, atque alijs Medicis, & Philoſophicis opuſculis, Apologia potiſſimum pro admirabili Fracaſtorij noſtri Siphilide,in meam ſe amicitiam inſinuare, haud infimæ laudis loco ducebant: Tales in Italia complures fuere, ijq; doctiores; in Germania, in Belgio, Grillus, Velſerus, Lipſius, Puteanus, Guarinus, Aſteus, Areſius Clariſſimi Præſules, Septalius, Imperialis, alij multi, quorum nominibus pareo, ne ambitioſo amicorum Catalogo Lectori obſtrepam: quibus innoteſcere, & probari ſummam felicitatis prærogatiuam ſemper duxi. In perluſtrandis ſedulò Veterum Auctorum libris libentius ſemper inſtiti, cui enim ſic obbrutuit palatum ad ſaporem vetuſtatis, vt nouella hæc è Pęgmate nouatorum ſcoria, ac putentes ſub ſtillicidio Canaliculorum Euripos (vt Viri docti verbis vtar) puriſſimis Veterum, & ad ſtuporem omnis ætatis litteratorum aureis fontibus, conferre audeat? Sed nec recentiorum Auctorum ſua laude defraudanda induſtria, quinimmò eorum omnes lucubrationes, quæ ad mea ſtudia faciunt, accuratè perlegi, & indè multa in mea aduerſaria, & exotericos Commentarios rettuli, idq; cũ honorifica eorum præfatione, nec enim in me vnquam candorem,& ſyncerum in viros eruditos obſequium deſiderari ſum paſſus: quamuis alioquin nullus ſit tam malus liber, vt quidam ait, ex quo aliquid boni percipi, atque hauriri non poſſit: qui triſtem, & impexam antiquitatem ſectantur (inquit Famianus Strada Romanus in ſuis elegantiſſimis Proluſionibus, an ſerijs velitationibus litterarum?) nihil afferunt vendibile in vulgus, nec merces huiuſmodi extruduntur apud eos, quibus venale nihil eſt, niſi ad haſtam, præconiumque voluptatis expoſitum, niſi aliquo tinctum lepore, ac illecebra ſuauitatis delinitum. Illud porrò ingenuè profiteri auſim apud viros eruditos, & morum eximio candore ſubnixos (infrunitos enim, & aulicis artificijs deprauatos, qui plus in fronte, quam in receſſu præſeferunt,nihil moror) nullum mihi librum ad oſtentatio-

tationem coêptum, nullum otiosè in meo Musęo asseruatũ; omnes vel integrè à me perlectos, vel magna ex parte perlustratos, marginalibus etiam annotatiunculis, & glossematis vel ad subsidium memoriæ, qua nil ingrauescente ætate labilius, vel ad clariorem Auctorum lucem exaratos: scitũ id egregium præ oculis habui, ὁ πολλά, ἀλλὰ χρήσιμα εἰδὼς σοφὸς, Non qui multa, sed qui vtilia nouit, sapit, & ἄκρον λάβε καὶ μέσον ἕξεις, Summum cape, & medium habebis: in Phœdro diuinè Plato, cuius γνώμην omnibus verè litteratis in promptu esse opto, ἐπιχειρεῖν τοι τοῖς καλοῖς, καλὸν, καὶ παθεῖν ὅτι αὐτῷ συμβῇ παθεῖν; omnibus animi viribus aggredi optima præclarum est, tum constanter tolerare, quæcumq; perpeti contigerit, cui præcepto Christianæ pietati consentaneo, quiuis sana mente præditus ingenij, & voluntatis submittat fasces. quod si præsens ætas studia nostra contemnet non diffidimus ab erudita posteritate candidioris iudicij calculum ijs additum iri. Straboni libenter assentior, qui primum, quos nouit, Aristotelem librorum collectorem facit, & Reges in Ægypto docuisse Bibliothecæ structuram, quamquã hoc tantum exemplo docuisse velit Lipsius, quoniam æuo anterior docere Philadelphum non potuerit: Sed de Bibliothecis pręclarum Lipsij Syntagma perlegendum, à quo rationem, vsum, finem librorum colligendorum vnusquisque commodè percipiat, tum etiam Clarissimi Guilandini Papyrum, qui quæstiones aliquot de Bibliothecarum structoribus solidè discutit.



NVLLAM maiorem prærogatiuam humanæ vitæ, aut maius fęlicitatis specimen cũ vetere illo sapiente Plinio Ciue nostro existimo, quam vnumquemque scire cupere, qualis aliquando fuerit aliquis, Pictura quippè corpus exprimit, quod expressum animorum etiam quosdam motus, & affectiones saltem sub nube potest indicare; Hinc Illustrium Virorum Paleotti,

Vel-

Velferi, Pinelli, aliorum confilium probare non poffum, qui fe pictura exprimi viuentes dedita opera vetuerunt, quafi id vanitati ingenij, atque ambitioni adfcribi deberet, cum tamen Socrates, qui hoc vnum fcire dixit, quod nihil fciret, cum fe in Bibliotheca magni amici, & difcipuli pofitum cerneret, cur egò (inquit) in Bibliotheca ponor, cum nihil fcripferim, cui refponfum, licet tu nihil fcripferis, quid tamen alij fcriberent, tu affatim, & plenè fuppeditafti. Mufæo ergò CALCEOLARIO proximum eft Atrium celeberrimorum Medicorum, Phyficorum, & Botanicorum, tum hiftoricorũ imaginibus exornatum, qui Senioris Calceolarij in fuis fcriptis perhonorificam mentionem fecere; Horum nomina breuiffimo compendio adfcribenda cenfui, vt quorum Virorum amicitia, & cultu floruerit Senior nofter Calceolarius vnicuiq; facilè conftare poffit: Prima tempore, & coniunctione arctioris beneuolentiæ eft, Petri Andreæ Mattheoli Viri Clarifs. imago, cuius nomen, & virtus in hoc Mufæo toties decantata, totius orbis angulos, clarasq; imprimis Vrbes, & Academias, vel frendente quorundã inuidia, peruafit, qui detrahendo magnus Viris, quod eminet, fe ijs pares hoc pacto faltẽ reddere fatagunt. Ferdinandi Mattheoli eius fili Medici Comitis Palatini Equitis, & Cæfareæ Maieftatis à Confilijs qui nunc paternæ virtutis æmulus fumma cum laude, & nominis celebritate Auguftæ Vindelicorum degit. Bartholomæi Maranthæ Venufini, qui Methodum cognofcendi fimplicia in lucem edidit, opus doctum meherclè, & iudicij exactiffimi plenum. Valerij Cordi, qui Antidotarium Medicum, atque alias fructuofas lucubrationes fcripfit. Vlyffis Aldrouandi Bononienfis, qui immenfis laboribus luculentas tractationes de Auibus, Quadrupedibus, Natatilibus, atque alijs huiufmodi euulgauit, quibus fuperiorum fcriptorum induftriam, & diligentiam facilè vicit, & penitùs obfcurauit. Antonij Pafini Salodienfis, qui Hippocratẽ de Aëre, aquis, & locis emendauit, & verè lectioni reftitutum voluit. Hieronymi Brixiani optimi Medici, & huiufmodi rerum ftudiofiffimi. Andreæ Veffallij fummi

Anato-

Anatomici, & Caroli V. Imperatoris Medici intimi, cum quo summa Seniori CALCEOLARIO intercessit necessitudo ob eximiam Rei herbariæ peritiam. Io. Baptistę Oliui Medici præcellentissimi, qui Nomenclatorem Musæi Calceolarij olim breui narratione conscripsit priusquam tot exoticis rebus locupletaretur. Prosperi Borgoruccij Medici summi, qui Reginæ Galliæ Serenissimæ medicinam fecit, multisq; suorum operum locis Franciscum Seniorem Calceolarium perhonorifica mentione cohonestatum voluit. Christophori Guarinonij ex Collegio Veronensi Medici, & Philosophi clarissimi, qui Iunior Vrbini Duci à Consilijs Valetudinis inseruiuit, mox in Patria Medicinam faciens, & scribens multa opera Philosophica, & Consultationes præsertim Medicas, à Rodulpho II. Imperatore Maximo accersitus illi opere medico inseruiens, & eius gratia valdè florens extremum Pragę clausit diem: huius extat euulgata Epistola de Gummatis, & Cancris ad Seniorem Calceolarium in libro Consultationũ Medicarum. Francisci Alexandri Vercellensis, Viri doctissimi, ac percelebris, qui commune simplicium studium cum Seniore Calceolario communicabat. Io. Baptistę Susij Mantuani Viri percelebris, quà multa solidè, & eruditè scripsit, & potissimum de Venæ sectione, cuius aureum libellum præ manibus habent Cordatiores Medici, tum luculentas de Peste tractationes. Antonij Caprianæ Mantuani Viri optimi, & doctissimi, qui Tridentino Concilio consilijs Medicis interfuit. Fratris Aleandri Alberti Bononiensis Historici, ac Cosmographi suæ ætatis celeberrimi, quod libri editi, & toties impressi, satis declarant; huic imprimis carus Calceolarius fuit, ob celebre Simplicium studium, & multarum egregiarum rerum notitiam, dignum idcircò censuit, quem in suis operibus summa cum honoris prętatione nominaret. Castoris Duranthis Medici Romani, qui Camillæ Perettæ Sixti Quinti sorori Medicinam fecit, & Thesaurum sanitatis scripsit celebrem, & perutilem Libellum omnium manibus, atque oculis conterendum, præter alia à tali Viri immortalitati con-

consecrata. Andreæ Baccij Medici Romani percelebris, qui de Vinorum natura, & Therimarum præclara volumina in lucem edidit. Leonardi Fiorauanti optimi rerum naturalium, & Chymicarum exploratoris qui nonnulla etiã non aspernanda scripsit. Gasparis Vlpij Tigurini Physici, & Botanici non vulgaris. Ioachimi Camerarij Viri doctissimi, qui libros de Symbolis terrestrium quadrupedum, volatilium, natatilium, & herbarũ pro Emblẽmatis, & insignibus Academicis conficiendis (Impresas Itali vocamus) valdè accommodatos edidit. Remberti Dodonæi Medici Mechliniensis doctissimi, de quo Elogium extat percelebris Guilandini in suo Papyro; Vir huius memoriæ eruditissimus, & ad stirpium cognitionem non illustrandam solum, sed absoluendam natus, factus, institutus: hic in perleganti libello De floribus, & corollis: perhonestam Calceolarij Senioris mentionem fecit exacti iudicij tanti Viri, non solum amoris indicem. Pauli etiam Mapelli Medici Bergomensis eruditissimi, qui in sua Pharmacopæa ad vnguem elaborata, & expolita eiusdem Calceolarij nomen, tamquã Viri omni exceptione maioris, haud sibi prætermittendum censuit. Omniboni Ferrarij Medici Ripensis, qui vt se magnorum Virorum amicitia florere præferret eundem Calceolarium nostrum in nonnullis suis opusculis perhonorifica nominis mentione cohonestatum voluit.

Istæ igitur eorum Virorum celeberrimorum effigies, qui in suis scriptis, & lucubrationibus Calceolarij Senioris honestissimam mentionem fecerunt, tamquam illius, qui rem Botanicam ferè intermortuam, suo tempore in vitam reuocauerat.

Præter istas adsunt & aliorum Classicorum Virorum picturæ Hieronymi Fracastorij Veronensis Viri Virgiliana Poësi, Mathesi, Philosophia, & Medicina summum in Europa nomen adepti: Io. Baptistæ Montani Medici maximi: Dominici Monthesauri; Gerardi Bolderij; Pauli Dionysij; Petri Landi; Antonij Fumanelli; Ludouici Lazisij; Ludouici Fumanelli; Hieronymi Iuliarij; Io. Antonij Turci,

Soce-

Soceri mei; Nicolai Maroneæ, qui ex Collegio noſtro Medici Illuſtres fuere, de quorum iam defunctorum eximia laude in illuſtranda Arte Medica, & bonis litteris iuuandis copioſius ſcripſi in meo libello de Collegio Veronenſi, qui propediam, Deo fauente, euulgabitur. Viderant optimi iſti ex Collegio Veronenſi Medici, quod in Clitophonte docuerat Diuinus Plato, Artem ſcilicet eſſe, quæ Medica dicitur; præſtantiſſimam, huius eſſe διττὰ τὰ ἀποτελούμενα, duplicia videlicet effecta: Vnum Medicos ad eos, qui priùs ſunt, alios ſemper efficere ἑτέρους ἐξεργάζεσθαι, τὸ δὲ ὑγίειαν, alterum ſcilicet ſanitatem: At Medici effici omnibus numeris abſoluti nequeunt, niſi & praxi medica exerceantur, & acerrimo examini ſubijciantur, quod Patriæ legibus municipalibus, & Collegij noſtri Decretis olim ſancitum ſemper ab æquis rerum æſtimatoribus laudabile, & fructuoſum institutum iudicatum eſt: ita enim & ingeniorum ad Medicina habilium certius, & exploratius periculum fit, & calcar, ſtimulusq; Iuuenibus ſubditur, vt ſe totos, relictis ludicris, & inanibus curis, ſtudijs Medicis Theoreticis, & Practicis dedant, vt, quã artem ſibi exercendam in vita propoſuerint, in ea velint potius excellere, quàm triuiali moneta cudi: idq; publici boni in ampliſſima, & nobili ciuitate ratione diligẽter habita. Nec indictũ præteribo Io. Bapt. Ponæ Ioãnis Fratris, viuis coloribus expreſsã imaginẽ, qui Poëſi Latina, & Etruſca, Philoſophię Platonicæ, & Peripateticæ notitia, medica praxi nemini ſua ætate fuit ſecundus, quãuis immaturo fato vix dum XXXII. annum agens fuerit præreptus. Nec Ioannis Obendoferi Vratislauienſis Viri doctiſſimi, Ferrantis Imperati Pharmacopæi Neapolitani percelebris, cuius locupletiſſimam Muſæi ſui deſcriptionem, non ſine ſummo fructu, & animi voluptate legimus. Cęterũ nec Hieronymi à Veritate natalium claritate conſpicui, ſed magis virtute, & doctrina præcellentis imago deeſt, qui ſtylo graui etruſco multas morales Odas exarauit, quamuis publicam lucem exaratæ non vident. Hunc magni Fracaſtorij indiuiduum Comitem tantifecit Areoſtus Italicus Homerus, vt ſuum

Poëma eius Iudicio fubijciendum cenfuerit. Nec Valerij Palermi, Polycarpi Palermi eius Nepotis Iurifconfulti eruditiffimi, & Hiftorici imprimis rerum Veronenfium accuratiffimi, qui de vera Patria C. Plinij opus eximium confcripfit, verumque, & legitimum Ciuem noftratem Patriæ fuæ afferuit, aliena iniuria an iniquitate dixerim? ereptum. Francifci Polæ Iurifconfulti Poetæ, & rerum antiquarum fcientiffimi, & confultiffimi, qui etiam Elogio pereleganti nomen, & virtutem Calceolarij Senioris eft profequutus: Nec Alexandri, & Gregorij eius Nepotis Comitum Beuilaquarum Illuftriffima, & perantiqua Familię Stirpe oriundorum imagines in hoc Atrio, & Propylæo Promptuarij Medici defunt, cum qua nobiliffima Domo, cum Seniori Calceolario fumma femper interceffit beneuolentia, & ardens obfequium, quo omni tempore, & in varijs ægritudinum, & morborum neceffitatibus ipfi inferuiuit, atq; adeò in præfentia etiam inferuit Calceolarius Iunior, cuius rei teftis oculatus effe poffum, cum ipfe etiam ordinarij Medici munere fungar in ei ampliffimæ Familiæ medicina facienda: Nec Io. Matthei Giberti Epifcopi Veronenfes, optimi, & maximi, aut Cardinalis ampliffimi, & doctiffimi AVGVSTINI VALERII, cui Veronæ commoranti ego à Confilijs Valetudinis per multos annos cũ Clariffimo Fumanello inferuiebam, Imagines hîc defiderantur: tum aliorum etiã minùs celebrium, fed qui Calceolarios aut amicitiæ, aut affinitatis iure plurimum attingebant: Iam verò inter fummas vitæ huius fœlicitates, & ingenuo viro dignas voluptates ea profectò enumeranda, quod fæpiffimè ad Calceolarium Seniorem ventitabant Medici, & Botanici Illuftres, vt ipfum de facie nofcentes animum fuum Viri fenis natiua viuacitate, & hofpitali hylaritate explerent: numq; accedentes, quin doctiores in re herbaria, vel certiori rerũ, & genuina notitia imbuti abirent; Eiufmodi fęlicitatem olim pariter nactum ferunt Adamum Fumanum Canonicum noftrum, cui parem noftra ætas in literis Græcis, & Latinis, foluta nempè, & adftrictis numeris oratione (pace

omnium

omnium dicam) nullum tulit: Is à Gallo Equite amplissimo, cui de nomine cognitus fuerat, cum ipsum inuiseret Veronæ, gemma annuli pretiosissima donatus cum eo elogio fuit, nullius manus digito conuenire aptius eam gemmã, quàm Fumani, qui S. Basilium è Græco verterat, tum alijs scriptis illustre passim eruditionis specimen dederat; deniqúe conscribenda Dialectica Lucretiano Carmine elegantissimo, & suauissimo, vt in doctrina aspera, & strigosa, qualis est Logicæ facultas: cuius manu Auctoris scriptum Antographum à magnis fortunæ ludibrijs redimendi Auctor Academiæ Philarmonicæ fui, quæ vt liberaliter redemit, ita non diffido futurũ, quia ipsa pro suo eximio splendore, & in bonas litteras amore Typis excusum sit tandem aliquando totius Europæ litteratis communicatura, qui rem nouam, & hactenus inauditam, nec aggressu, aut absolutu facilem, dum audiunt iam confectam, admirantur, & auidissimè præstolantur. Verùm hæc parerga, quamuis ipsa re proposita non iniucundiora. Inter alios igitur, qui ad Seniorem Calceolarium ventitarunt, Michaël Mercatus Medicus Romanus magni nominis Baldum Montem stirpium productione percelebrem, & passim decantatum, cum perlustrasset Ripulam ad eiusdem Montis radices sitam statim aduolauit, vt Calceolarij optimi Senis conspectu, & complexu oculos, & eruditam mentem recrearet: cumqúe ille rei metallicæ, & Botanicæ, tùm etiam Chymicæ esset experimentis etiam multis factis peritissimus, hisce de rebus inito cum Calceolario colloquio, de multis se certiorem factum candidè mox est professus, quæ prius, nec à librorum lectione, nec ab alijs acceperat, tanti refert, quod Vates ille scitè docuit,

Consule, queis Ætas longa magistra fuit.

Verumenimuerò fatali quadam veluti necessitate, vt expeditius animum à dolore, & cogitatione abduceret à Ciuium suorum se oculis subduxit Senior hic noster Calceolarius, & in Ripulæ se secessum abdidit, cum duos nimirum ornatissi-

tiſſimos filios,& paternæ virtutis imitatores præmaturo fato ſubreptos amiſiſſet, Horatium, atque Angelum: Hîc peculiariter ſub tanti Parentis auſpicijs,& ſedula cura educatus, paternisque proindè inſiſtens veſtigijs, magnum in re Botanica ſibi nomen comparauerat: cum eccè tibi alienę ſalutis nimium auidus dum ſimplicia,quedam medicamenta montē Baldum pererrans conquirit,infęlici lapſu fractus,& debilitatus intra paruorum dierum ſpacium vitam cū morte commutauit, idq; vix annum XXVIII. natus, quam ſanè improuiſam calamitatem, ſummum, & inconſolabilem mœrorem Patri, affinibus, amicis vniuerſæ Vrbi attuliſſe probè memoria teneo.

Huius ornatiſſimi Viri FRANCISCVS Iunior filius fuit tenella admodum ætate, cum ANGELVM parentem amiſit, nunc grandior, & maturior factus in Aui, & Patris virtutem, & laudem excitatus, atque adeò inflammatus, dies, noctesq; indefeſſo animi ſtudio, & moderatione non deſinit, & de hocce Muſæo, cuius ampla ad ipſum peruenit hæreditas, locupletando, augendo, & ornando cogitare, & mox re ipſa, quod cogitatum eſt, præſtare,nullis impenſis parcendo, dummodo ex remotiſſimis etiam regionibus exotica peregrina, & rariora metallica,gemmæ, lapilli, radices,herbæ, fructus, gummata, animalia quæuis ſibi comparet, & in ampliſſimo hoc ſuo Promptuario omnibus viſenda, & exploranda proponat: quemadmodum ſatis mihi perſuadeo,ſi denuò excudetur Muſæum, magnam huiuſmodi rerum acceſſionem, & cumulum adiectum iri, vt candidiores, & ſimul eruditiores Phyſici χαρίεντες ab Ariſtotele nuncupati habeant, vndè & oculos, & ingenium alant, & abundè oblectent.

CVM iam Deo auſpice, & Deiparæ Virginis Beatiſſimæ præſidio, quam verè aduocatam apud Filium ſuum Dominum noſtrum mundus Chriſtianus ex auitæ Pietatis more ſemper inuocauit ad deſcribendi Muſæi Calceolarij calcem peruenerim, age colophonei imponatur aliqua breui deſcriptione tum phyſica, tum morali, vt Lector ſuperiorum

deſcri-

descriptionum tędio fortè delassatus veluti palatum mentis exacuat, & excitet ad hauriendam doctrinam aliquam non ieiunæ criticæ, sed informandis moribus, & ignorantiæ tenebris abstergendis consentaneam : Mundum omnem supercęlestem, cęlestem, & sublunarem mirabili ordinis ratione, & magisterio constare apud sapientes in confesso est : proindè Aristoteles philosophorum maximus mundum definiens τάξιν appellauit, quod & Plato in Timęo innuit, nec aliud sentire visus Homerus aurea illa Catena, qua è summo cœlo ad imam terram demissa, Dij, Deæq; omni adhibito conatu Iouem è cęlo detrahere nequirent, cum è contrario ipse non solum Deos, sed terram mare, & reliqua omnia ad se pertrahere, & è cœlo suspendere facillimè posset ; qua fictione solidam Philosophiam expressit maximus Vatum : summam scilicet Dei esse potestatem, omniaque apto ordine, & nexu inter se esse distributa, ac collocata, quemadmodum in Cathenæ annulis nihil inuersum, nihil præpostere locatum, hinc aptissima similitudine docuit Philosophus rerum species, tamquam numeros quosdam producta, & ordinata serie se mutuò consequi ; Verum is est Diuinæ Prouidentiæ, & naturæ eius ministræ mos non subitò à toto genere ad totum genus, sed per medium, quod vtriusq; extremi est particeps, & ἀμφοτερίζειν dictum pertransire : hoc pacto Corallium, de quo in exordio Musæi actũ, inter lapidem, & plantam medium est λιθόδενδρον, idcircò à Græcis vocatum, solum enim nutritur, atque augetur, nullum fructum, ac semen gignit, nec à brutis animalibus ad rationis compos animal transilit sinè medio, perfectioribus enim animalibus, non solum affectus humani, & morum vestigia ex Aristotelis testimonio conueniunt, sed Disciplina, & intelligentia, quam τὴν τῆς διανοίας ἀκρίβειαν vocat. quod profectò non sine admiratione prætereundum videtur, λόγον ἐνδιάθετον Galenus vocauit, internam scilicet rationem quamuis Porphyrius etiam λόγον προφορικὸν ipsis inesse velit, nec mirum videri debere, si earum sermonem nemo percipiat, cum nec Persarum, nec Scytharum Idioma Græci intel-

Lib. 7. Metaph.

intelligant. Inter hominem igitur, & belluas genus intereſt, quod cum vtroque affinitate quadam præditum videtur, qualia ſunt Simiarum genera, Cercopitheci, Cynocephali, Sphinges, Satyri, Cynoproſopi, Manticoræ, Crocutæ, barba, coma, facie, geſtu, & ſermone homines ad viuum ferè imitantes. Hominem porrò medium ponunt inter ſuperiores mentes à corporis concretione ſeiunctas, & inferiores formas, & ſpecies: Ex hac Hypotheſi percelebris Philoſophus, qui à multis ſolidi, & acuti Iudicij Peripateticus eſt habitus lib. de natural. effectuum cauſis exiſtimauit, non ſolum herbas, fructus, radices, lapillos, quos in Muſæo deſcripſimus, medica virtute pollere, ſed homines etiam reperiri, qui ex proprietate naturę ſanandi vi prędíti eſſent, idque efficerent, vel euidenti alteratione, vel vapore ad ægrotantem partem tranſmiſſo; Homo enim & ſuperiorum virtutum, & inferiorum particeps ab ipſo putatur; quocirca ſine medicamentis, & ope medica omnes morbos à varijs hominibus huiuſmodi ſanandi proprietate præditis poſſe curari, quod ſanè Somnium Ariſtotelis doctrinæ è diametro repugnat, cuius tamen ipſe ſe pręcipuum ſectatorem, & interpretem profitetur: Cum enim amicus ſuus Medicus duos pueros curandos ſuſcepiſſet, quorum vnus Eryſipelate laborabat, alter in ignem ceciderat, ſuperueniſſe quemdam ſcribit, qui ſolis verbis, & carminibus ipſos liberauit, addidit & alium, cui ferrum infixum fuerat nulla arte medica euellendum ab eodem ijſdem immurmuratis Carminibus euulſum, addit & alia mira quorum omnium rationem ab Auctore Viro illius ætatis eruditiſſimo quæſiuit amicus, dein quid ad hoc veriſimiliter Peripatteici dicerent: Tum is inter multas Hypotheſes, quas reſponſionibus præſtruit afferendis illam etiam profert: omnes lapidum, & herbarum vires, & proprietates in tota ſpecie humana ineſſe, quoniam media, & inter æterna, & caduca, non ſolum per excluſionem extremorum, ſed & per participationem. Hinc conficiat quis totam ſpeciem humanam eſſe, Muſæum ſpirans, & deambulans omnigenis

aliarum

aliarum rerum viribus insignitum, cum autem Deus, & Natura nihil frustra, aut superuacuum efficiant consequitur alterutrum ex his Musæis esse superuacaneum, aut inanimatam, aut spirans; licet enim serio ioco Hypothesim conuellere: Alia etiam Hypothesis è Scholis Aristotelis explodenda speciem perceptam rei sensilis licet essentiam spiritalem obtineat; reipsa tamen (realiter vocant Scholastici Philosophi) producere rem, cuius est species, si agens fuerit potens, & passum, vel materia benè disposita, ita olim censuit Auicennas, intellectui benè disposito, & à materia eleuato omnia materiata corpora obedire, quare pluuias, grandines, & alia ab humana anima effici posse: Illam suppositionem probat Auctor noster, quoniam Ideæ sunt in Deo, intelligentijs, & in anima inferiori: sicuti ergo Duæ illæ causæ per Ideas producunt; Deus sinę instrumento: intelligentiæ corporum cœlestium ope, ita mens nostra per ideam, quæ est species rei perceptæ rem exterius producet secundum esse reale (ignoscant mihi elegantiores critici) spiritu, & sanguine tamquam instrumentis adiuta, cum pręsertim passum optime fuerit dispositum: his adnectitur alia eiusdem Hypothesis, quamuis per species in anima positas fiant in ipsomet homine tam mirabiles effectus, tamen possunt, & in corpus exterius positum effici, quoniam & intus, & extra consimilis erit dispositio, quia & exterius corpus magis erit dispositum, & agens (ait) sufficiens dominium habebit: An ne videntur isthæc doctrinam Aristotelis sapere? ad quam ille auctor semper prouocat: nec tamen defuerunt Alexandręi Philosophi, & Medici, qui hęc tamquam admiranda scientiarum arcana, & Eleusinæ Deæ secretum plebeis Peripateticis non euulgandum putarunt, vsqueadeò rei nouitas, & ingeniorum curiosa cupiditas repugnandi decreto de Dęmonum vi, & artificijs superciliosos hos Philosophos occupauerat: Respondet Philosophus ille, quæ applicantur pro curatione, & applicationis modum ex scientia naturaliter habita per studium alicui homini esse cognita, quare sinè Dęmonum ope potuisse illum

Præcantatorem illos pueros perſanare, at latuit illa applicatio, & alteratio; Sed ſi faſcinantur, & præſtigijs illuduntur ægroti ſenſus, & adſtantium, hoc faſcinans eſſe poteſt homini pariter conſpicuum: Vlterius progreditur Auctor, homines docens poſſe excitare ventos, grandinem, & pluuias actiua paſſiuis applicando, dummodo herbarum, & lapillorum eis viribus præditorum notitiam ſint nacti; Quamuis exiſtimo ſola huius doctrinæ Commemorationem eius apparere abſurditarum, dicendum tamen, nec omnia huiuſmodi actiua eſſe homini cognita, nec modum applicandi: Dęmonesq; ex diuino etiam decreto longè perſpicaciores, & acutiores homine exiſtere, præterea curationes fiunt aliqua temporis mora, & ſucceſſione; at illicò illi perſanati ſola Carminum immurmuratione nulla conſpecta, aut percepta medicamenti appoſitione, aut actione, & inficiabitur obſtinatus Alexandræus, Dęmonas reperiri, & iſthæc omnia Dæmonum ope fieri? Immò paralogiſmis, & falſis hypotheſibus omiſſis in quas ipſi ſæpè nouandi ſtudio incurrunt, ita argumentari debuerant, dantur opera Dæmonia, ergo Dæmones exiſtunt, non tantum ſecundum leges, ſed re ipſa etiam ſecundum Platonicos doctiores; Verum ipſi ab his arripiunt Ideas, & quæ pro fouendis proprijs dogmatis faciunt, Dæmonas explodunt, & irrident contrà tot ſæculorum conſenſum, & effecta illa admiranda, quæ nullo pacto naturæ legibus ſubijci poſſunt: Appetitio ſanè vehemens, ſi cum attenta ſenſione iungatur notam aliquam inurat matri, vel fœtui in vtero degenti, quoniam veluti pars eſt Matris, idque ſanguinis, & ſpiritus ope, qui phantaſiæ, & appetitui ſtrenuè obediunt, at vapores à præcantãte exeuntes Eryſepelas alicuius, vel combuſtionem ſanare poſſe, vel etiam Iaculum ferreum altius infixum euellere, dogma eſt ridiculum omnibus ſannis, & deriſionibus proſequendum, nec à ſano Philoſopho, niſi conuiuialis fabulæ loco, apud amicos proponendum: Quid quod falsò etiam Contagium cum hac per euaporationem curatione cunfunditur. Peſte enim affecti per halitum putridorum

vapo-

vaporum aliud simile in alio gignunt : sic menstruo affecta mulier speculum inficit : at præcantator non simile gignit, sed per vaporum exitum curat Erysipalas vstionem, sagittam euellit; at recurrent ad suam illam ideam : ita fortis, duntaxat imaginatio in materia puerili benè dispositã eos miros effectus edet, sic in Auicennæ somnia incidunt, & nonnullornm Arabum, & Astrologorum nænias,qui puram doctrinam Platonis, & Aristotelis nouis commentis polluere, & perturbare non destiterunt : Accedit hos præcantatores esse rudes, plebeios, prauis moribus prędítos, superstitiosos, lucro deditos, nullius bonę frugis, nullius probæ litteraturæ (vt oculata semper experimenta probarunt) cum tamen summi Philosophi, & veluti Virorum, & Sapientum Apices ex Auctoris nostri Elogio esse deberent, qui non solum Musæum spirans Exoticarum rerum Viribus naturaliter insignitum existant, sed studio,& notitia rerum omnium ita instructi, vt supra humani ingenij Aleam positi cum Dijs, cum Dæmonibus ipsis paria facere præ insigni Sapientia videantur: Ecce, Lector optime, in quas tricas, & apinas nouandi studium Viros etiam ingenio claros coniecit. Quod porrò de humana naturam intermediã inter res æternas, & caducas obijcitur, intelligendum dẽ secretione à corporea materia, vel eius eleuatione, tumã etiam de intellectionis perfectione, non quod vapores in se habeat, aut vires Rhabarbari, Agarici, Ellebori, Dictamni, Pœoniæ, Panaceæ, aliorum huiusmodi, quibus per se ipsa quosuis morbos abigere, absque particularium,& propriorum medicamentorum præsidio valeat, quam doctrinã ita absurdam putaret Aristoteles, si viueret, vt tribus Anticyris vix insanabile caput, quod ipsam probaret, crederet ; Tantum abest,vt patienter ferret, & æquo animo pateretur sibi huiusmodi Commenta adscribi, & ex eius solida, atque aurea doctrina deduci: palamque, & disertè ad eius physicum tribunal in horum dogmatum assertionẽ prouocationem fieri. Cæterùm illud profectò palmarium videtur, cum ait, sicuti Rhabarbarum virtutem habet ex-

purgandi choleram, illam tamen non expurgat, nisi per calorem natiuum fuerit ad actum redactum, & in vaporem conuersum, sic homines talibus præditi viribus, & proprietatibus in potentia, cũ ille per uim imaginationis, & appetitus actu operantem exeunt in actum, & sanguinem, & spiritus afficiunt, miros illos effectus operantur in exteriori materia, dum per euaporationem externam materiam petunt illa duo naturæ instrumenta; nec valet sequella in moribus assimilantur, ergo etiã in proprietatibus: mores enim à Temperamento pendent, quod nobis cum multis animalium commune esse potest, at talis proprietas purgandi bilem, vel pituitam, vel atram bilem à forma tali specifica, (vt ita dicam)Rhabarbari Cnici, & Ellebori ita proficiscitur, vt alteri non conueniat, cum quarti modi proprietas existat, quæ vni speciei & soli, & semper conuenit, non ergò humanæ speciei congruent, quæ proprijs dotibus ornata, ignobiliores respuit, esse sociabile, ad disciplinas capescendas aptum, ad ridendum, & motus effrenes iracundiæ, & cupiditatis rationi subdendos, hę sunt rationis compotis animantis proprietates, quæ vni, soli, & semper conueniunt ex naturali habilitate, & procliuitate, nisi malis opinionibus vulgi, & praua educatione transuersum agatur, vndè summa ipsi imperfectio, & calamitas accidit; Ineptum porrò, & absurdum dictu talem proprietatem purgandi bilem, euellendi sagittam, vstionem sanandi redigi ad actum per phantasiam, & appetitum, cum actu operantur, & afficere sanguinem, & spiritum, quæ per euaporationem petunt ad extra, & producunt tales effectus, ita enim stylo Scholastico loquuntur, quem doctiores condonare Philosophis rebus explorandis intentis debent; primo igitur talis proprietas Rhabarbari, Agarici, Dictamni, Pęoniæ, & aliorum simplicium non reperitur in humana specie, vt demõstratione valida ostensum est; secundo spiritus, & sanguis si halitu blando à corpore boni habitus exhalant, tantum olfactum, & cor quoquo pacto recreant, nihil aliud ad sanitatem conducens efficiunt, nec valet argumentũ, si dantur noxij, & perniciosi halitus tabidorum, elephanticorum,

& pe-

& pestilentium, ergò & Iuuantes concedi debent, & persanantes exhalationes: quis enim vnquam per vehemens desiderium persanandi amicum ipsi admotus, & complexu etiã inhęrens persanauit? ad destruendum pauca sufficiunt ad construendũ plurima requirũtur: prӕterea morbus est quidã excessus, in quo magna vis inest actiua; sanitas est tẽperies, humorum, & primarium qualitatum ęquabilitas à qua nulla prouenit actio; cum omnis actio à contrario fiat, in Categoria porrò quantitatis, & relationis nulla est contrarietas, quod vel ijs, qui primoribus labris Philosophiam degustarunt, satis conspicuum est: quod etiam summus Philosophus concessisse videtur: tantum abest, vt vnquam concesserit, aut pronunciarit sanitatem ӕgris conciliari persanorum corporum salubres halitus: Immò profiteor non differre modum Auicennӕ in hoc à ratione istius Auctoris philosophandi, quoniã imperium animӕ, cui omnia materiata corpora patent, iuxta Auicennam idem esse videtur, cum vehemente cogitatione, & appetitu, quibus affecti spiritus, & sanguis ad nutum externi Prӕcantatoris in corpore optimè disposito re ipsa eos effectus producunt. Verum alias aliquot disputationibus, cum accuratè eam doctrinam Aristoteli, & veritati aduersari ostenderim, stylum in prӕsentia contrahem, cõtentus animi gratia solum Musӕum viuum, & deambulans post Calceolarij demortui, & sedentarij luculentã descriptionem exhibuisse. Id duntaxat Lectorem oratum velim, vt diligenter ad duo oculos aduertat, vnum est historias, & experimenta ab Auctore illo allata partim in contagium esse referenda, partim in naturales rerum proprietates, quӕ à propria ipsarum essentia emanant, partim in Dӕmonas pactis expressis, vel implicitis ab Agyrtis his, & miseris homuncionibus varijs, ijsque impijs artificijs allectos, cum celeritas rei efficiendӕ, & modus admirabilis in nullam aliam causam referri valeant, qua de re prӕ cӕteris legendӕ disputationes Magicę Antonij Deirij Viri eruditiss. & Nicolai Remigij, Dęmonolatriӕ libri tres doctissimi, quos qui attentè legit, & ex iudicijs capitalibus historias allatas

expandit, atq; Dęmonas exiſtere inficias it, is mira inſania, & obſtinatæ mentis ſtupore ridiculo prehenſus iurè putandus. Aliud obſeruandũ eſt, ſi iſthæc à naturalibus cauſis euenirent per ſtudium, & notitiã perſpicaciũ philoſophorũ non debuerant ab Eccleſia Catholica, quæ Spiritus Sancti ductu regitur, conſtitutis grauiſſimis etiam pœnis prohiberi: at cum prohibita ſint huiuſmodi præcantatorũ remedia, argumento eſt per rudes, & plebeios Dęmonibus mancipatos homines effectus illos editos: immo quoſtquam ſeueriſſima Inquiſitione contra ipſos actum, iam iſtorum ſecta ferè euanuit; nec amplius huiuſmodi admirandæ curationes apud vulgus decantantur, quæ ſi è media philoſophia peterentur, nũquã à Spiritus Sancti Miniſtris vetitæ fuiſſent; quod enim per ſe, & ſecundum naturam bonum eſt, in cõmunem humanæ Societatis vtilitatem à Deo creatũ, & profectum, & naturalibus cauſis, quæ poſt Deum ſecundæ, vel eius ordinariæ poteſtatis inſtrumenta vocantur, nititur, numquam prohibuiſſet Eccleſia, niſi magnę fallaciæ, & afflatus Dęmoniaci interuenirent: quæ à tanto Auctore, & ſummo Peripatetico nõ fuiſſe intimius animaduerſa, haud ſatis admirari poſſum; quamquam ipſe profectò cap. 6. dubitationes aliquot contra ſe adducens quędam vidit, quæ inexplicata reliquit, omnia ambagibus, & experimentis malè expenſis confudens, vt cum ait ægritudinem, quia eſt motus, alium inficere: Contra eum arguit Vir doctus: maior ergo motus magis inficeret, cum ergo febris ſit motus alterationis, quatenus febris inficeret, quod eſt falſum, peſte excepta; & magis quã lepra, ſcabies, lippitudo, cancer qui non videntur eſſe ita motus: item morbi frigidi eſſent contagioſi qui per illum auctorem ſunt motus. Sed nulla deterior, & ineptior vox quàm illa nonnullorum Alexandræorum, qui elato ſupercilio ſupra communem vulgi captum ſapientiores exiſtimari contendunt, vt potius Philoſophi, quę Chriſtiani eſſe videantur; dicentium hoc eſſe ſecundum Ariſtotelis mentem verum, licet Eccleſię Sanctionibus aduerſetur; vna eſt Veritas, quæ veriſſima Pietatis norma, & baſi ſuſtentatur, Ariſtoteles,

les, & Alexander homines fuere, quorum errores à Galeno, Anatomicis recentioribus, atq; alijs Philosophis acutè sunt detecti, qui primas iudicio sensuum longa experientia, & diligenti obseruatione explorato, secundas rationi, auctori tati Philosophorum postremas detulerunt: quod aureum præceptum à Benedicto Pererio traditum, cuius eruditionis & proborum consiliorum plena Præfatio in suum opus Philosophicum diligenter legenda, & præ manibus habenda; ille enim solidi iudicij acumine, & sententiarum delectu, & doctrinæ excussæ momentis omnes suæ ætatis, atq; ordinis Philosophos superasse, vel Zabarellæ ipso Doctore meo fatẽte visus, antequam εἰς ἄβυσσον τινα φλυαρίας optimarũ scientiarum Mystæ inciderent. Verumenimuerò mos ille distinguendi in rebus certissimis dogmata Fidei à decretis Philosophi multos prodit Sardanapalo, aut Epicuro ὁμοιοπαθεῖν, nã studia etiã in mores abeunt, & sapietiss. D. Thomas Aquinas pronunciauit ex hominum numero plures esse, qui vitiosos, ac naturales impetus sequuntur, pauciores autẽ, idest solum Sapientes occasiones malè agendi, & naturales impetus non sequi, quod ego etiam ad studium doctrinæ deflecti posse arbitror, cum.s. ambitione quadam, & tumore ingenij transuersim acti, vt plus alijs sapere videamur, in paralogismos, & putrida sophismata ingenij quadam viuacitate decepti, & irretiti demum labimur.

Finem faciam huic Disceptationi, & Musęo colophonem imponam, si quemadmodum sæpè polliciti sumus morali Paręnesi optimum, & candidum Lectorem ex hac letteraria Palæstra pręclara donatũ rude dimittã. Diximus magni mundi formã esse ordinem ex magni Aristotelis sentẽtia eũdem in μικροκόσμῳ homine.s. paruo mundo requirunt Sapientes Viri; Plato potissimum in lib. de Repub., qui in animi humani viribus, & partibus ritè ordinatam Rempub. constitutam cupit: Vitiũ enim, & ignorantia geminę mentis humanæ labes, & morbi, cum igitur in gyrum rationis compinguntur cupiditates, & iracundiæ effrænes motus, & studio scientiæ dispelluntur ignorantiæ tenebræ, benè institui, animorum Resp. & sani-

tatem

tatem adepta dicetur, vt omninò illorum etiã Alexandreorum explodenda ſit ſententia, qui humanam perfectionẽ in ſola ciuilium, & moralium virtutũ actione poſitam cenſent, excluſa rerum maximarum contemplatione, ſi.n.homo natura ſcire deſiderat, ſi intellectus noſter natura aptus eſt fieri omnia ex Ariſtotelis placitis, quis vtiq; iurè decernet hanc fęlicitatis humanæ partem in futurę vitę ſtatu perficiendam omitti debere? quamquã ſublimius philoſophari viſus Plato, qui beatitudinem veram ad animam à corpore ſeiunctã diuina contemplantẽ pertinere exiſtimauit: Duo animæ eſſe actus circa Deum perceptionem per intellectũ, & in amorę Dei cogniti gaudium per voluntatem: Viſionem Plato Ambroſiam appellat, gaudium Nectar: mentem, & voluntatem geminas alas, quibus in Deum reuolemus, puras ergo, & ab omni corporis contagio immunes eſſe oportet animas, vt cũ in cœlum euolauerint in diuina Menſa Ambroſia, & Nectare veſcantur, quo ſanè decreto ad Chriſtianæ fidei lumen propius acceſſit magnus Philoſophus, Sed Platonici iurè queruntur, & cum ijs Barnabas Riccobonus Abbas Oliuetanus Vir eruditione, & virtute præſtantiſs. & magnus: Qui enim ſummam ſapientiam conſectantur, ſæpenumerò non ſunt ita morati, vt docet M.Tullius, ita animo, & vita conſtituti, vt ratio poſtulat, ſed diſciplinam ſuã oſtentationẽ ſcientię putãt, nec obtemperant ipſi ſibi, nec decretis ſuis parent, ac tanta ducuntur leuitate, & iactatione ijs vt fuerit non didiciſſe melius, partimq; ſunt pecuniæ cupidi, partim gloriæ, partim libidinum ſerui, vt cũ eorum vita mirabiliter pugnet oratio: En tria Idola expreſſa, Auaritia, Ambitio, Voluptas, quibus omnia ſus deq; voluuntur, & optimæ diſciplinę deprauantur, ijs ergò litteratis fuiſſet nõ didiciſſe melius, qui aulicis artificijs, & nũdinationibus ingenij, vel ibericis moribus corrupti triplici illa generis humani labe omnia metiũtur. Eam igitur Paręneſin Ariſtotelis, & Senecę Clariſſimorum Philoſophorũ verbis ipſiſſimis prolatam quæſo cordatum Lectorem, vt memoriæ mandet, et re ipſa exprimat, hoc.n.pacto ſe ex Muſæi lectione ampliſſimũ fructum conſequutum exiſtimet. Ita.n.

In diſputatione de fęlicitate.

Ari-

Arist. lib. 9. eth. πάντων δὲ ἁμιλλωμένων πρὸς τὸ καλὸν καὶ διατεινομένων τὰ κάλλιστα πράττειν κοινῇ τε ἂν πάντ' εἴη τὰ δέοντα, καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν, εἴπερ ἡ ἀρετὴ τοιοῦτόν ἐστι: quod eſt: Si omnes ad honeſta certarent, honeſtiſſimaque agere contenderent, & publicè omnibus opportuna, & priuatim ſingulis maxima bona euenirent, ſiquidem tale quid eſt Virtus: Hunc Ariſtotelis locum (vt hoc obiter perſtringam) expreſſit Salluſtius initio Belli Iugurthini, ijs aureis verbis. Si hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena, ac nihil profutura, multumq; etiam periculoſa petunt, neque regerentur magis caſibus, quã regerent caſus, & eò magnitudinis procederet, vti pro mortalibus gloria ęterni fierent: & quæ ſequuntur: At Seneca neruosè, & magnificè nos ad veram humanæ naturæ dignitatem retinendam vocat hoc pacto; Animum excellentem, moderatum, omnia tamquã minora tranſeuntem, quicquid timemus, optamusq; ridentẽ, cęleſtis potẽtia agitat; non poteſt res tanta ſinè adminiculo Numinis ſtare: itaq; maiore ſui parte illic eſt, vndè deſcendit, quemadmodum radij Solis cõtingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, vndè mittuntur, ſic animus magnus, & ſacer, & in hoc demiſſus, vt propius diuina noſſemus conuerſatur quidem nobiſcũ, ſed hæret origini ſuæ, illinc pendet, illuc ſpectat, ac nititur, noſtris tamquã melior intereſt: Hæc ille; qui alibi etiam ſibi conſtans ſcripſit præcipuum in rebus humanis eſſe, animo omnia vidiſſe, &, qua nulla maior victoria, vitia domuiſſe; Verum hîc iam Muſæi Calceolarii celeberrimi deſcriptionis Finis diuino adſpirante Numine imponatur.

Quod fœlix, fauſtumq; ſit Reipublicæ Medicæ, & patrio huic rerum naturalium Theſauro in Peruiglio Sancti Antonij Luſitani de Padua nuncupati Domus Chiocchęæ Diui Tutelaris abſoluta hæc noſtra ſcriptio, & lucubratio Anno M DC XXII. Veronæ.

Sapiens bonum ſuum non populari rumore, ſed conſcientiæ veritate metitur. Boetius lib. 3. conſolat.

Θεοῦ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
Καὶ μὴ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος.

F I N I S.

Ad Candidum Lectorem.



On eram nescius (optime Lector) tenebriones fore nonnullos, & infruniti ingenij homunculos, quorum mentes liuor, aut imperitia occupauit Momi illius æmulos, qui cum Venerem carpere non posset, Sandalium eius dicitur obtrectasse, ita in descripto hoc Musæo tale quidpiam obtrectaturos, quod in corrupto æuo morum, & litterarum facilè obuenire poterit, quibus libenter illud ocunam me inter eos esse fateri.

quos nec

Falsus honos iuuat, aut mendax infamia terret,

Bonis, & doctis scripsimus, quorum suffragijs si industria nostra, & labor foueatur, vel à sera posteritate nos laudem, & album calculũ reportaturos confidimus, cur enim metuã hac ætate, & benignâ famæ aurâ præcoquam nimium, & intempestiuè gliscentem maleuolorum inanitatem, quibus mariscæ saporati fructus, & labruscæ Botryones, & omphacina dulcia mera, & amurcæ, & flaces gratæ oliuitates videntur? Illud hactenùs iure iurando affirmare possum, neminem vmquam nisi imperitum, nisi nebulonem, aut turpi liuore deprauatum in me, aut lucubrationes meas inuectum; hoc Patria, hoc Italia, hoc Europa nouit, quod vel obsignatis litteris clarorum Virorum ad me sponte datis testari possum, & publicis etiam testimonijs comprobatũ mihi sum semper gratulatus. Id sanè beneficij in me nec opinãtè Leonardus Donatus Princeps meus Dux Serenifs. Academię Philarmonicæ Parentes nobilissimi, ex Collegio nostro Fumanellus, Guarinonius, & Iuliarius Senior Medici Clarissimi, volentes, & libentes olim contulerunt, vt Calceolarium Iuniorem Virum ornatissimum, numquã pigere debeat Musæi sui describendi prouinciam mihi demandasse; Quod periti sumus in vita, atq; vsu callemus magis, quam recentiores quidam blaterones, & plus æquo inanis gloriæ appetentes: In iure, & æquo magnitudo animi decet: apud eruditos porrò, & can-

& candidos viros illud ingenuè profiteri possum me in describendis rebus Monardi, Garziæ Horti, Bellonij, Clusij, Acostæ, qui diligenter res exoticas explicarunt, fidem,& testimonium fideliter sequutũ, Prosperi Alpini viri accuratiss. iudicium cæteris à me prçlatum (in Balsami potissimum consideratione) vbi reliqui ab ipso discrepabant; quo enim quis ætate posterior, vt aliàs tetigi, in harum rerũ exploratione ferè accuratior, & solertior: I. Cçsaris Scaligeri, Hermolai Barbari, Cardani, Cçsalpini, Leuini Lemnij, Agricolæ, Guilandini, Imperati, aliorum numquã auctoritatem nos aspernatos, dummodo nobis cũ veritatis amussi conuenire videretur, hæc amussis est Logicum Critirium demostrationis τὸ ὅτι, & τὸ διότι, quod, & propter quid, quo cum multi magni Botanici vel caruissent, vel adhibere non curassent in multos errores à me passim perstrictos incurrerunt. Omnes debita, & perhonorifica sui nominis appositione cohonestaui, ingenuum enim est profiteri per quos profeceris, meum iudiciũ aliquando modestè interposui (quoad eius fieri potuit) diligenti rerum excussione,& logico Critirio propositionum per se, de omni, & quatenus ipsum subnixum, & potissimum, cũ Plinium nostratem, Dioscoridem, Galenum maximos materiç Medicæ Auctores, tum Clariss. Mattheolum eximium illius illustratorem à nõnullorum recentiorum cauillis defensurus eram, nec enim in hoc argumento simplici solertis ingenij coniecturæ fidendum, nisi adhibita auctorum Classicorum sententiarum expensione, non sine perstricto sæpius logicæ subsidio: optime enim ille, qui sua ætate alter Cicero fuit; rationem ne fallatur, atq; erret differendi vis, quam Logicam vocamus, informat,& orationẽ, quò sit aptior ad persuadendum, benè dicendi facultas, verbis, sententijsq; locupletat; vtramq; prò mediocritate nostra, vel potius summa tenuitate adhibere conati sumus: Sed multa de rebus obiter perstricta, non.n.erat hic locus, quoniam aliud esse res ipsas ex professo tradere visum, aliud Musæum Calceolarium locupletissimum describere, vt aliquando ingenuè, & verè sumus protestati. Excursus morales, & physicos, tum Platonicos interdũ permiscui,

miſcui, vt grata, & amena aliqua varietate Lectorem iuuarem, & oblectarem, vtq; omnis ordinis litterati aliquid in eorum vſum hinc deguſtatum colligerent, & exceperent; quæ profectò emolumenta quiue fructus à ieiuna illa & ſtrigoſa, exſuccaq; rerum enarratione, & deſcriptione, vel etiam diſceptatione proficiſci non poſſunt, quæ in ſua penetralia herbarios, Medicos, vel Seplaſiarios duntaxat admittens, reliquos Viros doctos, & diſcēdi cupidos veluti ſigno dato procul arcet, aut horrido, & inameno ſcriptionis genere abſterret. Victurus genium debet habere liber; Bilbilis Vates inculcat, & nos aliquem Genium lucubrationibus noſtris conciliaſſe Inuidia ipſa frendente, & confitente, modeſtè nō deſperamus. Si me μοῖρα λινοκλῶστι δεσπότις ἠλακάτης benignè reſpexerit, vel Dei Opt. Max. prouidentia, affectas, nondū confectas complures lucubrationes meas Medicas, & Philoſophicas elimabo, & ſub iudicij tui non ſolum candidi, ſed ſeueri amuſſim, erudite, & probe Lector, tandem aliquando libens proponam. Cum Seneca Epiſtola LXXIX. concludam, Paucis natus eſt, qui populum ætatis ſuæ cogitat; multa annorum millia, multa populorū ſuperuenient: Ad illa reſpice; etiamſi omnibus tecū viuentibus ſilentium liuor indixerit, venient qui ſinè offenſa, ſinè gratia iudicent: Ita ego de hocce Muſæo Calceolario ſpero, & confidenter ad Tribunal poſteritatis prouoco.

Vale.

VERONÆ,
Apud Angelum Tamum. CIƆ IƆ C XXIJ.

De licentia Superiorum.

